UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Antonij Maioragij|| Orationes|| Et Praefa-||tiones

Majoragio, Marcantonio

Monasterii VVestphal., 1599

VD16 ZV 10313

urn:nbn:de:hbz:466:1-68843

Visual Library

Th. 5803.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

77 pro Rhetorica.

M. Antonij Maioragij

ORATIONES ET PRÆFATIONES,

Vnà cum Dialogo

DE ELOQVENTIA,

Olim à Ioan. Petro Ayroldo Marcellino, Venetijs in lucem prolatæ,

NVNC VERO, MENDIS INFINITIS exemtis, ad Iuuentutis vtilitatem denuo editæ, studio & opera

Liber collegij Soc. Jesu Paderborn.

M. DANIELIS CAESARIS OSITIENSIS.

Operis Catalogus Præfationibus est subiectus.

MONASTERII VVESTPHAL.
Typis Lamberti Raſſfeldt.
ANNO M. D. XCIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MAGNIFICO,
REVERENDO, CONSVL. TISSIMO ET AMPLISSIMO

Viro, pietate, virtute, doctrina & authoritate excellentissimo,

Dn. MICHAELI VVIRTH,

Philosophiæ & I. V. D. inclytæ Lipsiensis Academiæ RECTORI, Canonico Martisburgensi, Cõsistorij apud Lipsienses Præsidi, & Supremæ Curiæ Prouincialis Assessori, nec nõ facultatis Iuridicæ Professori publico, Collegij á S. B. M. virginis Collegæ dignissimo;

Domino & Mecœnati suo, debito obseruantiæ cultu venerando.

QVæ Ioan. Petrum Ayroldum Marcellinum, vt hoc. ce Maioragianum Opus æneis typis excudi curaret, impulerunt, Reip. literarię vtilitas, & fama Authoris: Magnif. Dn. Rector,

Mecœnas debito obſeruantiæ ſtudio venerande: ea, ad id recognoſcẽdum, hoc tempore me quoq; concitarunt. Quia namq; præſtanti Viro exploratè perceptũ & cognitum erat, noſtrũ Autorem tam ſapientia, quàm dicendi facultate aliosætatis ſuæ Oratores non tantũ ſuperaſſe, verùm etiã lõgo poſt ſe interuallo reliquiſſe: nihil magis in votis & optatis habuit, quàm vt hoc ſcripto, immortalitate digniſſimo, eius memoriã redderet immortalem, magna ad poſteros vtilitate redundãte. Vtinã verò voti compos factus, nec ſua ſpes ipſum fuiſſet fruſtrata. Sed, vt ſunt humana, ſpes vana. Quãuis enim literis nitidiſſimis & clariſſimis, inq; charta elegãti (quod è re legentis eſſe, nemo ibit inficias) Opus impreſſum ederetur; id tamen ſua Calcographus incuria mendis vſq; eò referſit, vt non niſi cũ tædio euolui queat: tantumq; abeſt, vt ad commodum publicum famam Authoris illuſtrarit: vt etiã eandem cum Reipub. iactura non parum obſcurarit. Præter enim illa centũ & trigin-

triginta octo σφάλματα, Venetiano Codici annexa, Dij boni, quot & quanta inueni? quàm ineptè periodi, cola posita, quoties verbum falsò iteratum, syllabæ omissæ, litera pro litera collocata? Quid multa? Erant iuncta disiungenda, discreta componenda: adeoq; vitijs sine nulla columna, ne dicam circuitus. Quamobrem vehementer indolui, elegantissima Virorum eruditorum scripta, quibus, ad magnam aliorũ vtilitatem, viuentes ad gloriæ laudisq; arcem eniti, fatoq; functi, nominis sui memoriam æternis monumentis cõsecrare voluerunt, adeò per librarium cõstituto negligente indoctóue ἐπανορθωτῷ, deprauarier, vt magno fastidio, cura, studio, vix ac ne vix quidem perlegi, intelligi, restitui atq; corrigi possint. Et meritò. Quorsum enim opus est, tot sumtib. curis, vigilijs, laborib. nec sine maximo interdũ valetudinis incommodo, libros conscribere: si vtilitate, ad quam vnam, tanquam scopum, Author collimare voluit, hoc pacto priuentur? Ac nõ id

tantùm inde naſcitur detrimenti: ſed mens Authoris etiã peruertitur: atq; extremũ ita variatur corpus, vt ne qui dem ſuũ agnoſcat. Etenim germanam orationis intelligentiã ex vera membrorum diſtinctione pendere, nemo nõ intelligit. Deme eam ex oratione: an nõ erit id, quod trito ſermone fertur, puerbio, Ver ex anno, aut Solem è mundo tollere, mareq; cœlo miſcere? Nã vnde in optimis Authoribus tam variæ lectiones, tot notæ, tot ſcripta critica, tot Ariſtarchorum de vera ſententia concertationum plenæ diſputationes, tot monimentorum & codicum manuſcriptorum allegationes? Nónne penè omnia ex operis deprauatis? Quod ſi enim fieri poteſt, vt vnica diſtinctiuncula, omiſſa, vel trãſpoſita, diuerſam pariat ſententiã: quidni orationis mẽbris in toto corpore non ritè iunctis, verbis præteritis, mẽdoſéue impreſſis, Authoris ſenſus immutetur, obſcuretur, nonnunquã amittatur? Quod ſanè cùm in Venetiano Maioragij Codice largiter factitatum cognoſce-

gnoscerem, summamque exemplarium penuriam esse audirem, cõmunis causa cõmodi, hoc illũ recognoscendi onus in me recepi: vt Authoris laudem, iam propè senescentem, ab obliuione hominum atq; à silentio vindicarem. Existimabam etenim, dicendi elegantiæ studiosis adolescentib. rem pergratam factum iri, si vitijs, quę non tantùm legendi ardorem cuipiam extinguere, sed Authorem etiam ipsum è manibus excuterevalerent, exemtis, integritati suæ Opus restitueretur. Id quod ea, qua fieri potuit, diligentia, quamuis laborioſiùs, præstiti. Et non hoc solùm egi, vt forma quidem minore, ac diligentia maiori liber ederetur: verùm φιλέλλησι gratificaturus, Græcorum verborum & sententiarum Interpretationem prætermissam adiunxi; & Loca allegata, in margine assignari curaui; ne qua fortè remora ijs, qui ipsos fontes adire mallent, obiecta cẽ. seretur. Atq; vtinam omnia cõquirere, temporis tulisset ratio. Me certè nõ eius tantùm laboris, sed & maioris

non pœniteret. Neq; enim vllus tam magn⁹ erit labor, quin pro luuentutis vtilitate ſuſcept⁹, mihi ſit iucũdus futurus. Quippe ſemper illud Platonicũ animo obſeruatur meo: Non ſolũ nobis nati ſumus: ſed ort⁹ noſtri partem Patria ſibi vendicat, partem Parentes, partem Amici. Amica verò pietatis & bonarum artium ſtudijs dedita Iuuentus. Quæ dubio procul, hoc legendo ſcripto, pleniorẽ efficiet orationem Latinam, & eloquentiæ vim ſibi comparabit. Eſt namq; Maioragij ſtylus ad illud abſolutiſſimũ Ciceronianæ eloquentię exemplar omni diligentia cõformatus. Vt interim nihil dicam, quanta ſit in eo recondita ſapientia, quàm variarũ diſciplinarũ eruditio, quàm graues ſententiæ: ad capeſſendam Virtutem, & Literarũ ſtudia amplectenda mirabiles in Iuuenũ animis ignes elicientes: quibus artes, homine liberali minùs dignæ, omniaq; vitia, tanquam fumi, vaneſcere videantur.

Verùm enimuero quia nihil eſt, quod nõ inceſſere maledicẽdi libido au-

audeat: nullumq; Opus vnquam extitit, quod non Hipponacteo præconio fuerit addictum: incertus animo ferebar, sub cuiº patrocinio hunc librum in lucem emitterem: vt, si non euitari, saltem retorqueri dictorũ aculei possent. Ibi tum, Magnif. Dn. Rector, reuerende, amplissime & cõsultissime Vir, Patrone summè colende, Tuæ Magnificentiæ digna visa est authoritas & tutela, cuius præsidio excuderetur & diuulgaretur. Tum quòd iam ad eius Reipub. summâ cũ laude gubernacula sedeat, cuius meritorum in me nullam partem nõ modò referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possũ. Quæ enim vestra, Præceptores & Mecœnates (Dominos salutem vos an Patres, ambigo) beneuolentia, qua publicè & priuatim sex annos in me fusstis vsi? Vestræ venerandæ atq; amabiles Musæ me venientem excepere, exceptum erudiere, eruditũ ornauere. Vt meritò ingratissimus esse videar, si hanc tã incredibilem erga me humanitatem, tam singularem voluntatem,

tem, tã propensum animũ non vbiq; prædicẽ, non laudib. ad cœlum feram, nõ pie ac inuiolatè recorder. Iure igitur M. Rectori Academiæ, quã studiorum parentem & altricem habui, hoc Opus arbitror dicari posse. Tũ quòd eiusdem Magnifᵉ sapientia meã ignorãtiam, aduersariorũ liuore, tãquam turbine quodã, prostratã erigere valeat. Tum quòd eo Musas amore prosequatur, vt neutiquã ꝑsuaderi mihi patiar, Eidem vllã operam, prouehendis artiũ studijs cõsumtam, displicere. Tũ deniq; summa est Eius beneuolentia, quam mihi ad ignoscendũ paratam, nullus dubito: ad inuidorum maleuolentiæ resistendum promtã & alacrem videre videor. His fretus, Deo hominibusq; approbantib. cum hoc Opere ad T. Magnificentiam, Rector Academice, venio; nihil mehercule calũniarũ turbines, aut maledictorũ procellas pertimescens: nõ laudem, non gloriam, nõ prẽmium aucupans; sed sapientiam, patrociniũ, veniam expetens. Cùm enim nemo sit mortaliũ, qui nõ

inter-

interdũ labatur: næ ego mediusfidius insanus, si quid ab hac mea iuuentute alienum putarem. Suo igitur Tua Magnif. meum formabit iudiciũ, formatũ instruet, instructũ cõfirmabit, rude politissimo, acerrimo imperitũ, certissimo incertũ. Suæ Auctoritatis scuto liuoris aculeos excipiet, retorquebit, infringet. Aequi boni oblatũ, peto & obtestor, cõsulat munusculũ, suoq; fauore, plùs quàm humano, me complectatur. Is enim mihi, in Musarũ castris militanti, nõ mediocre calcar addet. Is olim, Deo annuente, meorum studiorũ fructus iure suo repetet vberiores. Is deniq; Tuæ M. me totũ perpetuo obsequij vinculo, & animi grati memoria obstrictũ reddet ac deuinctum. Quod restat, Christi Opt. Max. præsidio Tuã M. committo & cõmendo. Lipsiæ die S. Ambrosij: Anno παρθενοτοκίας CIↃ. IↃ. XCIII.

Tuam Magnif.

omni obseruant. studio colens.

M. Daniel Cæsar Ostienſis, Collega docentium in Schola Senatoria ad D. Nicolaum.

EIVSDEM EPIGRAMMA in hanc editionem.

Μῶμε ὀδοντ' ἀκονᾷς; ἐφορῶ· παφορῶ δὲ. Θι οὐ γάρ
Εὔαδε πλάσμα Θεῦ, οὐ Κυθέρεια Θεά.
Αλλ' ἆρα σφάλματ' ἔχεις. Τάχα οὐ σφαλλοντα.
πλανύτειν
Ρᾷσον. καί συ κακὰ πλείονα, ἢ καλ', ἔχεις.
Αλλὰ τὸ κρῆθον ἐγὼ ποιήσομαι, ἢ τάχα κ' ἄλλος.
Ποίεε, ποιεέτω. ἢ χάρις οὐ κενεή.
Τίπ' οὖν πρῆγμ' ὀπιχέρῃς; Ταῦτα νέοισι πέποιθα·
Λοιωὰ λιπὼν τελέειν, Μῶμέ, Θι, ἢ ἑτέρῳ·

MOme acuis dentes? video: nil curo. placebat
Non tibi pulchra Venus, non homo plasma
Falsa sed hîc latitant! Fors non fallentia. falli (Dei.
Est facile. an solus, dic mihi, labe cares?
His ego sed præsto! præstabit forsan & alter!
Præstet vterq3: licet. gratus vterq3 mihi.
Cur Opus aggrederis tantum? Iuuenum labor iste.
Cætera perficias, Mome, vel alter, abi.

A M-

AMPLISSIMIS,
ET ILLVSTRISS. VIRIS,
Sfondratis fratribus,
NICOLAO CREMONAE
Episcopo, Senatori Regio Mediolani, & Paulo, Riperiæ Comiti, Vallis Asinæ Baroni, Squadrar. & Montis Introtij Domino, Senatori Regio Mediolani, Philippi Austrij Hisp. Regis apud Sabaudiæ Ducem Legato,

Ioan. Petrus Ayroldus
Marcellinus S. P. D.

Saepe & multùm hoc mecum ipse cogitaui, Viri Clarissimi; quo pacto fieri posset, vt pro singularibus vestris in me meritis, animi mei acceptorum memoris aliquod saltem darem indicium. Sed tantam virium mearum imbecillitatem esse intelligebam, vt non modò non referre, sed ne agere quidem gratias pro dignitate, magnitudineq; vestrorũ in me beneficiorum vnquam me posse confiderem. Ex hac cogitatione nõ mediocrem, mihi credite, molestiam capiebã: cùm

cùm ecce Deus opt. Max. per Primum Comitem hominem summa probitate, & singulari doctrina præstantem, non aspernandam occasionem insperanti mihi nuper obtulit; per quam putabã aliquod grati mei in vos animi signum dari posse. Is enim, nutu Dei immortalis, nuper mihi credidit amitini sui M. Antonij Maioragij, viri eloquentissimi, Orationes & Præfationes omnes: quas, quib. mihi videretur, inscriberem & dicarem: mox imprimendas curarem, & diuulgarem. Illud autem munus tãtò gratius mihi fuit, quantò vobis duob. dignius esse statim mihi visum est: quòd hac ætate, qui dicendi grauitate, copia, suauitate orationis vobis duobus comparari, non modò anteferri possit, intelligebam esse neminem. Verùm non solam tamen dicendi facultatem in vobis esse constat; sed etiam, quæ vnicum est omnis bene dicendi artis fundamentum, integritatem atque innocentiam, cum singulari omnium maximarum virtutum cognitione cõiunctam. Quod ita esse, facilius credet omnis, quicunque, quibus parentibus sitis prognati, diligenter perpenderit: qui secum recordatus fuerit summas atque

incre-

incredibileis virtutes nunquam inter moriturę gloriæ viri, patris vestri, propè diuini hominis, Francisci Sfondrati. Hic enim primùm Senatus Mediolanensis magnũ decus atq; ornamentũ fuit; deinde cùm abijsset ad Superos Anna Vicecomes, Antonij illius magni viri, Lonati Comitis nostrorum Dacũ legati, filia, mater vestra, fœmina primaria, omni laude, qua matrona cumulari poßit, multis partib. maior: hic idem nõ sine magna virtutis suæ admiratione, quæ sæpiùs enituit & eluxit in legationib. sapienter glorioseq; gestis, & cũ magna bonorum omnium approbatione, & applausu in Cardinalium Collegium cooptatus est. His reb. paternis, addo etiam maternis, ad imitationem tibi, reuerendißime Nicolae, propoßitis, & splendore familiæ, toties per virtutẽ maiorũ illustratæ, non mirũ est, si Cremona plurimum felicitatis se adeptam fuisse fateatur; cùm te Pastorem consecuta sit, ea bonitate & vitæ sanctitate virum; vt nõ solùm monitis, sed etiam multò magis exemplo, ad rectam vitæ rationem tã honesta & nobilis ciuitas inuitetur. Nec minus felicitatis obtinuit Mandellum, patria mea charißi-

ma,

ma, per te Paule, vir omni genere virtutum præstantissime: qui semper integritatem vitæ cum sanctitate morum coniunxisti; vir alioqui in omni genere elegantissimus, & omnibus numeris absolutissimus. Quid? quòd ad cumulatissimam eiusdem oppidi felicitatem accessit modestia, humanitas, singularis prudentia vxoris tuæ, lectissimæ fœminæ, Sigismundæ Estensis? ex qua tres liberos suscepisti; qui sunt ijs moribus, institutione, doctrina, dignitate, vt digni sint talibus ac tantis parentibus, patruo, ac maioribus: nec iam vulgaribus appellationibus nominentur; sed vnus Comitis honore, alter Abbatis sacerdotio, tertius Equestribus ornamentis honestetur. Quæ omnia vestræ domus ornamenta præcipua in vnum virtutis scopum conspirant; & cùm aliorum omnium, tum præcipuè subditorum vestrorum salutem, incolumitatem, animi tranquillitatem spectant. At q̃ hoc quidem vestrum iuuandi generis humani incredibile studiũ ego quoq́ pro mea erga vos obseruantia nõ semel, neque paruo cum meo commodo sensi: idemque Cæsari patri meo, cum magno familiæ nostræ ornamento

mento experiri antea contigit. His non leuibus aut paruis virtutum vestrarum documentis, non in Italia solùm inter Alpium claustra & maris septa, sed vbiq; gentium cognitis effectum est; vt Philippus Austrius, Hispaniarum Rex potentissimus, & reliqui orbis Christiani Principes pleriq; omnes vos ament, plurimi faciant, & complectantur. Sed iam me reprimo; ne videar mihi proposuisse, vt vestras laudes omneis, quas ne ingentis quidem voluminis amplitudo cõmodè capere posset, huius epistolæ angustia complecterer. Ego verò quidquid de diuinis & veris laudibus vestris leuiter attigi, ortum adeò ex Maiorag̃ Orationum & Præfationum dicatione; illud, & dicationem ipsam ad testificandam meam erga vos obseruantiam, & ad eiusdem Operis commendationem iure optimo pertinere velim. Peto igitur ab humanitate vestra, amplissimi Viri, quam in vobis vnà cum cæteris virtutibus omnibus scio esse singularem; vt grato beneuolq; animo meam in vos obseruantiam, vnà cũ Opere ipso vobis cõsecrato, amplectamini. Quod si (quemadmodum spero, & confido) à vobis factum fuerit: & ego erga vos taleis ac tantos viros, de me potissimùm &

)?(de

de patre meo optimè meritos, non omnino ingratus videbor; & nouum hoc ipsum opus, quod nunc primùm in lucem prodit, clarissimi nominis vestri splendore illustratum, lectoribus multò gratius est futurum. Valete. Venetijs; Idibus Aprilis, Anno

CIↃ. IↃ. LXXXII.

Cata-

Catalogus ORATIONVM.

I. Panegyricus, Mediolani in templo maximo habitus, quo die Ioannes Angelus Arcimboldius Mediolani Archiepiscopus creatus est. pag.1.

II. Chria super memorabili quodam facto Ferrandi Gonzagæ. p.61

III. In Nuptijs Iacobi Philippi Sacci, Senatus Mediolanensis principis, præsente eodem Senatu, in qua præter cætera, seni quoq; homini ducendam esse vxorem, multis rationibus probatur. p.75

IV. Scripta nomine Iurisperiti, qui petit, vt in Collegium Iurisconsultorum Mediolanensium cooptetur. p.110

V. Pro Octauiano Rouerta, Tarracinę Episcopo, dū in Academiam Mediolanensem reciperetur. p.116

VI. Pro Ioanne Stibio, Pontificis Max. Commissario decumano, dū in Acad. Mediolan. reciperetur. p.123

VII. Pro Hieronymo Crotto, Iurisconsulto, dum in Academ. Mediolan. reciperetur. p.131

IIX. Magdalenæ Comitis, matris suæ mortuæ, laudatio. p.138

IX. Luti encomium. p.162
X. Pro se in Senatu Mediolanensi, cùm de mutatione nominis à Fabio Lupu, & à Macrino Nigro fuisset accusatus. p.197
XI. Pro decreto Alfonsi Auali, & Senatus Mediolanensis; in Aleatores. p.257
XII. Aduersus eos, qui ornandæ Orationis studium, & dicendi elegantiam vituperant. p.276
XIII. De contemnendis Obtrectatoribus; ad Mediolanenseis. p.293
XIV. De vitæ atque Morum disciplina, ad eosdem. p.306
XV. De Parentum in erudiendis liberis, atque adolescentium in studijs optimarum artium officio, ad Mediolanenseis. p.325
XVI. De modo proficiendi in Eloquentia, atque in studijs optimarum artium, ad Iuuenes Mediolan. p. 361
XVII. De Audiendi ratione, ad eosdem. p 383
XIIX. Cùm Mediolano discessurus esset, ad auditores suos. p.395
XIX. De præstantia Literarum, ad Senatum Mediolanensem, quam primam habuit, quo tempore publicè docere cœpit. p.407

XX. De

XX. De Grammaticæ artis excellentia, ad Senatum populumque Mediolanensem. p.423
XXI. De Varietate. p.444
XXII. De Amore, cùm Virgilij librũ quartum AEneidos iterum publicè interpretaturus esset. p.465
XXIII. De Musica. p.491
XXIV. De Arte Poëtica. p.511
XXV. De Bibliotheca publica Mediolani instituenda, & omni genere librorum instruenda, ad Alfonsum Aualum, Oratio imperfecta. p.526

Vnam & alteram orationem suppressimus: veriti, ne quis fortè ijs offenderetur, quæ aut animo irato & percito scripsisset, aut ioco aliquando dixisset Maioragius.

Addita porrò sunt hæc: ne perirent:

Libelli supplices duo ad Senatum: Alter, de hora vespertina, qua docebat Maioragius, in matutinam commutanda. p.532.
Alter, de immunitate publicis Professoribus concedenda. p.534.

PRAEFATIONVM.

I. In Homeri Iliadem. pag.535
II. In Homeri Odyſſeam. p.548
III. In Heſiodum. p.553
IV. In Pindarum. p.566
V. In Demoſthenem. p.575
VI. In Ariſtotelis de Arte Rhetorica libros treis. p.591
VII. In P. Virgilij Georgica, de Agriculturæ laudibus. p.605
IIX. In Virgilij librum quartum Aeneidos. p.621
IX. In M. Tullij Ciceronis de Officijs ad Marcum filium libros treis. p.636
X. In Ciceronis de Oratore ad Quintum Fratrem libros treis. p.647
XI. In Ciceronis Oratorem ad M. Brutum. p.655
XII. In Ciceronis Topica ad C. Trebatium p.665
XIII. In Ciceronis Partitiones oratorias. p.673
XIV. in Deciſiones xxv. quibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus Cælij Calcagnini criminationibus liberat. p 688
De Eloquentia Dialogus. p.694

BER-

BERNARDINI PARTHENII SPILIMBERGII

Ad Io. Petrum Ayroldum Marcellinum, Philosophum & Medicum.

SQualida desertis Romana eloquentia quondam
In tenebris latuit, tacitoq; obmutuit ore,
Ceu cùm siue Gothi irruerent, seu Pannones, omnia
Vastantes latè: At tandem sese extulit, atrum
Informemq; exuta situm, speciosa per vrbes,
Per populos victrix longè exhilarata nitescit.
Tu, Maior aggi, Ausoniæ Musisq; Latinis
Restituis pulsum, atq; nouum decus addis habendum.
Non tot Vere nouo, vario cùm læta colore
Vestitur, passim vernant cùm florea rura,
Fundit opes tellus, pleno quot pectore sensus,
Diuitias quot culta tuæ facundia linguæ
Promit. Te præsens ætas seriq; nepotes,
Arida Cecropio rigantes ora liquore,
Doctrinæ ingenijq; tui monumenta reuoluent.
Viues. Nulla sacrum premet inuidiosa vetustas
Nomen, Lethæa aut mergent obliuia ripa.
At poteras Erebi nigris immergier vndis,
Et tot suscepti frustrà perijsse labores,
Ni iuuenum flos atq; decus, dum laberis Orco
Paulatim, ingenti patrioq; incensus amore

Mar-

Marcellinus amor Musarum subleuet. Is nam
AEternis curat tua scripta intexere chartis.
Quæ passim volitent, quæ quondam discat Iberus,
Quæ relegant latè nostris loca dissita terris,
Doctaq́ miretur diues Germania regnis,
Et Rhodani potor, fœcundiq́ incola Rheni.
Macte animo & pietate, tuo sub flore iuuentæ
Magna parans studijs Musarum fultus auitis:
Dum Tu alijs vitam profers, in secula viues,

M. AN-

M. ANTONII MAIORAGII *PANEGYRICVS,*

Mediolani in templo maximo habitus, quo die Ioannes Angelus Arcimboldius Mediolani Archiepiscopus creatus est.

ORATIO I.

SI quid vnquam huic ciuitati nostræ Patres amplissimi, Dei beneficio atq; munere datum fuit, quo meritò, atq; optimo iure gaudendum esse videretur: id profectò nobis accidit hodierno die, quo virum omni laude, omniq; genere virtutis abundantissimum, Ioan. Angelum Arcimboldium; iam non peregrinum, sed ciuem nostrum; non in hanc ciuitatem nuper ascitum, sed antiquissima gente Mediolanensi, multisq; clarissimis maiorum imaginibus florentissima natum; non mediocri rerum cognitione, sed incredibili sapientia præditum; tanto vniuersi populi, bonorumq; omnium cõsensu creatum huius vrbis Archiepiscopum videmus. Cum enim ita sit à natura comparatum, vt in omnibus prosperis rebus, & ad voluntatem nostram fluentibus, omnes magnopere gaudeamus, tum in ijs

præcipuè, quas ad religionem, & diuinarum rerum cultum pertinere certum est, non tantum sapientissimus quisque, sed etiam communiter omnis hominum multitudo maiorem in modum lætari consueuit. Nam illud cunctis ferè gentibus persuasum est. Neminem vnquam magnum & præstantem virum sine afflatu diuino fuisse, neque casu aut fortuitò, sed Dei ipsius voluntate atque prouidentia, qui religionis gubernacula teneant, elegi solere. Quare non sine iustissima causa, cùm excellenti virtute viris rerum sacrarum cura demandatur, confestim mentes omnium immensa quadam lætitiæ voluptate complentur. Vident enim ac sentiunt, talium virorum sapientia prudentiaque, tam placata & tranquilla fore omnia, vt in terris & hac mortali conditione, quoad fieri potest, beatissimam illam cœlestium vitam non tantùm imitari, sed etiam repræsentare quodammodo videantur. Quæ cùm ita sint, nemini mirum videri debet, si hac exoptatissima nostri huius Archiepiscopi creatione, tam exhilarata est vniuersa ciuitas, vt non tantùm homines ipsi, sed etiam expertes rationis animantes, & muri atque parietes ipsius vrbis, & denique res omnes etiam sensu carentes insuetam quandam atque infinitã lætitiam præ se ferant. Tanta est enim huius viri, quem præsentem, & nouum Archiepiscopum veneramur, & cuius aspectu grauissimo iucundissimoque recreamur, auctoritas, tanta virtus, tam singularis sapientia, vt longè plura nobis de hoc bona polliceri possimus, quam de quouis alio, post illum maxima diuinitate præstantem Ambro-

brosium, ciuitas vnquam nostræ reportârit. Itaque debet vnusquisque nostrum, ad agendas immortali Deo gratias, mentem, animum, linguam excitare. Quod enim præstabilius, aut pulchrius nobis munus dare poterat, quàm hunc, & pium, & sanctum, & ipsi Deo similimum sacrorum Antistitem? Creatus est igitur is diuino munere, quem omnibus votis omnes exoptabant, quem omnes vno consensu, atque vna voce deposcebant, quem optimus quisque maximè cupiebat. Creatus is, qui Christianam pietatem tueri, religionem amplificare, diuina atque humana rectissimè tractare nouit. Creatus is, qui labantem Ecclesiæ nostræ statum, & iam penè collapsum erigere, atque ad pristinam stabilitatem & nitorem reducere facilime possit. Creatus denique is est, qui totam hanc ciuitatem ac patriã suam semper propria vita cariorem habuit: qui omni semper conatu nixus est, atque etiam quotidie magis enititur, vt eam non modò saluam, sed etiam longè florentissimam videat: qui labore, ac vigilantia sua, iam in plurimis & maximis rebus perspecta & cognita, nihil earum rerum prætermissurus sit, quæ ad sanctissimum Antistitem, & optimum sacrorum præsidem spectare videantur. Hoc autem tantum boni, tantum iucunditatis & gaudij, primùm quidem Deo Opt. Max. bonorum omnium auctori, sed, post Deum, Hippolyto Atestio, Cardinali ferre acceptũ meritò ac iure debemus. Qui cùm hunc Archiepiscopatum Mediolanensem à patruo suo puer adhuc accepisset, & annos iam vnum & triginta possedisset, decre-

uit tandem Arcimboldiam gentem, iampridem optimè de religione meritam, quasi in veterem huius Archiepiscopatus possessionem restituere. Nam nō ita pridem ex hac eadem gente duo fuerunt Mediolanenses Archiepiscopi. Quippe vir integerrimus, & æquissimus voluit hac in re ciuitati nostræ, quam id vehementissimè cupere, totoq3 animo expetere intelligebat, benignè gratificari. Quam rem non tantùm Hippolytus ipse, cuius erat in potestate, sed etiam summus Pontifex, totumq3 Cardinalium collegiū maxima cum assensione, plausuq3 cōprobabit: nostræq3 ciuitati nouum hoc, & incredibile gaudium, quod felix faustumq3 sit, Deus atq3 hominib. approbantibus, attulit. Sed ad te iam, Arcimboldi clarissime, cuius iucundissimo conspectu mirificè recreor, & ad dicendum maiorem in modum excitor, paulisper me cōuerto, rogoq3 atq3 obtestor, vt cum hac tam hilari multitudine, cum hoc tam læto populi concursu, cum tanta nobilissimorum hominum & Principum frequentia, me dicente, tua tacitus bona patientissimis auribus recognoscas. Vt cùm nos alij omnes ista tua tam excellenti dignitate tantopere lætemur; summoq3 & communi gaudio perfruamur; tu etiam vnà nobiscum cogitatione rerum à te præclarissimè gestarum, & conscientia rectæ voluntatis, & denique bonorum omnium tuorum recordatione gaudeas. Qui natus in hac vrbe omnium celeberrima & copiosissima, plurimisq3 eruditissimis & fortissimis viris affluenti, ex antiquissima nobilissimaq3 familia, per omnes dignitatis gradus, tum hic in patria tua, tum apud exteras nationes ad istam ætatem tāta cum laude gloriaq3

per-

peruenisti: vt non modò maioribus tuis, qui & honoribus & rerum gestarum gloria semper maximè floruerunt, similis fueris, sed etiam eorum memoriæ laudibusq3 maximam lucem attuleris. Nunc autem hoc tantum munus summa cum omnium lætitia suscepisti, in quo, tanquam in theatro quodam totius orbis terrarum amplissimo clarissimoq3, omnium virtutum tuarum immortalium splendor elucebit: in quo te præclarissimos actus edentem, & diuinæ mentis tuæ vires in omnibus factis & dictis excitantem, omnes ciues tui cæteræq3 nationes infinita cum animi voluptate conspicient: teque non tantùm eis, qui præsenti tempore vigent, Antistitibus, sed etiam antiquis illis, omnium sermone prædicationeq3 celebratis, & præcipuè maioribus tuis, qui propè diuinos honores consecuti sunt, anteponent. Quàm enim grata, quàm iucunda, quàm exoptata contigit omnibus ista dignitas tua! Quibus te votis, quo desiderio, quàm inaudita cupiditate ciues tui te requirebant! Cùm enim non ita pridem res de te perfecta esse diceretur; vniuersa patria inter spem & metum de te vno nõ aliter cœpit esse solicita, quàm de vnico filio vidua mater, aut de nouo sponso vehementissimo amore capta mulier. Et quamuis iam essent omnia secura, quamuis inter te & Hippolytum Atestium essent iam latæ conditiones, & acceptæ, summusq3 Pontifex & Cardinalium collegium eas approbasset: tamen ita amanter te patria exoptabat, tam tenerè molliterq3 cupiebat, vt cùm huius diei celebritas prorogaretur, eò quòd nondum essent confecta diplomata, ne non timere quidem sine aliquo timore pos-

set. Verebatur enim ne fortasse res non succederet. Quoniam in eiusmodi magnis negocijs, paruæ sæpe inclinationes totam rem euertunt. Præclarè verò intelligebat, te Antistite sibi tradito, quantum esset bonorum cumulum habitura: quantum contrà iacturæ factura esset, quantum detrimenti, si te iam designatum amisisset. Itaque quoties ad amorem tuum, vel potiùs pietatem erga se ciuesq; omnes, mentis oculos referebar; statim omnis timor ab ea recedebat: quoties autem ad incertos varioscq; casus, quibus etiam firma cõsilia frequenter impediuntur, animum aduertebat, iterùm perhorrescere incipiebat, & toto corpore contremiscere. Qúin interdum illi veniebat in mentem subuereri, ne te Episcopatus ille Nouariensis, quem annos iam quatuor & viginti tenueras, fortasse nimiùm oblectaret, & ab eo diuelli nullo modo posses. Audierat enim quàm opima, quàm fertilis, quàm fructuosa sit ea regio. Audierat, quæ sit amœnitas eius oræ locorumq; omnium. Audierat, Episcopum ibi non tantùm sacrorum esse præsidem, sed etiam in populos sibi subditos habere vitæ necisq; potestatem. Et quod caput est, audierat, in tota illa regione neminem esse, qui non tui esset amantissimus; qui te non mirandum in modum coleret, obseruaret, veneraretur; qui denique ad digiti creptum tibi non obediret. Audierat præterea, te maximos in Episcopatu illo sumtus fecisse, multa magnifica palatia substruxisse, reditusque annuos ita diligenter procurasse, vt præter summam rerum omnium amœnitatem, etiam longè maiores atque vberiores fructus, quã antea, percipe-

rentur.

rentur. Quibus rebus ita commouebatur, vt iam timorem & dolorem suum dissimulare non posset: vt regioni illi, quæ te diutiùs detineret, quasi riuali cuidam, non mediocriter iraſceretur, quod ſibi deſignatum & traditum ſponſum præripere velle, quodammodò videretur. Ergo non ſolùm in templis, ſed in curia, in foro, in priuatis ædibus, vota non in dies tantùm, ſed in horas ſingulas religioſè nuncupabantur, ſupplicationes ab omnibus fiebant; vt ad religionis noſtræ gubernaculatu quāprimùm accederes. Ipſa verò patria cū diurna nocturnaq; ſolicitudine, frequenter huiuſmodi vocem & orationē effundere videbatur: Quouſque tandem me ſolicitam & anxiam habebis religioſiſſime, mihiq; propria vita multò carior Antiſtes? Cur non quàm primùm ad me parentem & procreatricem tuam, ſi genus reſpicis, ſi conditionem, ſponſam; ſi curam & munus, filiam accedis? Fierine poteſt, vt te mei capiat obliuio, quæ te genui; quæ in lucem eduxi; quæ tot ac tanta in te ornamenta contuli? Vbi eſt igitur patriæ pietas? vbi amor? vbi caritas? Quòd ſi te honeſtas mouet, quid honeſtius eſſe poteſt, quàm de patria bene mereri? ſi vtilitas, vnde maiorem fructum tibi tuiſq; omnibus, quàm ex me reportare potes? Si iucunditas, qui locus eſſe poteſt domeſtica ſede iucundior? Fateor equidem, à te me plurima iampridem accepiſſe beneficia: ſed hactenus, vt à filio mater: vt ab eo, qui mihi vitam debebat: vt ab eo, quem à teneris annis gremio meo foueram. Nunc tota ratio eſt immutata. Nam diuino quodam conſilio ex parente

sponsa facta sum, ex matre filia: non potes igitur abesse diutiùs. Cur enim me nouam nuptam esse voluisti, si pateris vt tui desiderio contabescam? Cur me vis habere loco filiæ, si decori & honestati meæ non prouides? Cur me tanto viro felicem existimem, si meo bono mihi frui non conceditur? Cur eo parente gaudeam, qui à me securus abesse potest? Ah, me parùm fortunatam, si te alia regio magis oblectarit, si me spes mea frustrata fuerit! Túne ergo vita, præsidium, deliciæ meæ, diutiùs aspectu me tuo priuabis, atque aliam potiùs regionem eo frui patieris? O me nimis credulam, quæ te mihi semper in amore respondere iudicaui! Certè hoc in tua potestate situm est, vt te mihi tanquam carissimum filium reddas, quia te procreaui: tanquam optatissimus ad me sponsus venias, quæ tibi cœlesti matrimonio copulata sum: tanquam parens mei curam suscipias, quæ tibi propter religionem filiæ loco esse debeo. Veni igitur fili, veni sponse, veni parens, ad hanc amantissimam tui patriam, cui sine te nihil potest esse iucundum, nihil dulce, nihil suaue, nulla denique vita vitalis. Hæc atque eiusmodi verba, maximo tui amore succensa videbatur quotidie Patria nostra fundere, donec tandem hic dies omnibus summis, infimis, mediocribus vehementer exoptatus, aduenit, in quo vidimus, in hac ciuitate propè neminem esse, qui non sua præsentia, suum erga te studium atq; animū testaretur. Vidimus hoc honestissimum ac pulcherrimum propter nouam dignitatem tuam spectaculum apparatū. Vidimus Principem nostrū inuictissimum Ferrandum Gonzagam, cum omni præsidio suo, cum Imperatorijs

Duci-

Ducibus, cum Demarchis, cum Baronibus, cum Tribunis militum, cum Equitibus cataphractis, denique cum honestißimis huius ciuitatis quibusq3 viris tibi obuiam prodire. Vidimus te sub aureo cadurco, stipantibus vndiq3 Principibus, & spectatißimis viris in vrbem regredi, atq3 ad hoc religiosißimum fanum, templumq3 maximum accedere. Vidimus eos omnes, qui ab exteris vrbibus ac nationibus in hanc ciuitatem missi legatorum munere funguntur, frequentes honoris causa tibi adesse. Vidimus totum Ordinem senatorium, non tantùm huius ciuitatis lumen & ornamentum, sed etiam totius Italiæ, atq3 orbis terrarum grauißimum consilium, longè extra vrbem profectum, obuiam tibi venire, te venerari, te magno cum gaudio reducere. Vidimus prudentißimum Iurisconsultorum collegium, & Medicorum, & denq3 omnium, qui sunt alicuius in hac ciuitate nominis frequentiam, maximo studio, alacritate, sedūlitate, tua vestigia subsequentem. Episcopos præterea, Præsules, Antistites, Flamines, Sacerdotes cuiusq3 generis longo ordine procedentes. Effusam tui videndi cupiditate multitudinem, non tantùm vicos, & vrbes regiones, sed etiam fenestras, meniana, podia, tecta denique ipsa repleuisse. Postremò summam omnium hilaritatem vidimus, inusitatam lætitiam, profusam populi iubilationem, strepentibus vndique tubis, tympanis, tormentis, campanis, organis, fidibus, tibijs, musicis cantionibus, plaudentibus omnibus, acclamationibus, & bonis ominibus prosequentibus, rosas, lilia, flores, coronas cuiusque generis vbique spargentibus, aromata, thura, suauißimos odores incendentibus, vi-

cos & parietes omnes tapetibus, tentoriis, imaginibus, tabulis pictis obtegentibus: nihil denique prætermittentibus eorum, quibus infinitã lætitiam suam, & gratissimum in te animum significare possent. Quibus ego rebus omnibus existimo te vehementer quidè gaudere, tantamque in te ciuium tuorũ caritatem & pietatem maiorem in modũ amare. Verùm cùm hæc pro tua singulari prudentia, cognoscas diuturna esse nullo modo posse, sed esse fugacia & caduca, paucisq; diebus interitura: longè tibi, sapientissimo homini, gratius fore putaui, si quis oratione sua posset honestissima studia tua, mores, intelligentiã, res præclarissimè gestas cõprehendere, atque effigiem istius animi tui verè diuini literis & posteritati tradere. Multos enim magnanimos & fortes viros inueniemus, non tantũ magnopere rerum à se præclarè gestarum gloriam desiderasse, verùm etiam vitam ipsam pro dignitate atque laude profudisse: nihil denique intentatum reliquisse, quo famam suam in orbis terræ memoriam sempiternam disseminarent. Itaque cùm etiam te, quamuis sapientissimus sis, studio gloriæ, sicut optimi quiqúe viri faciunt, duci non dubitem, quam non tantùm tibi ad æternitatem, sed etiam posteris tuis ad exemplum & imitationem plurimùm esse profuturam intelligis: si quis mihi Deus eam dicendi vim & facultatem traderet, qua possem honestissimas quasq; viuendi rationes, ab ineunte ætate à te susceptas, & ad hoc vsq; tempus perductas, satis dignè commemorare: non est mihi dubium, quin æternam & immortalem apud mortales omnes futuram summæ virtutis tuæ memoriam, pro

singu-

singulari in te obseruantia mea, non mediocriter amplificaturus essem. Sed cùm ingenij mei vires perexiguæ sint, virtus autem tua incredibilis, ac propè diuina, quæ per sese vigebit memoria seculorum omnium: certè non decus aut splendorē ab oratione mea capere potest, sed contrà potiùs à virtute tua genium & immortalitatem oratio mea sine vlla dubitatione recepturæ est. Quæ me spes potissimùm ad hanc suscipiendā de te dicendi prouinciā excitauit. Verùm priusquam ad te veniam, aliqua mihi de maioribus tuis cōmemoranda esse censeo, vt omnes intelligant, maximos quidem illos & clarissimos viros fuisse, pulcherrimaque tibi exempla ad imitandum domestica semper extitisse: sed ita gessisse te, vt non modò non illis inferior fueris, verùm etiam eos longo interuallo superaris. Ac mihi quidem, vt spero, vos etiam, Patres amplissimi, dabitis hanc veniam, vt quoniā ab auis atque atauis hæc Arcimboldiorum familia semper cœlestis atque diuina fuit, antequam ad huius Archiepiscopi laudes & res egregiè gestas veniamus, quibus eū tanto honore, tamque præstanti munere dignum ostendimus, breuiter aliquos insignes viros ex maioribus eius commemoremus. Iuuabit enim, vt opinor, non mediocriter animos vestros hæc præstantium virorum breuis commemoratio. Iuuabit, inquam, per egregia facta, tanquam per latissimos lucos & amœnissima quædam viretatransseuntes, ad hanc postea celebritatem & publicam lætitiam, quasi confectis spacijs, deuenire, atque in ea tandem iucundè suauiterq; conquiescere. Quamuis neminem vnquam tanta eloquentia fuisse existi-

existimem, neque tã diuino atque incredibili genere dicendi, qui horũ hominum virtutes laudesque non dicã augere aut exornare oratione, sed percensere numerando posset. Vt enim ab origine splendorem & claritatẽ generis non repetã, quod & longum nimis esset, & nobis id angustia temporis non concederet: quis huius proauo Nicolao nobilior aut clarior vnquam fuit? quis sapientior? quis prudentior? Quem vnum optimum Iurisconsultum, & præstantissimum Senatorem Dux & Princeps Mediolanensiũ Philippus Vicecomes consiliarium habere voluit, vt ei res suas arcanas, & ad imperij administrationem pertinentes, assiduè cõmunicaret. Quit am insigni fide, religione, auctoritate fuit, vt plurimas pro suo Principe susceptas legationes felicissimè semper obiuerit, &, quod omnium maximũ est & vehementer admirabile, cùm asperrimum inter Philippum & Venetos bellũ intercederet, tamq; irritati iam essent omnium animi, vt nullo modo placari posse viderentur, tantum eloquentia sua singulariq; prudentia Nicolaus Arcimboldius, cùm legatus ad Venetos missus fuisset, effecit, vt firmissimam ab eis, atque optimis pro Philippo conditionibus pacem reportarit. Iam verò frater eius Antonellus ductor fortissimus, domi forisque perpetuam sibi gloriam, & scientia rei militaris, & virtute, & auctoritate, & felicitate comparauit. Qui Ioanne Galeatio Vicecomite, & eius filio Philippo Mediolani Ducibus, Tribunus militum consolari potestate constitutus, & totius exercitus moderator ac Princeps Rempubl. nostram semper bene & feliciter gessit. Sed omnium maiorum

rum suorum gloriam sine dubitatione Ioannes Arcimboldius, Nicolai filius, non solùm adæquauit: sed etiam longè superauit. Qui cùm longo tẽpore propter egregiã Iuris vtriusque scientiam, & Francisco Sfortiæ Primo, & eius filio Galeatio gratissimus fuisset, atque vtriusque Principis maximo cum honore senator, consiliarius, & rerũ gerendarũ auctor extitisset, mortua demũ vxore Briseida, ex qua iam Aloysiũ huius Archiepiscopi nostri parentẽ susceperat, ad religionẽ animũ adiecit: neque ita multò pòst, ob integritatẽ admirabilẽ & probatissimos mores Nouariensem Episcopatũ assecutus est. Tantaque fuit eius probitatis & sapientiæ fama, vt cùm à Galeatio Sfortia missus orator ad Sixtũ Quartum Pontificem Maximũ fuisset, ab ipso Pontifice maximo cum honore susceptus, statim Cardinalis creatus fuerit: & quod alij pauci vix longo tẽpore multisque consumptis pecunijs assequi possunt, id ipse paucis diebus facilimè & gratuitò consecutus est. Quid? quòd non ita multò pòst eiusdẽ Pontificis Legatus summa cũ potestate Perusiæ fuit? Iam illud non tantùm maximũ, sed etiã inauditum & admirabile fuit. Duas enim eodẽ die summas omnium in Ecclesia Mediolanensi dignitates, vniuerso Cardinalium collegio cõprobante, Pontifex illi detulit. Nam & Abbatem Diui Ambrosij, in cuius tutela est huius nostræ ciuitatis salus, constituit, & Mediolanensem Archiepiscopum creauit. Quòd si longiorem illi vitã fata dedissent, nemini dubium fuit, quin propter eximias & singulares virtutes suas breui tẽpore Pontifex Maximus esset futurus. Quid huius frater Vidus Antonius?

nius? nónne quamuis dignitate fuerit inferior, tamen rerũ experientia, sapientia, probitate, penè par semper habitus fuit? Qui primò propter ingenuos ac liberales mores à Fr̃ăciſco Sfortia Primo fuit electus, qui comes eius filio Galeatio, iam tũ imperij ſucceſsioni deſtinato ſemper aſsiſteret, cũ eo equitaret, luderet, iacularetur, venaretur, ex eadẽ menſa veſceretur. Deinde cùm Galeatius, patre mortuo, rerum potitus fuiſſet, eundem tã iucundum & gratũ habuit, vt à ſuo latere nunquã diſcedere pateretur. Itaque poſt fratris ſui Ioannis Cardinalis obitũ, facilè Mediolanenſem Archiepiſcopatũ aſſecutus eſt. Quin etiam poſtea plurimas & honorificentiſsimas legationes, Galeatio & Ludouico eius fratre Ducibus, maxima cũ dignitate & gloria ſæpiùs obiuit. Erat enim vir præter morũ integritatem maximè facundus & eloquens, qui facilè dicendo mentes hominũ, quocunque voluiſſet, impellere poſſet. Quocirca & ad regẽ Hiſpaniarum, & ad Matthiam Pannoniæ regem legatus miſſus fuit. Qua in legatione propter eius probitatis & ſanctimoniæ famam, tanto cũ populorum omniũ, ad quos accedebat, plauſu, tantaq; cũ gratulatione ſuſcipiebatur, vt eum omnes, non tanquã aliquem ex hac vrbe miſſum virum, ſed tanquã è cœlo delapſum Deum intuerentur. Quãobrem ipſe poſt reditũ ſuum in patriam, huius rei, felicisq; legationis, atque itineris monumentũ in ſuburbano prædio ſupereſſe voluit. Extat enim adhuc in Bicocano quædã ampliſsima porticus, varijs picturis exornata, quibus totus eius legationis ſucceſſus ſigillatim & accuratè ſignificatur. Quid autem de clariſsimo viro,

huius

huius Archiepiscopi nostri parente Aloysio, cõmemorẽ? Qui propter insignem Iurisprudentiæ cognitione multos honores ac dignitates, & Galeatio & Ludouico Ducibus, obtinuit. Nã & senator egregius fuit, & Eques Auratus, & duorũ principum consiliarius, & Cremonensis præfecturæ gubernator. Sed quãuis etiam nihil aliud in vita memorabile gessisset, tamen vel hac vna de causa summopere celebrandus esset, quòd primò Octauianũ huius fratrẽ, maximè admirandum ac verè diuinũ hominem, deinde hunc etiam, cuius adhuc prudentia consilioq3 nostra hæc ciuitas lætissima fruitur, perquam feliciter genuerit. Nã Octauianus frater huius ea præstantia fuit, vt non ab homine natus, sed à Deo fictus esse videretur: quippe qui adolescentulus, ac penè puer, tantã vtriusque Iuris scientiã acquisiuit, vt in Iurisconsultorũ collegium magna cum omnium admiratione cooptaretur. Is deinde cùm omni doctrinæ genere, tum eloquentia præcipuè, mirãque dicendi facultate præcelleret, annum agens quartum & vigesimum Romam profectus, eodem anno ab Alexandro Sexto Pontifice Maximo multos honores ac dignitates assecutus est: in quibus tam sanctè atq3 integrè se perpetuò gessit, vt in se totius Romanæ Curiæ ora conuerteret. Erat enim ingenium in eò plùs quàm humanũ, doctrina admirabilis, mores vehementer amabiles, immensa omnium actionum gratia, comitas atque affabilitas sermonis inaudita. Quam enim ornatè, quàm grauiter, quàm copiosè mortuum Alexandrum Pontificem pro concione laudasse dicitur? Quanta dicendi maiestate Pij Tertij successoris

ipsius

ipsius Alexandri creationem celebrasse? Sed heu fallacem hominū spem, fragilemq; fortunā! In ipso verę laudis & gloriæ cursu, cùm duorum Antistes iam conuentuum esset, & Mediolanensis Archiepiscopus designatus, in ipso, inquā, iuuentutis flore, cùm annum secundū ac trigesimū ageret, summo cum omniū mœrore ac tristicia de repente extinctus est. Sed tamen bene & feliciter nobiscum actum est, Patres amplissimi, quòd hunc adhuc præsentem tā insignem omni laude virū, tanta auctoritate, side, religione præditū superstitem & incolumē habemus, multisque posthac annis felicissimè atque optimè victurum, & speramus, & optamus Iā enim ad huius mihi laudes & facta veniendum est, cuius causa suscepta est hæc omnis oratio. Vt quamuis omnes intelligant, nullum vnquam, post illum Principem Ambrosium, extitisse Archiepiscopum præstantiorem, tamen cogitatione & commemoratione rerum honestissimarum, & omnium voce, literis, prædicatione dignissimarum, solidum ac plenū huius diei gaudium sentiamus. Ac mihi quidem, Patres amplissimi, tantus virtutū splendor, tantū lumen, tā immensa claritas, quantam in hoc viro esse conspicio, sic mentis oculos atque aciem perstringit, vt vix eam satis animo cernere, nedū verbis eloqui me posse confidam. Verùm vt solē aduersum intueri nequimus, sed ex eius radijs longè lateque dispersis, quanta sit eius amplitudo, quàm immensum lumen intelligere facilè possumus: ita quamuis in fulgentissimis illis virtutibus, quæ in huius viri altissima diuinaq; mente versantur, mentis oculos defigere nequeam, tamen ex optimis eius

actio-

actionibus, & rebus præclarissimè gestis, quantæ sint, quamq; immensæ, me aliquo modò declarare posse non diffido. Non ita tamen vt omnes eius glorioſas actiones enumerē, quod fieri nullo modo potest: sed vt ea summatim primò, quæ sunt ad laudē illustriora, persequar, deinde, quæ efficiunt, vt non tantùm hoc præsenti honore, sed etiā longè maiori & ampliori dignissimus esse videatur. Nā, vt ea prætermittam, quæ de huius natali die, futuraque præstantia Vates, Astrologi, Coniectores, cæteriq; diuini prædixerant: quæ licet vera fuisse postea exitus cōprobauit, tamen quia non ita vulgata sunt, à me fingi putarentur. Tantùm enim abest, vt aliquid huius laudibus oratione mea velim affingere, vt etiam ea præterire decreuerim, quorum, quamuis honestissima fuerint, tamen pauci testes esse possunt. Vt hæc igitur missa faciam, cùm puer esset, ab optimis atque honestissimis parentibus, qui præclarè intelligebant, quantum à teneris annis interfit, optimis viuendi rationibus assuescere, tā religiosè sanctequé educabatur, vt nihil ei placere posset, quod aliqua ex parte turpe esse videretur. Vt non eius puericia delicijs atque indulgentia solueretur, sed labore & seueritate firmaretur: non in lusibus & iocis, sed in percipiendis ingenuis ac liberalibus disciplinis tota consumeretur. Nā frequentibus quasi stimulis orationis, quamuis sua sponte satis incitatus esset, & à parentibus & à præceptoribus ad exempla maiorū suorum imitanda suscitabatur, vt honestatis cursum teneret, & dignitatis atq; gloriæ portum caperet. Vt cum nutricis lacte moribus quàm probatissimis imbueretur. Vt ne quid

cupidè, ne quid impotenter, ne quid improbè committeret. Ita verò cum æqualibus suis in ludo atque puericiæ disciplina versari solebat, vt, quamuis ingenij memoriæq; gloria facilè omnibus antecelleret, nemini tamen vnquam se præponeret, sed mirifica quadam animi moderatione facilè omnes, cum quibus erat, perferret ac patereturr, eorū studijs, quantum honestas ferret, semper obsequeretur, nulli omnino contra ius & fas aduersaretur. Ita sine vlla inuidia laudem facilè inueniebat, & amicos sibi comparabat. Erat autem in ætate illa puerili, maxima corporis dignitate atque pulchritudine ornatus, quæ nunc etiam in hac, quàm videtis, ætate, summa quadam cum maiestate relucet. Quæ fiebat, vt eius egregia virtus gratior & iucundior omnibus videretur, vt animi pulchritudo corporis venustati mirè conueniret atq; responderet. Nā, quod rarissimū est exemplum, in pueritia magnopere frugi erat, & summè temperans, quemadmodū deinceps etiam per omne vitæ suæ curriculū semper fuit. Et frugalitatis quidē ac temperantiæ testes sunt ij, qui cum eo simul erudiebantur & versabantur: dignitatis autem corporis & pulchritudinis omnes, qui eum conspiciebant. Hæc autem omnia deinde cum ætate mirandū in modum aucta sunt. Quibus accessit postea fortitudo, & sapientia, & iusticia. Neq;, quod in alijs præclaris hominibus accidere solet, hæ virtutes in hoc homine ita mediocres fuerunt, vt vna tantùm earū excelleret, sicut in Themistocle fortitudo, in Aristide iusticia, in Solone sapientia, in xenocrate temperantia, sed omnes excellentes, omnes eximiæ: quod hactenus

ex

ex eius rebus gestis luce clarius apparuit. Tantū autem iā tum à prima ætate, & corporis ornamentis & animi bonis æqualibus suis antestabat, vt quicunque eum viderent, aut cū eo consuetudinem haberent, non tantùm eius amabilem naturā & præstans ingenium admirarentur, sed etiam comem & iucundā eius orationem, vrbanos & ciuiles corporis gestus, præsentem & acrē animum, senilem deniq; in puero prudentiam obstupescerent. Et iam eo tempore iudicarent, nullo modo fieri posse, vt eiusmodi natura demissis atque humilibus rebus contenta, priuatè viueret, sed alta quadam mente, sublimiq; animo maiora semper & honestiora spectaret. Cùm autem ad eius puram & integram vitā, & mores sanctissimos animū aduerterent, statim affirmabant omnes, eum aliquando maximum & religiosissimum sacrorū Antistitem futurum, vt, quod hoc tempore diuina prouidentia contigit, id iam in eius pueritia, quicunque eum noscerent, tantò antè diuinarent. Sed quoniam, vt in placido tranquilloq; mari quilibet optimus videtur esse gubernator, at in sæua tempestate semper virtus & scientia veri gubernatoris elucet: ita sæpissimè res secundæ sic ingenium obruunt, vt præstans vir ab abiecto discerni non facilè possit; aduersæ verò statim hominis excellentiam aperiunt: non in minima felicitate duxerim, quòd fortuna, bonis ferè omnibus contraria, semper huic insidias aliquo modo struere non cessarit. Qui per omne vitæ suæ tempus ita exercitus est, vt in molestijs & calamitatibus semper maior & præstantior appareret, atque illas cum ope diuina, quæ nunquam ei de-

fuit, tum etiã prudentia sua propulsaret. Cùm enim exploratũ haberet, omnibus fortunæ telis humanã vitam esse propositã, à teneris vsque annis ita Vulcanijs armis, id est, fortitudine atque animi magnitudine se contexit, vt illũ quidem frequentißimè fors aduersa concusserit, sed nunquã tamen omninò de gradu deijcere, aut labefactare potuerit. Postquàm igitur exceßit ex ephebis, & liberiùs illi viuendi potestas fuit, non se corporis voluptati, blandißimæ dominæ, tradidit, quod plerique faciunt adolescentes: neque aut equos ad currendum, aut canes ad venandum, vt ait Comicus, diligenter quærebat: sed omnibus honestis disciplinis studiosè operam dabat. Audierat enim, ab Ephicarmo Siculo verißimè dictũ fuisse, Laboribus omnia bona Deos immortales hominibus vendere: & à Musonio Philosopho, Iuuenem eum, qui laborem & animi contentionẽ refugit, seipsum bonis rebus omnibus indignũ ostendere. Quare studiũ & ardorem quendam amoris omnium ingenuarũ artium sic arripuit, vt eum nulla difficultas ab instituto cursu reuocaret: non libido ad voluptatem, non ocium ad animi remissionem, non denique somnus ad quietem. In primis tamen Iuris Ciuilis & Pontificij studium amplexus est: cùm quia videbat in eo maiores suos plurimùm excelluisse, fit enim hoc plerunque, vt quorum patres aut maiores aliqua gloria præstiterunt, hi studeant in eodem genere laudis excellere: tùm etiam, quia præclarè intelligebat, nullũ ex omnibus esse studium, nullam artem, nullã disciplinã, quæ magis ad omnes honores & dignitates aditum atque viam, quàm Ius ciuile,

Terent. And. Act. 3. sc. 1.

pate-

patefaciat. In hoc igitur studio ita continenter & assiduè versabatur, vt non solùm æqualibus suis, sed etiam longè natu maioribus antecelleret. Et quamuis Ciuilem scientiam, quæ reliquarũ scientiarũ, etiam Aristotele teste, domina atque regina est, præter cæteras ad omnes adamaret, tamen, quod mirũ erat omnibus, quoties ei reficere atque recreare animum, vel etiam iocari libuisset, ita Rhetores ad declamandũ, ac disserendũ Dialecticos, Poetas ad versus extempore pangendos inuitabat, vt maxima cum astantiũ omnium admiratione atque voluptate victor sæpissimè discederet. Quæ ingenij vbertas & promta celeritas deinde semper aucta, & perpetua meditatione conseruata, nunc etiam in ista ætate, quã videtis, integra perseuerat. Nam, omnium eruditorum testimonia, cùm prudentia, & acumine, & subtilitate, tũ verò eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dederit, omnium est facilè princeps. Vidi ego nuper, nec sine mirifica quadã voluptate, vidi scriptũ ab eo perquàm ingeniosè subtiliterque de fortunæ varietate atque inconstantia, quæ longo illi tempore molesta fuit, epigramma, quod, meo quidem iudicio, nulli veterum Latinorum eius generis scriptioni postponendum est, pluribus verò longè etiam anteponendũ. Sic igitur ab adolescentia vitam suam instituit, vt nullam aliam voluptatem, nullã delectationem, quàm ex disciplinis perciperet: quas omnes ita diligebat, vt suauissimum quendã esse pastum animorum prædicaret: in eis totus erat, in eis noctes & dies versabatur. Nã quod vel nulli, vel certè paucissimi possunt, eo semper animi ro-

1. Ethic. 2.

bore, ea indole virtutis & continentiæ fuit, vt omnem vitæ suæ cursum in labore corporis atque in animi contentione confecerit: non eum quies, non remissio, non æqualiū studia, non ludi, non conuiuia delectarint; nihil denique in vita penitus expetendum putarit, nisi quod esset cum laude atq; dignitate coniunctū. Itaq; cùm adhuc in publicis gymnasiis versaretur, frequentes erant cū eo semper adolescentes honestissimi, rectissimisq; studijs & optimis artibus dediti. Perspiciebant enim in eo non solùm præstans ingenium elucere, quod assiduitate atq; industria quotidiana plurimùm aleretur, sed etiam genus orationis, facultatē, copiam sententiarū atq; verborum, & cognitione rerū institutā, & curæ & vigilijs elaboratā. Neque mirum hæc iam tū in adolescente fuisse. Non enim aliorū adolescentium vestigijs insistebat, non tritā ab alijs viam sibi proponebat, sed magnos esse experiendos & subeundos sibi labores existimabat. Natum enim se virtuti, non desidiæ, dignitati, non voluptati, patriæ, ciuibus suis, laudi, gloriæ, non somno & conuiuijs, & delectationi prædicabat. Quare tantùm ea sequebatur, quæ nisi vigilantes, nisi sobrij, nisi industrij homines assequi non possunt, quæ dignitatem, quæ laudem, quæ gloriam afferunt, quæ sunt ampla, quæ diuina, quæ immortalia, quæ fama celebrantur, monumentis annaliū mandantur, posteritati propagantur. Cùm igitur adolescentiæ suæ florem ita traduxisset, vt esset omnibus quasi quoddam laboris, continentiæ, religionis, innocentiæ, pietatis exemplar: subsecutum est postea tempus illud, quo propter excellentem Iuris Ciuilis & Pontificij

ficij doctrinam Laurea decoratus, in Iurisconsultorum collegium cooptatus est. Quo quidem tempore non ipse tantum honorem, qui maximus erat, à collegio, quantum ab ipso dignitatis & amplitudinis collegium accepisse visum est. Tantus enim hominum concursus ad eum audiendū factus est, vt non modò non subsellia frequentissima, sed ne ædes quidē amplissimæ minimam audiendi cupidorū partem capere potuerint. Qua verò grauitate, Dij immortales, qua prudentia, qua dicendi maiestate, totam vitæ suæ studiorumq; rationem reddidit! Quam prompto animo, quo acumine ingenij, quo verborum splendore, propositas sibi legum quæstiones, & Iuris vtriusque nodos facilè dissoluit! Quibus rebus effectum est, vt multò maiore cum gloria celebritateq;, quàm alius quisquam ea tempestate, Iurisconsultus declaratus sit. Postquàm igitur tantæ cum laude atque approbatione doctissimorum hominū, Iurisprudentiæ fuit insignibus decoratus, memor quam viuendi rationem ab ineunte ætate suscepisset, & quàm grauem personam sustineret: omni diligentia prouidendum sibi esse censuit, vt nihil, quod ad vitæ superioris dissentaneum, aut Iurisconsulti personæ grauitatiq; non consentaneum videretur esse, committeret: sed in respondendo iure ita sese gereret, vt summis, infimis, mediocribus gratus esse posset. Magnam enim laudem, & gratam hominibus esse censebat, in ea scientia plurimùm elaborare, quæ multis esset profutura. Quæ quidem eum cogitatio deliberatioque non fefellit. Cùm enim ea, quæ proficiscuntur à legibus & à iure ciuili, semper ad facultatem æquitatemq;

temq; referret, neque constituere litiũ actiones mallet, quã controuersias tollere, sic ad eius consiliũ vndique, tanquã ad oraculum quoddã, multi mortales conueniebant. Eius autẽ omne studiũ in eo consumebatur, vt supplicibus & innocentibus opẽ ferret, salutem daret, periculis liberaret, fraudes omnes & calumnias, ex falsa iuris interpretatione coortas, è medio tolleret, suũ denique cuique tribueret. Et quamuis eius vestibulũ & ianua maxima, quotidie frequentia ciuium, ac summorũ hominũ splendore celebraretur, non tamen vnquã ita defatigatus erat, vt quenquam inconsultũ à se dimitteret: sed omnibus æqualiter lucem animi, ingenij, consilijque sui patefaciebat: omnibus ad se faciles præbebat aditus: omnes leniter ac patiẽter audiebat: denique magis ad aliorũ arbitrium, quàm ad suum viuebat: neque tantum sibi præmium, aut opes, aut gratiã, quantum decus, iusticiã, æquitatem proponebat. Hac fama impulsus Maximianus Sfortia, dux ac princeps Mediolanensium, hunc vnũ ex maxima præstantissimorũ Iurisconsultorũ multitudine, quam semper hæc nostra ciuitas habuit, eligere voluit, cui secreta sui cõmunicaret, & quo maximis in quibusque rebus consiliario, rerumque gerendarũ auctore niteretur. Audiebat enim, ac præsens ipse videbat, hunc in negocijs maximè laboriosum esse, in periculis fortissimũ, in aggrediendis rebus industrium, in prouidendis sagacissimũ, in conficiendis celerrimũ. Itaque sperabat, hoc adiutore & consultore suũ imperium longè melius iustius administratum iri. Quæ spes eum & expectatio non fefellit. Sic enim

enim suscepti negocium prudenter & sapienter agere instituit, vt omnibus in rebus lux quædã iusticiæ & æquitatis orta ciuitati nostræ videretur. Quãuis enim in eo semper fuerint & animi & ingenij celeres quidã motus, qui ad excogitandũ acuti, & ad explicandũ vberes, & ad rectè faciendum promti viderentur, semper tamen in considerandis rebus & tempus & diligentiã adhibebat, neque vnquã extempore de vlla re pronunciabat: suũ namque consilium, quod ad Reipubl. summã sapißimè spectabat, non præcox, sed maturũ oportere esse censebat. Illud enim præclarè intelligebat, sæpenumerò fieri solere, vt consultorum temeritate maximæ quæque res euertantur. Atque id etiã secum animo voluebat, principẽ ipsum à consilio suo pendere totũ, atque ideo in sua esse potestate, vt vel benè, vel malè res omnes administrarentur. Audierat porrò, non semel à Platone dictũ fuisse, rem quandam sacrã esse consultorẽ, quem non soìum ab omni crimmis labe, sed etiã à suspicione purum esse deceat. Itaque tã sapienter & iustè consulebat, tam castè atque integrè se gerebat, totã vt Rempubl. nostrã suis ipse penè solus humeris sustineret. Tanta præterea diligentia res singulas prouidebat, tanta modestia suas actiones omnes dirigebat, vt eũ non tantùm ciues nostri, sed etiã peregrini vehementer & amarent & vererentur. Nihil verò titubanter, nihil inordinatè, nihil temerè faciebat: sed in omnibus eius dictis & factis inerat summa constantia, veritas, & circumspectio. Non pudor, non integritas, non religio, non assiduitas vnquam in eo requisita fuit. Nullum

vnquam vlla ciuitas consilij publici auctorem neq; moderatiorem neque sanctiorem non modò vidit, sed aut sperando aut optando cogitauit. Nullum hic vnquam officium prætermisit eorum, quæ ab illo consultore seruari debent, qui communem semper vtilitatem priuatis cõmodis anteponat, & qui maiori patriam caritate, quàm propriam vitam prosequatur. Quamobrem tantopere prudentiam eius suspiciebat Maximianus princeps, tanti eum faciebat, vt ne latum quidem vnguem ab eius consilio sibi recedendum esse censeret. Interim accidit, quod in rebus humanis fieri solet, quæ sursum ac deorsum perpetuò feruntur, neq; in eodem statu diutius consistere possunt, vt Respubl. nostra bellicis tumultibus exagitata, varijs cladibus & offensionibus vexaretur. Quo tempore noster hic Antistes Romam cum Sedunensi Cardinale, cui propter singularem prudentiam & eximias ingenij suauitates quàm carissimus erat, profectus est: vt cùm iam apud nos præstantissimæ sapientiæ suæ, rarissimæq; virtutis documenta maxima dedisset, etiam in vrbe illa, quæ cæterarum vrbium domina atque regina est, & in qua religionis, & sacrorum, & ceremoniarum omnium iampridem domicilium est constitutum, quid ipse plurimis laboribus & longissimis vigilijs in rebus diuinis, & ad summam religionem pertinentibus antea profecisset, palàm ostenderet. Quod sanè paucis ei diebus, nondũ id agenti, maximo cum honore gloriaq; contigit. Profectò latere non potest egregia virtus, sed quò magis occultatur, eò magis lucet ipsa per sese, splendetq; etiam in tenebris, & eos, in quibus est, apud

omnes

omnes gentes ac nationes laudabiles & vehementer amabiles efficit. Vix dum Romam hic noster attigerat, cùm eius nominis fama per totam vrbem longe lateq; diffusa est; cùm eius præstantiam omnes admirati, quàm honestissimos de eo sermones habere cœperunt. Itaque non tā ipse ad alios visendos & salutandos, sicut fieri solet; quàm alij ad eum frequentissimi veniebant, & magno studio quotidie domo deducebāt & reducebant. Quinetiam eū Leo Decimus Pontifex Maximus ad se accersi iussit, & multis atq; honorificentissimis verbis cōmendatum, pòst paulò multis affecit honoribus. Iā verò magnū illud atque memorabile fuit, quòd, cùm eo tēpore tota ferè Germania tumultuaretur, populiq; feroces atq; indomitæ nationes cōtra fidei religionisq; Christianæ principem insurgere iam auderent, multaque iam tum meditarentur, sanctissimorum virorum & pontificum institutis contraria, Christianisque legibus repugnantia, circumspectis omnibus Leo Decimus, ex omni Antistitum collegio tandem hunc vnum elegit, quem & prudentia, & consilio, & auctoritate plurimùm excellere videbat: cuius fortem & constantem animum, admirabilem in reducendis ad rectam viam atque honestatē hominum mentibus dicendi vim & facultatem agnoscebat: cuius denique fidem, integritatem, sanctitatem perspectam & cognitam habebat. Hunc igitur vnū in tumultuantem Germaniam ad res componendas, & Apostolici solij Pontificiaq; maiestatis negocia peragenda, cum summa potestate nuncium ac legatum misit. Hic autem animo reputans,

tans, quàm magnũ & quàm periculosum onus humeris suis impositũ esset, omnem sibi ingenij aciem, omnes neruos intendendos esse statuit, vt non tantũ ea legatione fidelissimè fungeretur: sed etiã vt præclarũ aliquid efficeret, quod & dignũ expectatione, quam de se omnibus concitarat, & dignũ denique Pontificis iudicio, quod de se fecerat, esse videretur. Quare tantã erga omnes, ad quos accedebat, modestiã, tantamqúe humanitatem ostendebat, tanto dicendi artificio vtebatur, tã ingeniosè, quæ ad Christianas leges attinent, explicabat, vt multarũ nationum animos, non mediocriter labantes & fluctuantes, in fide ac religione facilè confirmarit: totamqúe ferè prouinciã illam ita peragrarit, vt omnibus esset venerabile quoddã antiquæ religionis & sanctitatis exemplum, omnes eum suspicerent, omnes eius auctoritati sibi parendum esse censerent. Erat enim in admonendo mitissimus & humanissimus, in victu verò suo continentissimus & seuerissimus, in consilijs dandis prudentissimus: in corrigendis vitijs maximè comis & mansuetus, vt cum æqualiter omnes argueret, increparet, emendaret, tamen affabilitate comitateq; sua consequeretur, vt eos ipsos, contra quos statuisset, æquos, placatosq; dimitteret. Neque dubiũ esse potest, quin omnia breui tempore, quæ ad religionẽ pertinent, in illa regione prouido ac diuino huius consilio placata & tranquilla futura fuissent, nisi factiosi quidam & turbulenti homines, discordiarũ amatores, pacis & religionis inimici, motus populorũ & seditiones concitassent: Quib. hic noster non aliter atque olim Paulus ille Tarsenses,

nostræ

nostræ persuasionis anteſignanus, & Petrus ille Bar Ionæ, dux ac moderator Eccleſiæ Chriſtianæ ſuis aduerſarijs aliquandiu maximo cum animo, conſtantia, dignitateq; reſtitit. Sed quod fretum, quis Euripus tot motus, tantas, tam varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantos æſtus habet populariorum vita? cùm præſertim eos auctores habet, quos eſſe ſapientes exiſtimat. Totã opinionem parua nonnunquam cõmutat aura rumoris: ſæpè etiam ſine vlla aperta cauſa conſiliũ mutat. Nihil eſt incertius vulgò, nihil obſcurius voluntate hominũ, nihil fallacius imperita multitudine. Sic Epheſij quondam Paulum Tarſenſem, Chriſti legatũ, primò tanquam Deum immortalem venerati ſunt, deinde non ita multò pòſt ex vrbe ſua, tanquã impium hominem, expulerunt. Sic plerique alij ſanctiſſimi viri plurimas pro Chriſtiana fide calamitates & incommoda pertulerunt. Quos omnes ſibi proponens imitandos hic noſter, omnia firmiſſimo conſtantiſſimoq; animo tolerabat: & ſibi potiùs honeſtè moriendum, quàm ſeditioſis hominibus & imperitæ multitudini cedendũ eſſe ſtatuebat. Cùm ecce Tyrannus quidam, non modò ab omni pietate cultuq; diuino, ſed etiã ab omni humanitate remotiſſimus, qui benignè hunc antea ſuſceperat, non quia religionis vlla eſſet ei cura, ſed quia ſperabat hac ratione, ſi talem tamq; religioſum virum apud ſe habuiſſet, fore, vt etiam ipſe pius ac religioſus exiſtimaretur, & populi ſibi ſubiecti magis dicto audientes eſſent, atque ita maior ſibi licentia in quoſcunq; vellet, graſſandi præberetur, de repentè hunc inuadit, & necandũ trucidandumq; ſatel-

satellitibus suis denotat. Neq; hoc alia de causa, nisi quia nefarijs eius facinoribus & impijs cogitationibus hic modestè mansueteq; resistebat, & ad Christianè viuendū humaniter inuitabat. Cùm igitur diuina quadam prouidentia, quæ præstantibus viris deesse nunquā solet, Tyranni illius insidias hic præsensisset, nequa diutiùs morando se illas euitare posse vllo modo intelligeret; memor illius Euangelici præcepti, quo iubemur, vt, si qua in ciuitate nos impij viri persequantur, ad aliam confugiamus; neq; tantum de sua, quantū de sociorum & comitū suorum salute solicitus; tandem cedendum impiorum hominum furori & tyrannicæ crudelitati sibi esse censuit. Itaq; quàm occultissimè potuit, equis ad celeritatem commutatis, sic ab illa prouincia discessit, vt bonis omnibus, quicunq; ibi erant, mœrorem ac tristiciam, impijs autem & sceleratis gaudium & læticiam eius discessus attulerit. Nam postea factio illa perditorum ac furiosorum hominū, victrix fidei, religionis sanctimonia, non impietatis, libidinis, arrogantiæ, totā ferè Germaniā peruagata est: & Tyrannus ille, quasi bestia quædam immanissima, sic odio religionis exarsit, vt omnes eius regionis Antistites, quos pietatis atq; honestatis cultores esse intelligebat, ad vnum crudelissimè trucidarit. Sed quàm gratus Francisco Sfortiæ Secundo! Mediolanensiū Duci fuit huius in patriam reditus! quàm iucundus bonis omnibus? Tantū enim eo tempore gaudij, tantum læticiæ cepit cùm ipse princeps, tum vniuersa Mediolanensis ciuitas, vt noua quædam felicitas cunctis oblata, vel potiùs reddita videretur. Viuebat enim adhuc in animis

mis omnium huius memoria: meminerant, quàm integrè, quàm continenter, quàm iustè Maximiano Sfortia Duce, Rēp. gessisset. Quare licet hunc apud se Franciscus Princeps & omnes ciues vehementer esse cuperent; tamen cùm negocium quoddam maximi ponderis & momenti cum summo Pontifice pertractandum esset, neq; quisquam alius in hac vrbe reperiretur, qui prudentiùs aut meliùs huiusmodi legationem obire posset, vicit tandem publica vtilitas priuatum desiderium. Quamobrem ex principis ipsius, & totius ordinis senatorij consensu legatus in Hispaniam ad Adrianum Pontificem Maximū missus est: apud quem cùm omnia fideliter atq; ex principis sui sententia confeciſſet, ipsum Pontificem, virū & doctissimum & optimū, cùm sua singulari atq; eximia fide, prudentia, virtute, tū eloquentia, mirificaq; dicendi facultate breui tempore sibi ita deuinxit, vt is à suo latere nunquam hunc postea dimiserit. Cum hoc enim diuina consilia sua sæpissimè communicabat, cum hoc de summa religionis frequentissimè consultabat, cum hoc deniq; omnia seria iocosaque conferebat. Quòd si diutiùs Adrianus viuere potuisset, nemini dubium fuit, quin hunc paucis mensibus in Cardinalium collegium cooptaturus esset. Verùm, vt opinor, terris fata Pontificem tam salutarem tamque pium inuiderunt. Abijt igitur ad superos breui tempore, maximum sui desiderium toti Christianæ Reipublicæ, huic verò non mediocrem tristiciam & luctum relinquens Adrianus Pontifex. Sed tamen dolorem, quem hic ex Adriani morte ceperat, Clementis Septimi, qui successit in

Pon-

Pontificatum, benignitas aliqua ex parte mitigauit: magno enim amore ſummaq; beneuolentia hunc eundem amplexus eſt. Nā primò gratulatū ad ſe venientem nomine Franciſci Sfortiæ Secundi, cuius hic Romæ legatus erat, maximè præter cæteros comiter ac liberaliter excepit, humaniter allocutus eſt, multa pollicitus. Quo poſtea factum eſt, vt cùm ipſius meritis & præſtantiſſimis virtutibus, tum rogatu precibuſq; Franciſci Sfortiæ commotus Clemens Pontifex maximus, hunc Epiſcopum Nouarienſem creauerit, & ſemper deinceps, quoad Romæ fuit, cariſſimū & gratiſſimum habuerit. Verùm non hunc cōmunis aliorum ferè omnium ambitio cupiditasq; detinebat: qui quantò maiores aut opes aut dignitates acquirunt, tantò plures quotidiè concupiſcunt, & quo plura poſſident, eò magis accenditur in eis cupiditatis ſitis: ſed præſenti conditione, rebusq; iā à ſe quàm honeſtiſſimè partis contentus, ſuſcepto Epiſcopatu cogitabat, quantum onus humeris ſuis ſuſtineret. Et cùm omnia ſemper antea fugiendæ turpitudinis, & amplectendæ honeſtatis cauſa feciſſet, tunc poſteaquam creatus eſſet Epiſcopus, omnes ſibi animi vires excitandas, omnia circumſpicienda, omni vtendum eſſe diligentia cenſebat, vt non modò quicquam eiuſmodi ne cōmitteret, quod aliqua ratione reprehendi poſſe videretur, ſed etiam omnia ſic ageret, vt ea facilè inuidorum etiam exiſtimatio comprobaret. Sic igitur à ſummo Pontifice ſibi creditum ac cōmiſſum Epiſcopatū adminiſtrare cœpit, vt ſe omniū officiorum obſtrictū religione arbitraretur, vt omnium oculos in ſe vnum coniectos exiſtimaret, vt

digni-

dignitatem suã quasi in aliquo orbis terræ theatro versari crederet: sibi religionis atque animorũ curam, sibi sacrarum rerũ procurationem esse cõmissam, sibi Deum immortalem populo Christiano precibus atque hostijs placandũ, sibi sacrificia atque officia diuina, maxima cum cerimonia, singulis diuis esse facienda, sibi denique totam fidẽ & religionem tuendã esse datam intelligeret. Quare tam seuerè, tã continenter, tam sanctè cœpit vitã agere, vt cùm eius integritati religioniq; nihil aliud antea videretur accedere posse, tunc addita illa dignitate, maximus ad summã eius præstantiam cumulus accesserit. Et quãuis iucundissimus illi esset honos, à Pontifice sibi delatus: tamen nequaquam tantũ capiebat voluptatis, quantũ solicitudinis & laboris, vt ille ipse Episcopatus, non quia necesse fuerit, alicui dat⁹, sed quia sic oportuerit, rectè collocatus, & iudicio summi Pontificis digno in loco positus esse videretur. Sic igitur postea semper vitam egit, vt omnia, quæ iucunda videntur esse, non modò his extraordinarijs cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati denegarit. Nullam igitur amplius dignitatis accessionem quærens: quod homini probo satis magnum esse decus & ornamentum iudicabat, si se bonum Episcopum præstare posset, domum iam spectabat, & ad suos redire cupiebat: cùm ecce maximè opportuna sese obtulit occasio. Nã Franciscus Sfortia Secundus, cuius antea mandato legatus hic ad Adrianum Pontificem accesserat, & à quo iã antea senator designatus fuerat, huius tanti viri absentis desiderium diutiùs ferre nullo modo potuit. Itaque literis &

nuncijs eum tamdiu solicitauit, donec Romæ compositis rebus suis, hic tandem, vt & sibi & optimo principi suo satisfaceret, in patriā hanc suam & nostrā reuersus est; quem statim vt Mediolanum applicuit, summo cum honore exceptum Franciscus Dux Senatoria dignitate, magno totius ordinis non modò consensu & approbatione, sed etiam plausu & gratulatione cohonestauit: & deinceps sibi perpetuò assistere, & omnium consiliorum moderatorem & auctorem esse voluit. Atque hoc certè maximū & singulare Arcimboldiæ genti contigit; quod haud scio an vnquam in hac ciuitate fuerit gens vlla alia cōsecuta, vt quatuor deinceps per continuam successionē summo cū honore ac celebritate senatores crearentur. Nam & huius proauus Nicolaus, vt initiò dixi, & auus Ioannes, & pater Aloysius, & hic deniq; noster, qui etiam hoc tempore in senatu primo post senatus principem loco sedebat, senatores & publici consilij auctores, maxima cū huius ciuitatis vtilitate gloriaq; fuerunt. Quod mehercule neuini, qui huius vetustissimæ & clarissimæ familiæ merita diligentiùs intueatur, mirum videri potest. Quando enim fuit, cùm hæc nostra ciuitas & in bellicis rebus atque arte militari, & in consilijs dandis atque administratione Reipublicæ, Arcimboldiorum ope & auxilio non vteretur? Plenæ sunt omnium voces, pleni libri, plenæ historiæ meritorum & rerum gestarum Arcimboldiæ gentis. Quare facilè quiuis non iniquus rerum æstimator intelligere potest, semper cæteris familijs hanc gentem longè præstitisse: quæ non propriam, sed communem vtilitatem perpetuò quæsierit: quæ

non

non tantùm patriæ suæ, sed etiam exteris nationibus, quantum fieri posset, prodesse studuerit. Vnde meritò crediderim, tantæ virtutis insignia, cōmuni gentium consensu, huic familiæ à maioribus nostris fuisse tradita. Tres enim stellas fulgentissimas in circuli parte rutila, quem aureus campus vndique circundat, Arcimboldiæ familiæ decorum & egregium insigne continet. Quo certè nihil aliud ostenditur, quàm in hac familia semper fuisse cœlestem ac diuinā benefaciendi potestatem, studio cuidam ardoris & inflammatæ voluntatis copulatam; qua res omnes, quascunque aggrederetur, non tantùm optimè, sed etiā summa cum gloria conficeret. Sicut enim stellarū motu atque lumine cuncta in hoc inferiori orbe gignuntur, & vigorem accipiunt; neque quicquam est infra lunæ globū, quod sine cœlesti auxilio, cursuque siderum nasci aut conseruari possit: ita maiores nostri, cùm illud insigne tribuendum Arcimboldijs esse censuerunt, apertè declarare voluerunt, se sine illorum splendore, ope, virtute, diutiùs incolumes esse non posse. Tres autem ideo stellas, non vnam tantùm aut plures addiderunt, vt ternario numero, qui perfectus est, eò quòd & principium, & medium, & finem habet, atque immortali Deo mysticæque Triadi consecratur, huius familiæ præstantiam atque excellentiam denotarent. At verò circuli pars ea rutila, quæ stellas amplectitur, quid aliud significare credi potest, quàm ardens quoddam studium, & inflammatum atque incensum de patria benè merendi desiderium? Est igitur in stellis res præclaræ gerendi facultas; in rutila circuli parte

summæ voluntatis & ardoris significatio. Quid autem aureus ille cãpus, quo stellæ, circuliq; pars continetur, aliud, quàm eximias planeque aureas horum hominum actiones ostendit? Vt enim aurum metallorum omnium præstantissimum est, & magnorum sæpe laborũ præmiũ: ita præclaræ actiones cætera omnia, quæ sunt in homine, superant, atque in eis omniũ virtutum laudes consistunt. Cùm autẽ hæc familia tot tantasq; res præclarissimè gesserit, haud immeritò non tantùm stellis & orbe rutilo, sed etiã campo aureo decoratur, vt omnes intelligant, patriam nostrã iampridem ingentes ab Arcimboldia gente commoditates & emolumenta reportasse. Sed, vt vetera prætermittamus, quis est hoc tempore, qui nesciat, quantum huius Archiepiscopi nostri prudentia sapientiaq; pluribus iam annis, quibus in Senatu pro Principe sedet, huic ciuitati nostræ vtilitatis attulerit? Illud enim etiam publicæ felicitati gratulandum est, quòd, ex quo tempore Reipubl. gubernaculis hic admotus est, à maximis molestijs & turbulentissimis tempestatibus, quibus assiduè concutiebatur nostra ciuitas, aliquantulũ acquieuit, & paulatim ad securissimũ quietis & tranquillitatis portũ delata est. Dedit igitur huic Franciscus Sfortia senatoriã dignitatem, hic illi publicum ocium reddidit: cõmunicauit huic imperij administrationẽ, hic illi molestiam & angorem ademit. Qua in re magis solicitus hic, ille securior factus est. Non igitur propria cupiditas, non proprium cõmodum, sed alienũ desiderium, aliena voluntas Senatorem hunc effecit. Non aliorũ ambitionem imitari, sed virtuti suæ confidere,

dere, sicuti semper, voluit. Nã alij plerique, quod assequi virtute non possunt, id pecunia tentant: itaque dignitates iã non donantur, sed emuntur. At hic noster non quidem honorẽ ambiuit, sed oblatũ à bono principe munus recusare noluit: quãuis ita statueret, non se in quietis & ocij, sed in laborum curarumque societatem vocari. Cùm autem iam plurimos extra patriam suã labores pro cõmuni vtilitate suscepisset, dignũ etiam se, dignũ maioribus suis existimauit, id, quod sibi restabat ex vitæ curriculo, patriæ totũ impendere, lumen animi, lumen ingenij sui ciuibus ostendere, labores, vigilias, curas, solicitudines pro ciuitatis suæ salute perpeti. Quare sic inter Patres conscriptos assumtus est, vt non iã ipse maiorem dignitatem, quã habebat amplissimã, ab illo ordine accipere, sed ordo ipse huius accessione splendorem ac maiestatẽ suam amplificare videretur. Ita verò senatorijs muneribus posteà semper inuigilauit, quasi ab alijs negocijs omnibus vacuus fuerit. Admirabilis profectò semper fuit huius animi vigor, mirifica vis ingenij, celeritasq; mentis: simul enim res maximè diuersas, negotiaque prorsus varia vno eodemque tempore diligentissimè tractauit. Nãm Episcopatu suo non tantùm quæ ad religionem, & sacrarum rerũ procurationem pertinent, sed etiam quæ ad ciuiles capitalesque causas, & ad merũ mixtumque imperiũ, vt Iurisconsulti vocant, administrauit. Siquidem in ampla regione pluribusque oppidis, Nouariensis Episcopus vitæ necisque potestatem habet: quam hic noster quatuor & viginti annos ita sapienter exercuit, vt bonis omnibus gratissimus,

improbis autẽ maximè formidolosus extiterit. Quin etiam interim reditus annuos iustissimis rationibus plurimùm amplificauit: & longè nunc maiores successori suo, quàm ipse acceperat, tradidit. Nam Vespolatum oppidum, iam per annos amplius octoginta per quorundam iniuriam ab Episcopatu diuulsum, & à profanis hominibus possessum, labore & industria sua in pristinum statum reduxit. Quamuis potentissimos habuerit aduersarios, qui cum eo diu multumque litigarunt: sed tandem, cùm huius assiduitate diligentiaque, tum æquissimo iure, rationibus, senatus auctoritate, sententijs omnibus victi condemnatique, de possessione diuturna dejecti sunt: atque ita quadraginta sestertiorum milliareditibus annuis eius Episcopatus accesserunt. Erat eodem tempore Francisci Sfortiæ consiliarius; quo in officio tot occupationibus & negocijs distringebatur, vt illi vni bene satisfeciſſe permagnum esset: & tamen in senatum quotidie veniebat, neque vllam omnino causam, qua posset alicui, vel infimo prodesse, repudiabat. O præstantiam animi incredibilem! ô inauditas ingenij vires! ô celeritatem mentis eximiam! Huius ædes consultoribus erant perpetuò refertissimæ: videres alios intrantes, alios exeuntes, alios hunc circumsistentes: quibus omnibus facilimè celerrimeque satisfaciebat. Prouidendum erat ijs populis, qui ditioni eius erant subditi; confestim prouidebat. Consulendum erat imperio rebusque Principis; sine vlla cunctatione consulebat. Veniendum erat in senatum, vbi de maximis ciuitatis rebus esset agendum,

dum, illico veniebat, & optimarum sententiarum auctor erat. Quis non miretur, vnũ hominem tot rebus tamq; diuersis sufficere posse? Sufficiebat: &, quod admirabilius est, post tot labores & vigilias promptior & alacrior continenter apparebat. Huc accedebat cura domesticarũ rerum; quas, vt optimum decet Antistitẽ, tanta cum religione seueritateq; semper instituit, vt non aliter domi suæ viueretur, quàm in sanctissimo aliquo Vestaliũ virginum conuentu. Quid preces ac meditationes diuinarum rerum commemorem? quibus ita semper deditus fuit, quasi nihil aliud illi agendũ esset. Mirentur sanè Romani veterem Catonem illũ Censoriũ, mirentur Aemilianũ Scipionem: qui duo viri tres summas in homine res præstitisse iudicati sunt: nã optimi oratores, optimi imperatores, optimi senatores fuisse dicuntur: modò fateantur omnes id, quod negari non potest, longè maiori dignum admiratione nostrũ hunc Archiepiscopũ, qui non tantum tres illas res eximiè præstitit, sed alias etiam plurimas, & quidem ob religionem laudabiliores, eis adiecit. Quid deinde? An non Catonẽ & Scipionem status temporũ, leges atque instituta patriæ ad eas res acquirendas plurimùm adiuuerunt? hunc autem his corruptis moribus, neglectis veteribus institutis, iniquissimis temporibus profectò tantùm innata bonitas, voluntas, industria summam ad amplitudinem & dignitatem prouexit. Quid enim mirũ, inter Fabios, Marcellos, Paulos, Lælios, tales extitisse? cùm imitationis ardor, semperqúe melior aliquis ad palmam præripiendum eos accenderet. Hoc certè summè est admirabile, quòd

hic noſter ſine exemplo, ſine æmulo, ſecū ipſe certans, cùm meliorem ſe nullū videret, vbicunque fuit, omni tempore maior & clarior euaſit. Ac mihi quidem in huius vitam ſtudiosè diligenterqúe inquirenti, viſa eſt eapotiſsimū cauſa, quòd ad tantam virtutū excellentiam peruenerit, quia frugalitatem ſemper vigilantiamqúe mirandū in modum cōplexus eſt. Nam, vt alio in loco dicā, tanta in victu temperantia vtitur, vt niſi tantum cibi potioniſqúe ſumat, quantum ſatis ſit, non ad ſatiandā, ſed ad mitigandam famis ſitisq; cupiditatem. Scit enim verè dictum à ſapiente quodam Græco, nullo modo fieri poſſe, vt pinguis venter tenuem ſenſum atque intelligentiam gignat: neminemqúe multo cibo potioneqúe repletū, mente rectè vti poſſe. Iam verò tanta eſt eius vigilantia, vt maiorem noctis partem in negocijs inſumat, & cum valetudine ſomnum cōpenſet. Frequenter enim id Platonis dictū habet in ore, Dormientem hominem nulla penitus re dignū eſſe: vigilantes autem ciuitatū principes, & improbis ciuibus, & hoſtibus æqualiter eſſe formidabiles. Ideo ſapientiſsimè præceptū ab Homero prædicat, ne princeps & publici conſilij auctor, cui populi cōmiſsi ſunt, & qui tot ac tanta negotia ſuſtinet, totam vnquam noctem dormiat. Sibiqúe hac in parte proponit imitandū Epaminondam illum Thebanorum imperatorem, qui ſe dicebat ideo ſobrium & vigilantem eſſe, vt cæteris ciuibus ſecurè liceret & dormire, & voluptatibus indulgere. Quin illam Demoſthenis vocem aureis ſcribendam eſſe literis, & in ore atque mente ſemper habendam eſſe dicit, qui vehementer ſe do-

Iliad. a.

lere

lere dicebat, si quando opificū antelucana victus esset industria. Quare hac etiam senili ætate, quæ requiem & laborum alleuationem quærit, tamen ante lucem quotidie surgit è lecto, venit in senatum primo diluculo: nulli denique iuuenū assiduitate, labore, vigilantia cedit. Est hæc incredibilis ac diuina diligentia, quæ facit, vt tot negocijs, tamq; diuersis vnus sufficiat. Nam præter cæteras maximas atque innumerabiles occupationes, quibus assiduè districtus fuit, ad hanc vsque diem ita senatorium etiam munus obiuit, vt omnes ciues & peregrini non tantùm eius prudentiam & iusticiam, sed etiam humanitatem, placabilitatem, clementiam magnopere dilexerint: omnes ad eum tanquam ad asylum aliquod confugerint: quicunque causam aliquam difficilem atque arduam in senatu haberent, votis omnibus expeterent, vt huic vni transigenda cōmitteretur, qui non modò pecunias vnquam nullas pro re iudicanda, sed ne munuscula quidem vt acciperet, adduci potuit, qui primò, si quo modo posset, semper controuersias componere tentauit: deinde si obstinatos litigantium animos videret, neq; ad vllam conuentionem adduci posse, quàm primùm quid leges & iura postularent, accuratissimè circumspiciens, sententiam tulit. Itaque huic salutem suam omnes, huic fortunas, huic liberos rectissimè committi semper arbitrati sunt. Quid in cæteris rebus, quo mentis acumine, quo animi robore, quàm acri iudicio cuncta gerit atque administrat? Quid beneficentiam, iusticiam, fidem, omnesque eas virtutes, quæ pertinent ad mansuetudinem morū & facilitatem, cōmemorem? qui-

bus iampridem hoc assecutus est, vt eum vniuersus Mediolanensis populus non aliter atque cõmunem patriæ parentẽ amet, obseruet, suspiciat: neque vllũ vnquam diem huic vrbi lætiorem, quàm hunc, in quo factum eum Archiepiscopum videt, illuxisse prædicet. Nam omnes antea cuiuslibet ætatis homines vota faciebant, vt is vnus hanc dignitatem assequeretur: neque se aut in hac vita bene beateq; viuere, aut post mortem cœlestium beatitudinem assequi, neque res sacras bene procurari, neq; religionem rectè defendi posse, nisi Arcimboldius hic, patriæ suæ singularis amator, Archiepiscopus factus esset, existimabant. Quod quidem cõmune ciuitatis desiderium cùm antea sæpissimè, tum hoc tẽpore præcipuè clarissimè demonstratum est. Cùm enim iam tandem ex voluntate Iulij tertij Pontificis maximi, summaq; totius Cardinalium collegij approbatione, creatum hunc Archiepiscopum nunciatum fuisset, derepentè, quemadmodum initiò dixi, miro quodam gaudio & exultatione repleta est vniuersa ciuitas: statim principes ciuitatis homines ad eum vndique gratulatum aduolarunt: neque quisquam vllius ordinis in tota vrbe fuit, qui maximalætitiæ signa non dederit. Quid autem de hodierno die dicam? quo plurimùm expectatus desideratusq;, ad Archiepiscopatus insignia capienda, hoc in Deorum domicilio temploque maximo, sicuti maiorum instituta postulant, vrbem ingressus est? quid glorioſius ad æternam memoriam & immortalitatem huic accidere potuisset, quàm tanta popularis obseruantiæ, pietatis, lætitiæ significatio? Non enim ætas quenquam, non valetudo,

non

non sexus retarduit, quo minùs oculos, animũ, mentem, insolito spectaculo cumpleret: hunc parui noscere, iuuenes ostentare, senes mirari magnopere gaudebant: ægri quoque, neglecto Medicorum imperio, ad huius conspectum, quasi ad salutem sanitatemqúe, prorepere voluerunt. Vidimus oppletas vndique vias, angustamqúe semitam huic ad ingrediendum ob immensam turbam, ad spectandum effusam, relictam esse: tecta referta, ac nimio pondere superfusæ multitudinis laborantia: ac ne eos quidem vacantes locos, qui non nisi suspensum & instabile vestigium caperent: alacrem hinc atque inde populum. Vbique par & simile gaudium. At verò splendorem illum equitum, Italiæ florem, principum agmen honestißimum, quo stipatus hic incedebat, quanta cum animi voluptate, quo plausu, quibus acclamationibus omnes prosequebantur! donec fanum hoc religioßißimum ingressi, vota Deo optimo maximo diuisqúe nuncupata lætißimi persoluerunt. Hic verò solenni more deductus ad aram maximam, primùm immortali Deo pro salute sua atque astantium omnium, submisso pioqúe animo supplicauit: deinde in Archiepiscopi solio splendidißimè præparato collocatus, à Pontifice missa diplomata publicè recitari iußit. Quorum primum illud fuit, in quo ipsius Pontificis Cardinaliumqúe sententia, qua creatus hic fuerat Archiepiscopus, continebatur: alterum in quo Pontifex Carolum Quintum Imperatorem rogabat, vt hunc & præsidem sacrorum agnoscceret, & quibuscunque rebus posset, officiosè tueretur ac defenderet. Cùm quidem eo perlecto, sta-

statim hic princeps noster Ferrandus Gonzaga, qui ipsius Imperatoris personam apud nos sustinet, & eiusdem vice fungitur, per Franciscū Tabernam magnum Cancellariū pronunciari iussit, se non tantùm id, quod in eo diplomate contineretur, Cæsaris nomine libentissimè perfecturum: sed etiam maximas Pontifici se gratias agere atque habere, quòd & Patricium Mediolanensem, & Senatorem integerrimū, & Antistitem religiosissimum Ecclesiæ Mediolanensi præfecisset. Quæ vox non tantùm amoris & beneuolentiæ, sed etiam grauissimi testimonij singularis huius eximiæ virtutis auctoritatem habet. Postea verò, quemadmodū in cæteris diplomatibus à Pontifice constitutum erat, accesserunt Canonici, Sacerdotes, Præsules, Abbates, atque alij Proceres Ecclesiæ, vt in huius verba iurarent, & eius dicto audientes se perpetuò futuros pollicerentur. Quod etiam Prætor vrbanus, & Præfectus annonæ, & Aediles, & cæteri magistratus omnes religioso libentique animo fecerunt. Postremo loco iurarunt ij, qui deducendi Archiepiscopi Mediolanensis, atque in solio collocandi ius habent ab antiquis traditum, Confalonerios vocant, ex antiqua nobilique familia. Qui nobis, dum Archiepiscopus noster vrbem ingrederetur, pulcherrimū & iucundissimū spectaculum exhibuerunt. Omnes enim, & quidem magno numero, pedites hinc atque inde fulgentes ostro, sericeisque vestibus & auratis insignes procedentem comitabantur, donec eum, vt vidistis, in suo proprioque solio collocarunt. Ego verò, Patres amplissimi, quamuis coram intuear hæc lumina atque ornamenta Rei-

ta Reipublicæ, quamuis quod mente complector, non satis verbis explicare possim, quamuis adhuc populi iubilantis voces & clamores auribus meis insonent: tamen cum vos tam attentè tamque benigne me audiatis, magis etiam accendor ad ea, quæ mihi dicenda supersunt. Neque vereor, ne oratio mea vobis longior esse videatur, qui præclarè intelligitis, maximè optandum esse, vt ea, quibus ornatissimus est Archiepiscopus noster, quàm plurima sint. Superest igitur, cùm de rebus ab eo præclarè gestis, & anteacta vita satis multa dixerimus, vt neminem etiam hac tanta dignitate atque honore digniorē esse, nemini meliùs hoc tantum munus cōmitti potuisse, doceamus. Quod quidem ad ea, quæ iā à nobis cōmemorata sunt, si quis respiciat, facilimè cognoscere poterit. Nā si mores ac vitam huius ad perfecti sacrorum Antistitis speciem ac formam referre voluerimus, neminem profectò reperiemus, qui ad illam propiùs accedere videatur. Alius enim fortasse, prudens fuerit, sed iniquus: alius humanus, sed voluptati deditus: alius frugi, sed superbus: alius clemens, sed auarus: alius liberalis, sed crudelis: denique nemo penè fuit vnquam, qui non aliqua vitiorū labe virtutes eas, quibus eminebat, obscuraret. At noster hic Antistes admirabili quadam ac verè diuina prudentia sic omnes inter se virtutes copulauit, vt immensus in eis, inauditusque laudū omnium omnisque gloriæ concentus appareat. Nihil enim comitas seueritati, nihil grauitati bonitas, nihil humanitas maiestati detrahit. Sed iam ea breuiter videamus, quæ in eo viro esse debent, qui Archiepiscopi

copi munere sit optimè functurus, & Christianam fidem ac religionem, tanquam optimus patronus, acerrimè defensurus. Ea namque omnia summa in hoc esse luce clarius ostendemus. Atqui nemo est eorū, qui bene sentiunt, quin existimet in summo ac perfecto sacrorum Antistite tres has res ineſſe oportere, Rerū diuinarum scientiā, virtutem, auctoritatē. Quæ res ita implicitæ sunt, & cohærent inter se, vt si vna defuerit, reliquæ per se nullo modo perfectū efficere Antistitem possint. Etenim multi reperiuntur, qui, tametsi sacrarum literarū peritissimi sint, tamen quoniam eis vel vitæ probitas vel auctoritas deest, non modò religionem tueri atque conseruare non possunt: sed magnum etiam ei detrimentū afferunt. Sunt etiam quidam probi sanè viri, sed imperiti, quibus tutò religionis curam demandari non posse certum est. Duabus enim de causis Paulus ille Tarsensis in Antistite doctrinā quærit: primò, vt ad honestè religioseque viuendum populos adhortari valeat: deinde, vt etiam factiosos homines, qui rectè sentienti Ecclesiæ Reipublicæq; Christianæ resistere, & contradicere audent, refellere atque redarguere possit. Nam rustici, & imperiti viri bonitas illi vni prodest, & quantum probitate vitæ Christianam religionem confirmat, tantum eidē nocet, si labefactantibus & impugnantibus non resistat. Iā verò licet in aliquo summa doctrina summaq; probitas fuerit: tamen si illi desit authoritas, vt nemo illi aures præstet, nemo fidem adhibeat, non erit quod quisquam speret, eum summi Antistitis munus sustinere cōmodè posse. Cùm autem ad doctrinā non vulgarem

rem accesserit etiam egregia probitas & summa auctoritas, tum illud eximium quiddam atque diuinum solet existere: quod in nostro hoc Archiepiscopo esse, nemo est qui dubitare possit. Quis enim eo diuinarum rerum scientior vnquam fuit, aut esse potuit? qui primis statim annis in religiosissima familia, sacris & diuinis rebus semper intenta, liberaliter educatus est, mox è ludo, atque pueritiæ disciplina profectus ad publica gymnasia, ita Iuri ciuili operam nauauit, vt tamen Sacrarum studium literarum nunquam intermitteret, & omnes Pontificij Iuris constitutiones tanta cura, studio, diligentia perdisceret, vt tanquam nomen & digitos suos omnes eas teneret. Neq; sanè mirum, cùm nunquam quicquam, nisi de sacris rebus, ageret, loqueretur, cogitaret, quasi natura eum hac vna de causa genuisset, vt res sacras perpetuò tractaret. Postea verò cum vtriusque Iuris laurea decoratus fuisset, & sacris initiatus, deinceps annos amplius quadraginta sacras res continenter administrauit. Quare propter hanc eximiam diuinarum rerum cognitionem, tribus summis Pontificibus, Leoni, Adriano, Clementi, non tantùm gratissimus fuit, sed etiam ab eisdem sæpissimè maximis in rebus, & ad summam religionis pertinentibus vnus electus est, qui prouideret, ne quid fides nostra & Respubl. Christiana detrimenti pateretur. Quantam igitur eius scientiam esse putandum est, qui ab ineunte ætate semper contento studio, cùm & præstanti ingenio & singulari memoria præcelleret, sacris rebus operam dederit? qui dies & noctes eis inuigilârit? qui plures sacros libros

bros perlegit, quàm alij viderunt? plura memoriæ mandauit, quàm alij legerunt? quem denique mirati tres summi Pontifices, in tuenda religione non tantùm administrũ, sed penè socium habere voluerunt? Hæc profectò declarant, nullã rem esse in sacris literis, diuinarumque rerũ cognitione positam, quæ huius viri scientiam fugere possit. Age verò cui non audita est & cognita huius virtus, probitas, atque integritas vitæ? Quis huius viuendi rationes sanctissimè institutas non veneratur? Quis non in hoc expressam eius Antistitis imaginem videt, quem, ad Titum scribens, Paulus eleganter informat? Quærit enim in primis Paulus in Atistite sacrorum innocentiam & fidem, vt talis sit, quem non modò quisquam verisimiliter reprehendere non possit, sed etiam sit ab omni suspicione criminis remotus, vt sit ipsius Christi vicarius quidam & administer. Quibus in rebus hunc hominem tantum videmus excellere cæteris, vt omnes certatim eum approbent, admirentur, prædicent, propè diuinis in cælum laudibus efferant. Neque enim aliud vnquam dies & noctes cogitat, nisi vt primò se purum atque integrum ex omni parte præstet, deinde suos etiam omnes in Christiana fide confirmatos, optimis moribus & sanctissimis vitæ institutis quotidie magis instruat. Quàm enim sedulò, quàm diligenter sacris inuigilat officijs! res diuinas meditatur! in precibus ac supplicationibus versatur! vt etiam cùm ægrotus est, nihil ferè ex solita diligentia, quotidianisque meditationibus ac precibus prætermittat. Neque vnquam æquè sibi placere videtur,

Cap. 1. & 1. ad Tim. 3.

atque

atque cùm aliquid ex sacris literis vel legit ipse, vel audit: eam sibi honestißimā esse laborum quietē, eum occupationem portū, eam molestiarum tranquillitatē arbitratur. Itaq; cùm maximis illis negocijs, quibus assiduè distringitur, aliquid temporis subtrahere potest, statim ad meditationem sacrorum, tanquam ad suauißimū quendam animi pastū, & ocium amœnißimū confugit. Cumq; certò sciat, ad duas res hominem ab immortali Deo factum esse, hoc est, ad intelligendū & agendum, non tantùm intelligere quid se, suosq; deceat, sed etiam re ipsa præstare pro virili parte contendit. Quare non modò quicquam facere aut loqui, sed ne audire quidem aut pati potest, quod aliquo modo religioni contrarium esse videatur. Ita verò familiam suam omnem instituit, vt rectè sentientis Ecclesiæ sacramenta decretaq; non aliter atq; Christi ipsius præcepta veneretur, & obseruet. Vidi ego non semel, cùm tempus aduentaret, quo Christiani omnes ad illud solenne epulum, quæ Eucharistia vocatur, purgatis priùs animis accedere solent: quanta cum reuerentia domesticos omnes priùs admoneret, vt crimina peccataq; sua diligenter ac dolenter sacerdoti confiterentur, deinde ad se redirēt, vt secum diuinū illum cibum cōmunicarent: cùm quidem ipse sanctißimum Christi corpus manu capiens, maxima cum religione singulis impartiret: quòd si quempiam audierit esse, qui hac maiorū instituta negligat, eum statim procul à se, procul à domo iubet esse, malè verò de Christianis legibus & Pontificijs sentientes non tantùm arcet ab ædibus suis, sed etiam insectatur, damnat, castigat. Quare si

quis hunc amicum habere desiderat, eum oportet & bonum virum esse, & optimè de Christiana fide sentire. Neq; enim cōuenire putat, eum, qui in terris Christi Vicarius est, & cœlestem vitam imitari debet, aliquid aut facere aut tolerare, quod à Christianis legibus abhorreat. Addit Paulus, Antistitem superbum & contumacem esse non oportere. Nam superbia pertinaciaq; non tantùm hominibus, sed etiam Deo odiosa est. A quo vitio tantum hic abest, vt eius modestiam, facilitatem, patientiam admiremur. Scit enim à sapientissimis viris rectissimè præceptū esse, vt, quantò maiores sumus, tantò nos submissius geramus. Nam humanitate ac facilitate nihil in magno & excelso viro, & præcipuè sacrorum Antistite præstantius inueniri potest. Quod cùm hic præclarè intelligat, tam mansuetè, tam benignè se non tantùm erga diuites & potentes, sed etiam erga pauperes & abiectos gerit; tam comiter omnibus auxilium pollicetur & præstat; tam faciles omnibus ad se aditus præbet; tam patiens est in audiendis omnium etiam infimorum querimonijs, vt ab eo nemo vnquam nisi contentus discedere soleat. Quibus rebus fit, vt, quòd rarissimè contingit, libentibus ac volentibus sibi subiectis populis imperet, & lenitate magis quàm imperio sibi omnium animos voluntatesque deuinciat. Itaque sibi quisque nefas esse statuit, tam modesto, tamque humano domino non parere. Non vult Paulus iracundum esse Antistitem, non ad vlciscendum iniurias propensum. Quod iracundiæ vitiū ita semper hic euitauit, vt vel nunquam, vel certè rarissimè quisquam eū iratum viderit: cuius in-

iurias

iurias facilè condonarit: ad ignoscendum se paratissimum præbuerit. Sentiebant paulò antè ij populi, qui in Episcopatu Nouariensi huius imperio subditi erant, quorū hic vitæ necisq; potestatem habebat, quàm mitē, quàm placatū, quàm clementem dominū haberent; qui non minis ac terrore, non verberibus & cruciatib. quod alij ferè Principes solent, sed amicis admonitionibus fidelissimisq; consilijs eos ad honestè rectèq; viuendū impelleret, & ad sibi parendū induceret. Quòd si quādo puniendus esset aliquis, quamuis maxima extaret irascendi causa, nunquam tamen iratus ad pœnam accedebat; sed legum similis, ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducebatur. Quid? in vita domestica victuq; quotidiano, qua facilitate, qua patientia vtitur, ne vllum prorsus iracundiæ vestigium in suis dictis aut factis appareat? Laudatur illud Architæ, qui cùm villico factus esset iratior, quo te modo (inquit) accepissem, nisi iratus essem! Quantò magis hic laudandus est, cuius animū ira non modò non perturbat, sed ne quidem vnquam acrius cōmouet? Adiungit præterea Paulus perfecto illi Antistiti frugalitatem & temperantiam, ne cibo vinoq; deditus sit. Nam (vt Horatius egregiè cecinit) corpus onustum

Lib. 2. Sat. Satyr. 2.

Externis vitijs, animum quoq; prægrauat vnà,
Atq; affligit humo diuinæ particulam auræ.

Qua virtute præter cæteros hic admirabilis est. Multos enim cognoui audiuiq; homines cibi vinique parcissimos, sed hoc parciorem & continentiorē omnino neminem: vt frequentissimè vehementer admiratus sim, qua ratione fieri posit, vt vir tam frugi, tam tem-

peratus, tam exigui cibi viniq3, tot laboribus, quibus assiduè deditus est, sufficere valeat. Verùm ab eo sæpissimè audiui, nullam esse vino ciboq3 nimio sapientiæ capit aliorem pestem: quantoq3 minùs corpus alitur, tantò magis animi vires excitari. Quare tam tenui victu potuq3 contentus est, vt qui cum eo viuunt, non vnum nostri temporis hominem, sed potiùs aliquem ex antiqua illa religione virum, voluptatum omnium contemptorem, & cœlestium tantùm rerum amatorem, videre videantur. Quid? quòd non auarum, non turpi lucro deditum, ait Paulus, Antistitem esse oportere. Vilescit enim profectò animus, qui corporis vinculis ea tantùm de causa fuit alligatus, vt semper cœlestia contempletur, quemadmodum affirmare solebat Anaxagoras, quoties amare diuitias incipit, & habendi cumulandiq3 cupiditate trahitur. A' qua tantū abest hic noster, vt etiam beneficus & liberalis esse studeat, & in eos, qui opis indigent, benignitatis plurimum conferat. Sed cùm omnibus studiosè promptoq3, quibuscunque potest, opituletur: tum in bonos præcipuè viros, & ingenuarum artiū amatores beneficentiæ suæ largitatem ostendit. Quo enim illos studio! quo amore! qua benevolentia prosequitur! vt eos auxilio fouet! præmijs allicit! commendatione sustentat! auctoritate protegit! stipendijs denique locupletat! Itaque ex hoc benignissimo gymnasiorum præfecto, tota liberalium artiū scientiarumq3 Professorum cohors iampridem latissima pendet. Quid dicam quanta in pauperes liberalitate, quanta munificentia vtatur? quot omni spe destitutos, & fortunis omnibus priuatos, suis

opi-

opibus sustentet, atque egere non permittat? Sunt hæ virtutes singulares & eximiæ. Quid cæteræ, quæ ab eodem Paulo in Antistite requiruntur, quantæ in hoc & quàm magnæ sunt? Vult Paulus hospitalem esse Antistitem. Huius domus semper bonis viris patuit: atque hoc tempore omnibus, qui virtute aliqua aut arte præstant, quasi commune quoddam receptaculum est. Ad hunc vndique confluunt, qui doctrinæ alicuius aut artis ingenuæ nomen habent. Quin ipse vltro benignè omnes inuitat, & liberalissimè hospitatur. Vult Paulus bonorum virorum amatorem Antistitem esse, quos hic non tantùm amat, sed etiam quibuscunq; rationibus potest, adiuuat, erigit, ad dignitates euehit, & denique alijs omnibus anteponit. Quin omnes eos sibi proximos, sibi coniunctissimos, sibi cognatos & affines existimat, quos optimos & virtutum amantissimos inuenerit. Postremò cumulatum omni genere virtutis Antistitem idem Paulus esse vult, vt idem sit prudens, sit iustus, sit sanctus, sit continens, nihil ei denique desit, quod ad honestè laudabiliterq; viuendum attineat. Quæ omnia in hoc nostro sic apparent, vt ipsa luce clariora sint. Nam eius prudentia tanta est, vt nihil vnquam aggrediatur, nisi maturo consilio: vt quid in quaque re verissimum & optimum sit, id acutissimè & celerrimè videat atq; explicet: vt ex longo rerum vsu, quid expediat, quid non, quid honestum, quid turpe sit, facilè discernat: vt ex præteritis rebus, quid futurum sit, acutè præuideat. Quanta in eo est rerum anteactarum memoria! quanta præsentium intelligentia! quanta denique prouidentia futurarum! Quid

illa, in qua virtutis splendor est maximus, iusticia & aequitas! quàm in hoc apertè lucent! quàm æqua lance cuncta dispensat! Nemo enim maiore præmio bonos afficit, vitia seueriùs vindicat. Nullum apud hunc vnquam fuit personarum discrimen, quò minùs pauperrimus quisq3, perinde ac ditissimus, ius suum facilimè consequeretur. Neq3 tantùm in eo semper laborauit, vt vnicuiq3, quod suum est, attribueretur: sed etiam communem vtilitatem semper priuatis commodis antepositit. Qua verò pietate patriam? qua caritate propinquos? quo amore ciues omnes amplectitur? Magnitudine animi iam tanta est, vt pro honestate nullum vnquam periculum adire pertimuerit, nullā laborem recusarit; res magnas & excelsas animo sibi proposuerit, & plurimum in se fiduciæ semper certa cum spe collocarit: vt neque ab aduersis, neque à prosperis rebus à stabilitate mentis, atque animi firmitudine dimoueretur. Continentiam ita semper amplexus est, vt motus animi turbidos, & appetitus rationi subijceret, & in omnes aduersos atque alienos à recta ratione impetus dominaretur, cupiditatesque omnes consilij norma dirigeret. Sed quid ego plura cōmemoro? quasi verò non apertissimum sit, nihil esse in omni virtute atque honestate positum, quod hic à teneris vsque annis non ita perceperit, atque exercuerit, vt in eo quasi callum iam obduxerit. Et quisquam dubitabit, quin hic optimus Archiepiscopus sit futurus, qui ad omnes cuiusque generis virtutes percipiendas & exercendas, diuino consilio natus esse videatur! Quid dicam de auctoritate? quæ tanta est, quanta in his tantis

vir-

virtutibus ac laudibus esse debet. Quis autem non intelligit, in rebus sacris administrandis, & in concitandis ad religionem populorū animis auctoritatem plurimùm posse? vehementerq; pertinere ad sacrorum cultus, & ad honestatē vitæ, quid sacerdotes, quid populi de Antistite sacrorum existiment? Cùm sciamus homines, vt aut honestè viuant, aut improbè, vt religionem ament, aut contemnant, non minùs summorū Antistitum exemplo, quàm aliqua certa ratione cōmoueri? Quis igitur vnquam hoc homine clarior fuit? cuius virtutes pares, quibus maximè auctoritas comparatur. Huius enim omnis vita plena grauitatis semper fuit: huius sapientiam & prudentiam suspexere semper principes, populi ac nationes: huic vos tantum tribuitis, Patres amplissimi, vt quicquid ipse statuerit, de communi sententia statutum existimetis. Et meritò, tantum est enim eius ingenium, tanta doctrina, tantus rerum vsus, tot res egregiè gestæ, vt ab eo dissentire nemo sine contumacia possit. Iam in aspectu ipso tanta dignitas inest, in sermone tanta maiestas, in incessu atque omni gestu tanta veneratio, vt ipsam quodammodò auctoritatem præse ferre videatur. Quis enim Cato vultu seuerior? quis Phocion oratione grauior? quis Numa in omni actione religiosior? quanta in omnibus dictis & factis eius constantia & veritas? Possumus igitur iam constituere, Patres amplissimi, quantum hanc auctoritatem, plurimis iam rebus gestis exploratam, non paucis multorum principum & Pontificum iudicijs, ac præcipuè vestris amplificatam, ad tuendam & conseruandam

religionem valituram existimemus. Sed iamdudum intelligo, Patres amplissimi, non tam orationem meam vobis, atque isti frequentiæ, quæ tam attentè, tantáq; cum omnium eorum, quæ dicuntur, assensione me auscultat, esse gratam, quàm huic, de quo verba facimus, cõmemorationem laudum suarũ ingratam. Cùm enim reliquos omnes Antistites cæteris virtutibus antecedat, singulari quadã animi moderatione non tantùm alios, sed etiam seipsum vincit. Nam cùm ita semper vixerit, vt ne liuor quidem eum reprehendere probabiliter potuerit, non tamen vnquam tam laudari, quàm, si quid opus esset, admoneri gauisus est. Quocirca Themistoclis, illius summi Athenis viri, dictum immutare consueuit. Cùm enim ex eo quæreretur, quod acroama, aut cuius vocem libentissimè audiret. Eius, inquit, à quo mea virtus optimè prædicatur: hic autem noster se vocem eius libentissimè audire profitetur, à quo prudenter admonetur. Quod igitur me tandiu de se dicentem, tamque patienter audiuit, in hac re non certè sibi, sed studio nostro, patriæq; caritati, quam suo nomine tantopere lætari videt, indulgere voluit. Verùm quid tacitus gaudia tua dissimulas, sapientissime vir Arcimboldi? Iam enim ea voce te appello, qua me facilè audire possis. Quid, inquam, est, quod non tibi summam hilaritatem ac iucunditatem afferre debeat? Vt enim verissimis laudibus tuis non faueas, vt immortalium virtutum tuarum cõmemoratione non mouearis, vt communi præstantiam omnium virorum gloriæ studio non traharis: non potes tamen hoc totius patriæ nostræ de te iudicio, hac ciuium

uium omnium erga te beneuolentia, hac omnium bonorum gratulatione non vehementer oblectari. Certè ferreus esses, atque omni adamante durior, nisi hac tanta noua dignitatis tuæ gratulatio, tam inusitata inauditaq; populi iubilatio, tanta beneuolentiæ vel potiùs pietatis significatio, tam denique incredibilis ac penè diuinus omnium in te celebrando consensus animum tuum cõmoueret. Quis enim vnquam aliqua in re tam gratus senatui, tam carus principibus ciuitatis, tam iucundus populo, tam ciuibus vniuersis amabilis visus est, quàm tu in omnibus dictis ac factis tuis semper apparuisti? Titus quondam Vespasianus ob summam modestiam & benignitatem, amor & delicia generis humani fuit appellatus. Quem tu Principem duabus etiam in rebus superasti. Quod ille primò comitatem & liberalitatem suam nonnullis vitijs contaminauerat: deinde biennio tantùm summæ Reipub. præfuit. Tu verò puram & integram ab omni flagitio semper vitam traduxisti: & per multos iam annos Reipubl. nostræ gubernacula tenuisti. Hoc verò tempore noua ista dignitate auctus, nostrum es omnium cõmune gaudium, nostra spes, nostra delicia. Neq; verò tantùm nos in terris honore tuo mirandum in modum gaudemus: sed etiam beatorum animos in cœlo, & præcipuè sublimem illum heroêm Ambrosium, huius nostræ ciuitatis patronum, cuius tu sanctißimis sedibus inauguratus es, non mediocrem cepisse voluptatem existimamus: atque ideo conuersum ad illam totius mundi Mentem, quæ procurat vniuersa, primò ei gratias egisse arbitramur, deinde pro tua sa-

lute atq; incolumitate preces eidē fudisse, ac rogasse, vt quemadmodū ipse populum Mediolanensem quondam diu feliciterq; gubernauit, sic etiam tu, qui tantò pòst illi succes: sti, non minùs benè beateque Rempubl. nostrā administres. Quas diuini herois & patroni nostri preces Deum ipsum audiuisse & speramus, & credimus, vt diuina prouidentia te ministro, nullo nobis tempore posthac vnquam defutura sit. Equidem mihi iam videre videor, totam hanc ciuitatem nostram tuam auctoritatem, fidem, religionem secutam reflorescere, bene & sapienter vitam instituere, in summa concordia, pace, tranquillitate viuere: nihil aliud, quā de honestate vitæ, de sanctitate, de æterna beatitudine cogitare. Iam omnium animi ad spem optimā erecti sunt, curarum omnium obliti, summa perfusi lætitia iubilant, exultant, festos dies agunt, tuam sapientiam, tuam virtutem, tuam auctoritatem intuentur: quibus rebus omnis fides, omnis religio, omnia sacra rite custodiuntur. O meritò iureq; concepta gaudia! O verā sanctamque lætitiam! O felicem hunc diem, non tantùm candido (quod dici solet) calculo notandum, sed etiam ad orbis terræ memoriā sempiternam in fastis reponendum! Gaude iure tuo Mediolanensis ciuitas, gaude tuo tam excellenti bono, gaude tam præstanti religionis patrono. Nihil enim optatius, nihil glorioſius, nihil denique beatius accidere tibi potuisset. Hoc auctore tā religioso, tam sancto, tam pio, hoc Antistite ceremoniarum & sacrorum nihil est, quod non tibi feliciter atque ex animi sententia succes surū sit: nihil est, quod ab immortali Deo facilè

cilè non sis impetratura. Agite igitur omnes quotquot adestis in hac tanta frequentia, vna voce mecum, vno animo, vno consensu, primùm Deo Opt. Max. rerum omnium conditori ac moderatori, pro tanto tamque immortali beneficio gratias agamus. Deinde votis & precibus obtestemur, vt, quem iam nobis sua præstanti liberalitate, suo penè præsenti numine, fidei custodem, religionis amplificatorem, sacrorū antistitem, rerū omnium honestissimarū quasi parentem dedit, eundem nobis, qua benignitate concessit, etiā incolumē & saluū quàm diutissimè conseruet. Nā sine vlla dubitatione tandiu beatissima erit hæc vniuersa ciuitas, quandiutā eximius & singularis Archiepiscopus sacris & summæ religioni præfuerit. Quocirca te summe Deus, omniū Parens, quē propter beneficia populus Christianus Optimum, propter vim ac potestatem, Maximum nominat: teque Mens Patris, æterna sapientia, ratio perfecta, rerum omnium procreator Christe, qui in terris ea, quæ ad hominū salutem pertinent, maximè procuras: teque totius mundi Anime, qui proborum hominum mentibus quasi consolator quidam & lætitiæ dator illaberis, & incredibilem atque diuinam eis iucunditatem affers, alme Spiritus: Te, inquam, mystica Trias, triplex quidem numen, triplex potestas, triplex discretio personarum, sed vna virtus, vna natura, Deus vne, cuius beneficio, quicquid est in omni rerum vniuersitate boni, gignitur, oramus omnes vno animo, atque vna voce obtestamur, vt si rite pro nouo hoc Archiepiscopo nostro, tuo munere nobis hoc tempore tradito, vota nuncupamus, si rite sa-

te ſacros in hoc tẽplo maximo in tuis aris ac focis ignes adolemus, ſi rite victimas, tui quondã doloris atque ſupplicij, cùm hominẽ induiſſes, noſtræque ſalutis monumenta, quibus occulta quadaã atque ineffabili potentia tua, illud quidem verũ, ſed tamen inaſpectabile Chriſti corpus contineri credimus, piè religioſeque conſecramus, ſi denique rite, magnaque cum fiducia certatim omnes ad auxiliũ tuum, fuſis quotidie precibus ſupplices confugimus: hanc firmã, ſtabilem, certã & ratam lætitiam non tantùm in præſentia nobis efficias, verùm etiã deinceps longiſſimo tempore conſerues. Vt noſtrũ hunc Antiſtitem, tanquam optimum & ſanctiſſimũ ducem ſequentes, & hanc læti vitã benè beateque tranſigamus, & poſt mortem certum ac definitum in cœlo cum eo locum habeamus, vbi tandem æuo ſempiterno beati perfruamur.

CHRIA

CHRIA
SVPER MEMORABILI quodam facto Ferrandi Gonzagæ.

ORATIO II.

ETSI nihil de insignibus ad laudem viris obscurè nunciari solet, quoque plura sunt in aliquo virtutis & industriæ ornamenta, tantò etiam sunt omnia, quæ ab eo rectè geruntur, clariora: tamen interduũ eximiæ quædam latent in optimis & præstantissimis quibusq; principibus virtutes, quas, cùm idoneam illi nacti fuerint occasionem, eueſtigiò summa cum omniũ admiratione proferre, atque obstupescentium oculis, memorando aliquo facinore expressas obȳcere studeant. Quod ideo facere videri possunt: cùm vt apud omnes testatũ apertissimè relinquant, omnia se honestatis adipiscendæ, fugiendæq; turpitudinis gratia moliri, tum etiã, vt exempli raritate, non solùm de probitate atq; integritate sua iã ab omnibus conceptam opinionem tueantur atq; sustineant, sed eã etiam multò magis in dies amplificent. Insidet (vt diuinus ait orator) quædã in optimo quoq; virtus, quæ noctes & dies animũ gloriæ stimulis concitat, atq; admonet, cũ vitæ tem-

Cicer. pro Archia.

tempore non esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cũ omni posteritate adæquandam. Ac mihi quidem, si quis vnquam post homines natos huic rei clarissimus Princeps operam dedisse dicitur, vnus hic nostræ ciuitatis atque imperij nouus rector & conseruator Ferrandus Gonzaga, Principum decus & ornamentum, vel omnium maximè studere videtur: qui alijs in rebus, quascunque vnquam aggressus est, semper eximium ac singularem virum, imperatorem q; strenuissimum egerit: vt neque omni genere virtutis, in toga atque in pace, neque in bello scientiam militaris, aut fortitudine, tum animi, tum corporis, aut felicitate, aut autoritate, quisquam ex antiquis illis vel Athenienſibus, vel Romanis, quorum iampridem omnium voce fama celebratur, huic omnino sit anteponendus. Nuper tamen Genuæ, quæ ciuitas Ligurum Metropolis est, iusticiæ tam præclarum exemplum dedit, vt vel hoc vno Catones omnes atque Aristides longo interuallo superârit. Cùm enim non ita pridem in Sicilia, quam prouinciam longo tempore, Caroli Cæsaris Austrici auspicijs, pro Rege iustissimè administrauit, Genuensem quendam nobilem atque ditissimum, sed perditissimis moribus ac profligatæ vitæ hominem, qui plurima in ea prouincia nefanda facinora commiserat, comprehendi curasset, vinctum eum in carcerem contrudi iussit, donec in eius vitam diligenter, more maiorum, inquireret. Sed accidit interea, vt Mediolanensium rogatu, qui singularis iusticiæ atque sapientiæ fama impulsi, Ferrandum hunc vnum, mortuo Alphonso Daualo, suæ ciuitatis

ac

ac totius imperij moderatorem omnibus votis expetebant atque deposcebant, eum Carolus Cæsar, Imperator inuictissimus, huic nostræ ciuitati gratificaturus, à Siciliæ administratione ad Mediolanensem Rempubl. gubernandam aduocaret. Itaque Ferrandus, qui nondum pernicioſum illum ac sceleſtum Genuensem è medio tollendum esse statuisset, vel quod nondū satis de eo quæsitum existimaret, & multa eius adhuc flagitia laterent, vel (quod magis crediderim) vt vnus videnſqúe conſcientia ſcelerum atque maleficiorum agitatus, quotidie quodammodo periret, cùm ſibi iam iamqúe imminere, quos ſe meruiſſe intelligebat, diros cruciatus vehementiſsimè pertimeſceret, atque hoc perpetuo pœnæ metu, debitas nefarijs ſceleribus pœnas lueret, eum vinctum, & numellis atque compedibus aſtrictum ſecum eſſe ducendum cenſuit, vt opportuno tempore, quoties viſum ſibi fuiſſet, meritū de illo ſupplicium ſumeret. Sed poſtquam ſecundis Auſtris è Sicilia diſcedens, cum tota familia ſua Genuam appuliſſet, vt deinde paulò pòſt in Mediolanenſem agrū aduenire, affuêre ſtatim nexi illius gentiles, cognati atque affines, qui proſtrati ad Ferrandi pedes, ſupplicū voce ſalutē ac vitā eius expoſcebant atque flagitabant: illumqúe, addebant, inimicorū inuidia oppreſſum, longè grauioribus, quā reuera cōmiſiſſet, criminibus accuſatū fuiſſe. Quibus primò, ſicuti par eſt, quamuis eius impuritatem ac malitiā planiſsimè cognitam & perſpectam Ferrandus haberet, benigniſsimè tamen reſpondit: ſibi ne latum quidem (vt dici ſolet) vnguem ab æquitate diſcedendum; ſed omni-

no ſe

no se facturū quod ipsa iusticia postularet, atq; etiam aliquid amicorū studijs, quoad æquitas pateretur, si daturū: irent, & aduersarios, quorum inuidia cognatū suum oppressum dicerent, vel apertis rationibus, vel adductis testibus refellerent, eumq; innocentem esse demonstrarent: tū verò se libenti animo, quicquid petijssent, concessurū. At illi, qui nullam penitus haberent manifestorū scelerum excusationem, hoc responso perculsi, duabus (vt ita dicā) validissimis machinis Ferrandi animū, quasi arcem aliquam munitissimā, vt à iusticia declinaret, si qua ratione fieri posset, expugnare sunt aggressi. Palàm enim cum Principe, nauali disciplina & gloria celeberrimo, Andrea Dorio, cuius summā autoritatem apud Ferrandum non sine causa plurimùm posse persuasum habebant, agere cœperunt, vt vincti illius causam reciperet, & deprecatione diligentissima contenderet à Ferrando, vt animaduersionem & supplicium, quo vsurus erat in eum, quem cepisset, remitteret sibi, & condonaret. Clam verò ipsi Ferrandum adeunt: & allatis aureorum quindecim millibus, id munus honoris gratia, ei, quem maximè colerent & venerarentur, sese offerre dicunt, orant atque obsecrant per eius humanitatem atque clementiam, quam iampridem spectatam haberent, ne munere illo repudiando, maximè sibi addictos clientes contempsisse videatur. Quid hac in re faciat quiuis alius ex omni numero princeps? Habebat in nexum illum vitæ necisque potestatem: poterat eum sine cuiusque inuidia, suo arbitratu vel absoluere, vel condemnare. Nunc accedit, vt hinc multis precibus ab eo Principe rogetur, cuius

autoritatem pluribus de causis magni esse faciendam existimant; & cuius officiosæ petitioni quibus rationibus obuiam eat & honestè resistat, excogitare satis nequit. Ab altera parte, cognatorum eius, qui vinctus erat, & affinium supplicationes atq; lacrymæ lenissimum animū atque clementissimū quodammodo verberant; qui palam quidem ab inimicis iniustè accusatum affinem suum dicunt; tacitè autem rationem ac viam Ferrando aperiunt, qua, nulla corruptelæ suspicione, clarissimo Principi Andreæ Dorio nexum condonare possit. Quam rem & veterum exemplo fieri posse, & iampridem vsitatam esse, & hoc etiam tempore à plerisque summis viris fieri consuesse intelligunt: vt nullam penitus accusationem recipere videatur. Quis enim eum Principem reprehendēdum putet, qui roganti alteri Principi nexum, quē habeat in potestate sua, condonet? An non hæc res multis hominibus laude potiùs, quàm vituperatione digna videtur? cùm præsertim is, qui nexus est, ingenuus atq; nobilis sit, & nequaquam domi suæ, neq; in patria, sed apud exteras nationes, si qua cōmisit, flagitia cōmiserit? Quid si huc accedit ingens atq; occultum præmium, quod non solum sine cuiusquā suspicione, verùm potiùs cum summa nobilissimi Principis gratia facilè consequi possis? Quis est animo tam constanti atq; firmo, qui in huiusmodi re satis obscura, atq; ideo minimè inuidiosa non cōmoueri possit? At certè quod olim de Fabricio Romano Pyrrhus Epirotarum Rex dixisse fertur, longè veriùs hoc tempore de Ferrando Gonzaga dici potest: facilius à cursu suo solem reuocari, quàm hunc talem virum à

iusticia deflecti posse. Cuius quidē virtutis, cæterarum omnium dominæ atq; reginæ, quemadmodum eam sapientes appellant, in huius Principis mente insidere speciem quandā eximiā facilè crediderim: quā semper intuens, in eaq; defixus, ad illius similitudinem actiones suas omnes dirigit. Quo fit, vt non ab ijs tantùm rebus, quæ sine dubitatione vitandæ sunt, eò quòd annexam turpitudinem habeant: sed ab ijs etiam, quæ licet honestam præ se speciem ferant, tamen ab interprete maligno possint aliquo modo vitio dari, sibi cauendum existimet: vt à se vno, tanquam à splendido atq; perenni virtutū omnium fonte, exempla, quæ præclarissima, possint omnes haurire. Quid igitur sibi faciendum in hac re Ferrandus proponit? Videte hominis admirabilē atq; inauditam prudentiā. Primò deprecanti summo viro strenuissimoq; Duci atq; Imperatori, Andreæ Dorio non apertè denegat, ne tam egregij Principis animū aliquo modò, si seuerus in denegando fuisse, à se alienaret: verùm illi perquam humaniter, quantū sua dignitas atq; honos pateretur, libentissimè se gratificaturū pollicetur. Deinde quamuis magnopere secū tacitus indignaretur, quòd se ex aliorum moribus spectantes, qui pecunias attulerant, corrumpere voluissent: tamen ad tempus sibi dissimulandā esse indignationem censuit, & munus illud non modò non recusauit, sed etiam actis gratijs, hilari vultu accepit, vt postea clariùs & apertiùs integritatem suam omnibus, atq; ipsi præcipuè Principi Dorio, cui maximè satisfacere studebat, ostenderet. Accepto igitur magno illo auri numero, iubet eos, qui attulerant, ad se postridie

die manè reuerti, & cognatum suum, quem interim à vinculis exempturum se ostendit. Quibus illi auditis, tanquã re feliciter gesta, læti atq; alacres discessere. Interim Ferrandus, qui nusquã oculos à iusticia deflectebat, seueritatis plenũ atq; integritatis consilium capit. Confestim enim post eorũ discessum nexo illi caput in carcere præcidi iubet, eiusq; cadauer in forum eadem nocte deferri: atq; illa quindecim aureorũ millia, quæ sibi pro munere allata fuerant, ante mortui pedes proïci. Quæ postquam omnia diligenter, vt ab eo fuerat imperatũ, effecta sunt, postridie manè reuersis eiusdem cognatis, Ite (inquit) in forum, ibi enim & eum, quem tantopere cupiebatis, cognatum vestrum, iam omni cura solutum, & vestras etiam pecunias incolumes reperietis. Neq; enim meum est, iusticiam precio vendere, neque vobis vtile est, tantum pecuniæ numerum vnius perditi hominis gratia profundere: verùm longè mihi præstantius esse visum est, virtutem eam, quam non sine causa maiores nostri, sapientissimi viri, semper virginem esse dixerunt, ab omni corruptela castam atque integram conseruare, vestras autem vobis diuitias relinquere: quàm dum palàm optimo Principi Dorio gratificari videar, clàm autem pecunia corruptus à iusticia discedo, exemplum præclarissimum in posterum vindicandæ improbitatis, quantum in me est, ex omni Repub. tollere. O factum egregium, atque ab omni posteritate rememorandum! O verè inuictum sanctissimi Principis animum! O singulare excelsæ mentis indicium! Quid enim prudentiùs in eiusmodi re, quid sapientiùs geri potuisset? Quid aliud con-

quid consilij caperet is, qui rebus omnib. anteponẽdam esse iusticiam censet? An Principi tam humaniter atq; submisse roganti, statim acerbè denegaret? At id profectò durum nimis ac seuerum: longeq; ab ea, quæ magnum virum summopere decet, placabilitate alienum videri potuisset, & quod fortasse meritò eius, quẽ minimè vellet, animũ offendisset. An accepta priuatim pecunia, nexum vinculis liberaret, atque incolumem abire permitteret? At hoc quidem, præterquam quòd iniustissimũ fuisset, si perdito ac scelesto homini pepercisset, turpissimã etiam auaritiæ notam nexã habebat: quæ cùm primùm fuisset audita, (neq; enim diu celari potuisset) infamiam illi sempiternam attulisset. Quid igitur aliud reliquum erat? Nihil certè, nisi vt hac ratione perspicuè declararet, se neq; rogantis precibus, nisi aliò iusticia traheret, locum fuisse relicturum; neque villã improbis, sese à flagitijs pecunia redimendi, spem apud se supersse. Simul etiã, quod ingenij specimen fuit acutissimi, facto hoc suo Principẽ ipsum Dorium ab improbi atq; flagitiosi eius, quem obtruncari iusserat, cognatis alienaut, & ad magnam sui admirationem traxit. Prolata enim in publicũ, quàm illi pro spe rata redemptione dederant, pecunia, Dorio planè significare voluit; non illos eius authoritati, quem aduocatum sibi parauerant, sed pecuniæ suæ confisos fuisse: duosq; eodẽ tempore principes vno consilio magnum in flagitium impellere fuisse conatos. Dorium quidem primò, vt scelestissimi hominis patrociniũ atque defensionem susciperet, quem inimicorũ accusationib iniquè oppressum falsò iactabant. Se verò deinde pecuni-

cunia aggressos, vt neglecta iusticia, quem omni cruciatu dignum esse sciret, eũ incolumem dimitteret. Ec quis vnquam post hominum memoriã factum vllũ grauius, aut seuerius, aut integrius audiuit? Celebrent Romani C. Fabricij iusticiam, qui ne hostem quidem per insidias è medio tolli voluit. Cùm enim bellum contra Pyrrhum Epirotarum regem gereret, & Timochares quidam Ambracienſis ei pollicitus fuisset, se Pyrrhum veneno sublaturum; missis legatis Pyrrhum admonuit, vt ab huius generis insidijs diligenter caueret. Extollant eiusdem hominis continentiam; qui cùm ad regni consortiũ à Pyrrho vocaretur, vt contra Romanos arma verteret, omnino recusauit. Laudent M. Curij abstinentiam, qui cùm adeò pauper esset, vt ei vix ad victum necessaria suppeditarent, tamen Samnitum diuitias prorsus contempsit: cùm enim ad eum magnum auri pondus Samnitũ legati publicè missum attulissent, eo repudiato, Ite (inquit) & narrate Samnitibus, me nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse. Iactent alij Q. Tuberonis consulis egregium facinus, qui, cùm Aetolorum gens omnis vsus vasa argentea magno pondere, atq; exquisita arte fabricata per legatos misisset, eos statim cum suis sarcinis abire iusit. Hæc, inquam, atq; eiusmodi si qua sunt, quæ paucissima sunt, antiquorum exempla memorentur, extollantur, laudentur, quoniam re vera maximis sunt præconijs dignissima. Verùm si quis diligentius hoc Ferrandi nostri factũ consideret, intelliget profectò, quouis eorum, quæ scripta leguntur, multò esse præstantius, atque memorabilius. Non enim illæ propriæ virorum laudes fuere, sed tem-

porum. Quis enim Romanorum temporibus illis non iu-
sticiam & continentiam amplectendam sibi esse existi
mabat? Quis nō honori potiùs & gloriæ, quàm auaritiæ
seruiebat? Quis nō Reip. cōmodo atq; dignitati potiùs,
q̄ priuatæ vtilitati studebat? Nullū certè post ea tēpora
tale, vel rarū admodū exemplū reperitur. Nā post de-
uictā Carthaginē atq; Numantiā, cùm abundare diui
tijs atq; ocio Romani cœpissent, quasi iā gloriæ satis ac-
quisiuissent: ab illa vitæ integritate atque innocentia
paulatim ad omne flagitiorum genus inclinare cœpe-
runt. Vt non iniuria Rex Numidarum Iugurtha Ro-
mā discedens dixisse feratur: O vrbem venalem, &
citò perituram, si emptorem inuenerit! Qua celebri-
tate hominum, quibus laudibus, quibus encomijs ad cœ
lum hoc Ferrandi factum elatum fuisset, si eo tempore
accidisset, quo maximè Romana Respubl. florebat, &
totius penè terrarum orbis imperio potiebatur? cùm o-
mnes quo iure, quaq; iniuria, qui prouincijs præerant,
omnino ditescere studerent. Sed certè nihilominus
hoc tempore prædicandum, atque omni contentione
studioq; celebrandum est. Quotus enim quisq; reperi-
tur hoc nostro tempore Princeps, qui sibi tali in re tem-
perare potuisset? qui non statim, conspectis tot
aureis nummis, quoquo modo liberandum ac dimit-
tendum captiuum illum putasset? cùm præsertim acce-
deret etiam summi Principis deprecatio, nec esset vlla
prorsus corruptelæ suspicio. Vbi sunt igitur, qui dicunt,
Nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam
munitum, quod non expugnari pecunia possit? Quid
valet illa vox auarissimi Macedonum Regis Philippi,
qui

qui dicere solebat, Nullam tam munitam ciuitatem, quæ non facilè posset expugnari, modò auro onustus in eam æsellus ingredi posset? Quid illa iampridem peruulgata sententia ponderis habere potest, Pecuniæ omnia obedire? Immò verò sapientissimus atq; iustissimus Princeps hoc facto suo planissimè declarauit, nullam penitus contra iusticiam & æquitatem vim habere pecuniam: ostendit apertissimè, tam excelso loco positam eam esse, quæ vera est, non autem fucata virtus, vt non aliter, atq; rem abiectissimam, argentum atq; aurum despiciat. Fuerint igitur iusti, fuerint continentes Fabricij, Curij, Tuberones, quo tempore maiorem in modum apud Romanos æquitas & continentia colebatur: hoc certè maiori, laude atq; gloria dignus est Ferrandus noster, quò rariores hoc tẽpore sunt, qui iusticiam & æquitatem pecuniæ præponant. Quis enim non tanquam auem albam (vt dicitur) hodie Principem miratur, iustum in administrandis rebus publicis se præbentem? Iam verò quis non videt, si cum eorum factis, quos paulò antè cõmemoraui, Ferrandi nostri factum conferatur, quantò clarius atque illustrius futurum sit. Illi enim si præmijs corrupti fuissent, Fabricius à Pyrrho, Curius à Samnitibus, ab Aetolis Tubero, eam, quam rebus omnibus chariorem habebant, quodammodo libertatem vendidissent, cùm eis, à quibus munera cepissent, deuincti atque obnoxij facti, morem in rebus omnibus gerere coacti fuissent. Neque enim ei facilè quicquam negare possumus, à quo magna nos beneficia cepisse non ignoramus. Atque illi vt deuincti simus necesse est, qui sponte sua muneribus ob-

latis res familiares nostras amplificauit. Non igitur tantùm honestatis ac virtutis gratia, veteres illi maximamunera repudiasse videri possunt: verùm etiam ne illis, à quibus ea cepissent, aliquo modo fierent obnoxij. Quid autem in hoc Ferrandi facto simile? Primò nulla causa erat, cur quidam obnoxius fieret, etiamsi accepta pecunia captiuum dimisisset. Iam in eo ipso, quòd suppliciū penè iam condemnati hominis, cognatis eius remisisset, satis magnā muneris gratiam retulisse visus fuisset. Deinde illud accedebat, quod eius animū maximè cōmouere atque labefactare poterat, nisi radices iā altissimas in eo vera virtus egisset, quòd præter occultū tanti auri lucrum, Andream etiam Dorium, quem virū, Dij immortales, quàm prudentē! quàm peritū rei militaris! quàm ipsi Cæsari gratum! hac sua facultate plurimùm sibi deuinxisset. Quæ cùm omnia videret acutissimè Ferrandus, neque enim tā occulta sunt, quin ea, vel mediocris prudentia, ne dum tanto acumine præditus in actionibus suis princeps videre posset: maluit tamen haud dubiam, & Principis Dorij, & multorū Genuensium nobilissimorū gratiam, propositumq; ingens præmium relinquere, quàm ab æquabili suo & perpetuo iusticiæ cursu discedere. Cuius exemplū pulcherrimū si Principes omnes imitari vellent, longè profectò feliciores atque beatiores omnes fuissent Respublicæ. Neq; enim improbi spem vllam in iudiciorū corruptela ponerent: facileq; fortasse à maleficijs abstinerent, aut è medio tollerentur. Probi verò homines primò tutiùs atq; securiùs, sublata scelerum impunitate, viuerent, deinde longè alacriores ad fugien-

giendam turpitudinē, & honestatem amplectendam fierent, qua nihil esse principi suo charius atq; gratius agnoscerent. Nunc propter Principum sordes atq; auaritiā, quot in vnaquaq; Repub. scelera, quot cædes, quot rapinæ, quot sacrilegia, quot parricidia ferè quotidie perpetrantur? Quas domos, quas familias, quas vrbes, quas nationes insatiabilis Principum cupiditas non euertit? Quid deniq; mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod non auarus ille Princeps sordidusq; concipiat? Vtinam Respublica nostra non longo tempore fuisset experta, quantū mali ciuibus omnibus Principum inuehat auaritia! quæ iampridem multis agitata calamitatibus, exhaustis ad sanguinem vsque viribus atq; fortunis, expilata, direpta, populata, vexata: nunc tandem te Principe, Ferrande, respirare incipit, & sub aduentu tuo confestim in mirandū modum recreata est. Vidisti Princeps æquissimè, quibus gaudijs, quàm profusis lætitijs, non tantùm te senatus & nobilitas omnis huius ciuitatis, verùm etiam vulgus & imperita multitudo venientem exceperit: quàm accuratè tibi obuiam omnes primarij viri, Senatores, Equites, Iurisprudentes, Medici processerint: quo studio populus omnis ad aduentus tui spectaculum sese effuderit: quibus æris Campani pulsibus, quibus tormentorum bombis palàm sit exultatum. Neq; mehercle iniuria. Tanta enim de tua clementia, iusticia, humanitate fama, sicut ad alias omnes nationes, ita etiam ad Mediolanenses peruenerat, vt extincto Alphonso Dualo, quem honoris potiùs, quàm contumeliæ causa nomino, si ex omnibus Principibus vnus sibi moderator &

rector eligendus fuisset, quem tecum conferre possent, profectò neminem haberent. Felix igitur sine dubitatione, atq; beata, te Principe, futura est Respub. nostra. Nam si qui sunt improbi atque scelesti homines, qui tamen (vt arbitror) pauci sunt, cùm nullam prorsus, si deliquerint, euadendi supplicia spem sint habituri, recentissimo isto tuo, atque immortalitate digno exemplo moniti, vel ex hac vrbe ad alias nationes, vbi possint impunè malitiam suam exercere, profugient, vel metu suppliciorum exterriti, paulatim resipiscere, & ad rectam viuendi rationem redire incipient. Probi verò, quorum in hac ciuitate magna est multitudo, tuam sibi vitam tanquam splendidissimum speculum proponentes, in quo virtutum omnium expressæ imagines facilè reluceant, eius imitatione suam etiam vitã conformare, atque in dies sese meliores præstare laborabunt. Itaque fiet, Dijs hominibusq; approbantibus, vt tanti Principis consilio atque prudentia Resp. nostra administrata, tandem è maximis molestiarum turbulentissimisq; tempestatibus erepta, portum quietis & tranquillitatis plenissimum teneat, & in amore atque sapientia tua diutissimè conquiescat.

IN

IN NVPTIIS IAC. PHILIPPI SACCI, *SENATVS MEDIOLANENSIS Principis; Præsente eodem Senatu;* IN QVA PRAETER CAETERA, seni quoque homini ducendam esse vxorem multis rationibus probatur.

ORATIO III.

QVanquam in multis præclarissimis, & immortalitate dignissimis actionibus, Patres Con. spectare licet, quàm eximia singulariq; prudentia atque sapientia, noster hic Princeps ornatissimus & optimus excellat: tamen, vt verè dicã, nihil iam pridem sapientius aut prudentius fecisse mihi videtur, quàm quòd hoc tẽpore, ingraueſcente iam ætate, spectatissimam fœminam, sociam, & consortem fortunarum omnium suarum sibi quæsierit, quacũ deinceps per omne reliquum vitæ suæ spacium placidè iucundeq; viuat, cui domesticarum rerum procurationem tutò committat, ex qua, Deis benè fauentibus, liberos, qui non tantùm amplissimi patrimonij, sed etiam nominis, famæ, dignitatis, gloriæ suæ sint hæredes, suscipiat. Hoc qui non videt factum esse sapientissimè, nihil omnino videt. Sunt enim quidam inter mortales tanta mentis caligi-

caligine, tam tetris animi tenebris oppressi, vt ea sæpenumero studeant improbare, quæ magnis potiùs efferri laudibus dignissima sunt: qui præter cætera, quæ parùm firmis ducti rationibus iniustissimè damnant, non satis honestum esse dicunt prouectiori ætate viro ac seni homini, vxorem ducere: præsertim si maximis negocijs intentus, operam vxori dare non satis cõmodè posse videatur. Quorum ego falsam opinionem, siue rerum ignorantia, siue potiùs malitia peccent, vel hoc vno sapientissimi Principis nostri exemplo profligare atque exterminare facilè possum: quod quidem non prudentissimè factum esse, nemo, qui hunc bene nouerit, audebit vnquam affirmare. Neque enim fieri facilè potest, vt qui rectas animi rationes semper ab ineunte ætate susceperit, & per omne vitæ suæ tempus nihil aliud quàm de virtute atque honestate cogitarit, quẽadmodum hic Princeps noster perpetuò fecit, is cùm peruenerit ad maturiorem ætatem, aliquid aut indecorè, aut parum sapienter efficiat. Quòd si fortè alicuius etiam probi viri est, aliquando non omnia rectè prospicere, sed interdum errare, labi, ac decipi, huius profectò nostri Principis non est. Qui iam pridem rerum gestarum gloria florentissimus, & pulcherrimis innixus facinoribus, summa diligentia & cautione prouidet, vt omnia digna splendore nominis sui, digna virtute atque doctrina sua, digna denique sapientia, qua nihil excellentius inueniri potest, exequatur. Mirum enim dictu, qua morum integritate, qua fide, qua constantia, qua grauitate res suas omnes administret. Quare si nihil aliud haberem,

quod

quod aduersarijs nostris, & coniugij senilis impugnatoribus obijcerem, nisi tanti viri, quantus est hic Princeps noster, auctoritatem & consilium: satis scio me facilimè probaturum, honestissimum esse & maximè laudandum etiam in senectute matrimonium. Verùm si planè docuero, & luce clarioribus argumentis atque rationibus euicero, coniugium rem esse semper honestissimam & sanctissimam, atatiq; maturiori non minùs, aut etiam fortasse magis accommodatam atque necessariam esse coniugem, quàm iuuentuti, desinent, vt opinor, tandem aduersarij nostri ea carpere, quibus nihil præstantius vel dici, vel fieri potest. Sed antequam ad ea venio, quæ propria sunt huius causæ, videntur mihi quædam de ipso matrimonio priùs, deinde etiam de huius Principis nostri vita sapientiaque breuiter esse perstringenda. Te quæso, Princeps humanissime, cùm hîc de prudenti isto consilio, & exquisito iudicio tuo sit agendum, ne graueris hæc verba mea diligenter audire. Viri ac mulieris legitimam coniunctionem, quod matrimonium appellamus, rem esse non tantùm naturalem, sed etiam diuinam, nos Sacræ literæ docent: quibus impium esset omnino non credere. Nam in ipso mundi primordio cùm iam Deus Opt. Max. cætera omnia procreasset, denique virum etiam ex purissimis terræ medullis effinxit, cuius iniucundam prorsus & molestam fore vitam intellexit, nisi sociam ei mulierem adiungeret. Itaque non amplius è terra, sicuti virum fecerat, sed ex ipsius viri costa vna, quam dormienti subtraxerat, primam fœminam confirmauit: vt posteri omnes intelli-

telligerent, nihil vxore carius esse debere, quam de viri corpore produxisset. Quibus deinde præceptum illud dedisse legitur, vt per coniunctionem filios progignerent, & in multitudinem vsque eò crescerent, vt hominibus terram implerent. Quin vxorem à marito tantopere diligi iussit, vt propter eam parentes etiam ipsos derelinquat. Postea verò ipse quoque Christus, nostræ salutis & felicitatis auctor, matrimonium suffragio suo magnopere comprobauit, & cum matre sua, omnium sanctissima fœmina, nuptijs interesse voluit, in quibus, quod magnopere prædicandum esse videatur, prima diuinitatis suæ signa atque indicia edere voluit, cùm mirabiliter aquam in suauissimum vini saporem conuertit. Quid igitur matrimonio sanctius inueniri potest, quod ipse summus rerum Opifex Deus instituit? quid honestius, quod Christus admirabilium actionum suarum primitijs consecrauit? quid autem æquius, quàm per filiorum procreationem humanum genus alioqui breui interiturum, propagare, & quod à maioribus nobis traditum est, id nos etiam posteritati tradere? Hac, vt opinor, de causa totius humani generis conseruator Christus, tanto matrimonium honore prosecutus est, vt primò de virgine quidem matre, sed tamen coniugio locata, nasci voluerit, deinde se cum Ecclesia sua quadam matrimonij figura coniunxerit, & seipsum Ecclesiæ sponsum non semel appellarit. Quid, quòd æternam illam beatorum animorum vitam nuptijs comparat, & neminem ea fruiturum apertè denunciat, nisi qui tanquam ad nuptias bene cultus & nuptiali veste

liveſte exornatus acceſſerit? Et meritò. Quis enim bene ac beatè viuere, quis ſanctiſſimas leges obſeruare, quis à belluino victu ſeſe retrahere poſſet, niſi legitimæ nuptiæ celebrarentur? Optimè profectò ac ſapientiſſimè feciſſe mihi videntur Romanæ Reipubl. Cenſores, Camillus & Poſthumius, homines antiquæ ſeueritatis atque prudentiæ: qui in cenſendis Romanis ciuibus, quoſcunque cælibes ac ſine vxore peruenisſe ad ſenectutem intellexerunt, eis pœam non mediocrem irrogarunt, & illius pœnæ nomine ferre nummos in ærarium iuſſerunt. Quemadmodum enim naſcendi nobis, ita etiam generandi legem natura ipſa præſcripſiſſe videtur, ne quod à parentib. accepim, ueo poſteros noſtros fraudemus. Nec minùs ſapienter mihi Lycurgus inſtituiſſe videtur, atque etiam legibus cauiſſe, vt, qui vxorem non ducere decreuiſſent, ignominia vulgò notarentur, & à ludis ac ſpectaculis publicis arcerentur: hyberno verò tempore nudi per forum ambularent & ſeipſos execrarentur, quòd ſacroſanctis Legibus parere noluiſſent. Metellus verò Macedonicus, vt ad Romanos redeam, vir ſapientiſſimus & optimus, in cenſura ſua legem tuliſſe dicitur, vt omnes vxorem ducere cogerentur. Videbat enim homo prudentiſſimus, hac ſola ratione fieri poſſe, vt Imperij Romani dignitas ampliaretur, ſi multitudine ciuium innixa ſemper nouam prolem ſufficeret: neque ſenectutem, aut aliam ætatem excepit, vt quicunque procreandis liberis eſſent idonei, ij ſe matrimonio copularent. Iam verò quanta fuerit apud antiquos coniugij dignitas ac religio,

vel

vel ex eo cognosci facilimè potest, quòd pœna capitalis adulteris erat constituta. Quin etiam legibus permissum erat, in adulterio deprehensum, sine iudicio trucidare. Apud Hebræos qui tale flagitium admisisset, lapidibus obruebatur. Sed quid hæc agimus? quasi verò non agnoscamus, hanc esse naturæ legem, ad quam vniuersi homines non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sunt. Nullus enim populus est, nulla gens, nulla natio, quæ modò naturæ legibus & optimis institutis parere velit, apud quam matrimonij vinculum non semper fuerit sanctissimum, & cum magna religione celebratum. Cuius tanta vis est, vt non tantùm homines, sed etiam expertes rationis animantes, nuptiali quodam amore inter se vinciantur. Nam quod animal ex omnium numero reperitur, quod non coniunctionis appetitu procreandi causa trahatur? quod non eorum, quæ procreata sunt, præcipua quadam cura teneatur? Columbi suam quisque coniugem agnoscunt. Leones in vxorem dicuntur esse mitissimi. Sunt etiam animalia, quæ per obstantes ignes auxilium ferre proli suæ non vereantur. Quod si quis diligentissimè rerum naturam introspiciat, nihil prorsus inuenire poterit, in quo non aliqua coniugij species esse videatur. Vt enim vniuersa prætermittam animalia, quæ nisi coniugij munere fungantur, nullo modo genus suum conseruare possunt, in arboribus etiam generis discrimen inueniri, probatæ fidei tradunt auctores: vt plurimæ sint, quæ nisi propè coniugem habeant, nullum ex se fructum emittere valeant. Quid, quòd cœlũ ipsum, vt homines sapientissimi tra-

tradiderunt, mariti munere quodammodo fungitur, dum in terras rerum omnium semina, verno præcipuè tempore, demittit? Vnde non sine causa sapientissimi viri Poetæ finxerunt, Aetherem, quem ex Stoicorum sententia, rerum parentem omnium potentem appellant, eo tẽpore sese coniugi suæ Terræ cõmiscere. Quod eleganter ita Virgilius asserit: Lib. 2. Georgic.

Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt;
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium latæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fœtus.

Hæc autem eò spectant, vt intelligamus, omnia certo matrimonio contineri, sine quo nihil omnino sub vniuerso cœli ambitu nasci potest. Sed, vt Poëta quidam ait, Seneca in Hippolyto Aët. 2.

Prouidit ille maximus mundi parens,
Cùm tam rapaces cerneret fati minas,
Vt damna semper sobole repararet noua.

Quid autem de iucunditate suauitateq; coniugij commemorem? Nónne declarat nobis ipsa veritas atq; ratio, quàm suaue sit eã habere, quam non minus quam teipsum diligas? cui securè fidas? qua cum animi tui secreta cõmunices? qua cum amabiliter domi tuæ viuas? quæ tibi in rebus aduersis adsit? quæ assideat? quæ consoletur? in secundis verò, quæ felicitatis tuæ particeps sit? quæ te discedentem pijs votis prosequatur? redeuntem lætissimo vultu recipiat? quæ deniq; sit officiosa comes iuuentutis, grata requies senectutis? Itaq; plurimi semel amissa coniuge, quam amabant, & cuius iucundissima consuetudine fruebantur, diutius viuere

noluerunt. Quinetiam in vtroque sexu eorum exempla reperiuntur, qui pro coniuge vitā profundere non dubitarunt. Cuius rei quid aliud in causa fuisse dicemus, præter quandam incredibilem coniugij dulcedinem & suauitatem? quam cùm semel amisissent, iniucundam seu potiùs miseram sibi postea vitā futuram existimabant. M. Plautius, cùm vxor eius Horestilla decessisset, tanti mœroris impatiens, seipsum pugione confodit. Tiberius Gracchus sibi potiùs mortem elegit, quàm vxori Corneliæ. Cyanippus Thessalus propter vxorem à canibus interfectam, ferro sibi mortem consciuit. M. Antonius Imperator ac Philosophus Faustinam vxorem adeò dilexit, vt mortuæ diuinos honores instituerit. Nec minùs ardentis in maritos amoris vxorem exempla reperiuntur. Panthea cùm audiuisset virum suū in bello periisse, arrepto gladio se repente transfixit. Quid M. Catonis filia Porcia? quæ cùm apud Philippos victum & interemptum Brutum virum suum cognouisset, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones hauire, atque ita mori non dubitauit. Quis Alcestidem Admeti Thessaliæ regis vxorem satis digna laude prosequi posset, quam ferunt obitu voluntario, ne vir suus extingueretur, esse consumtam? Verùm quid ego singularem exempla commemoro, cùm omnes apud Indos fœminæ maritum in funere sequi morte voluntaria libentissimè solere dicantur? Cùm enim more patrio complures eidem nubere soleant, mortuo marito in certamen iudicium qúe veniunt, quam ex eis maximè, dum viueret, maritus dilexerit: victrix lætissimum præse ferens vul-

vultum, coniugis, in rogo ardentis, flammæ se superiacit, & cum eo tanquam beatissima crematur: superatæ cum tristicia & mœrore in vita remanent. Sed quid exemplis opus est, quæ penè sunt innumerabilia, cùm liceat experimento matrimonij suauitatem intelligere?

Lib. 1. Car. Od. 14.

Felices (inquit Horatius) ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimonijs
Suprema citiùs soluet amor die.

Quid enim vxoris beneuolentia, fide, caritate, potest iucundius inueniri? Quid suauius, quàm cùm ad senectutem vsq; maritum vxor, & vxorē maritus amore mutuo prosequitur? Reliquos amicos plerunq; mutare consueuimus, vxor ad mortē vsque nos comitatur, & si fieri posset, aut lex pateretur, etiam ipso in funere libenti animo sequeretur. Quid porrò dulcius, quàm filios gignere, alere, educare, in quibus & corporis & animi tui imaginem quotidie possis intueri, quos osculari, quos in sinu tenere, quorum balbutie, & puerili simplicitate mirificè delecteris? Nam si te vel picta, vel ficta corporis imago plurimùm oblectat, quæ propriùs ad veritatem faciem tuam repræsentet, quantò magis oblectare filij debent, qui te non tantùm ore, sed etiam animo referant? Nimium durus est, ac ne hominis quidem nomine dignus, qui filiorū desiderio non capiatur: quod si contingat tales habere, quales quis optauerit, quæ felicitas aut beatitudo maior inuitare reperiri potest? Sunt enim mares filij quasi familiarum columen, & quædā immortalitatis documenta, cùm in

eis parentes quodammodo renasci videantur. Quam iure optimo beatos vir quidam sapiens eos appellat, qui bonos filios procrearint. Hæc nimirum & alia huius generis plurima, Princeps optime, cùm pro tua singulari prudentia considerasses, non diutiùs in solitudine vitam agere constituisti. Cùm præsertim de priori coniuge, quam vnicè dilexeras, nullus filius quasi matrimonij pignus tibi supereſſet: &, qui tuus amor est in patriam, maiorem in modum cupias aliquem ex te progenitum post te relinquere, qui non solùm cognationem ac gentilitatem tuam propagare valeat; verùm etiam Reipubl. nostræ, quod ipse semper maximè studuisti, prodesse possit. Sed illud etiam cùm secundas nuptias experiri decreuisses, diligentissimè prouidisti, vt eam vxorem haberes, quæ iam esset perspectæ atq; cognitæ fœcunditatis, quò facilè possent omnes intelligere, te non voluptatis, sed generationis gratia ducere vxorem voluisse. Quamobrem ex omnibus hanc honestissimam & pudicissimam adolescentulam Faustinam elegisti, cuius tibi vita mores q; probatissimi bene cogniti fuerant. Quæ cùm alteri viro non ita pridem nupsisset, filiolum elegantissimum, qui viuit adhuc, & quantum ex infante puero conijcere possumus, præclaræ indolis est atque optimæ spei, peperit. Postea marito mortuo, duos annos in viduitate ac solitudine continentissimè vixit; vt quamuis esset admodum adolescens, & facie maximè liberali, præstantique venustate, atque à multis penè quotidie procis solicitaretur: nihil tamen de matrimonio cogitaret; verùm ita castè pudiceq; viueret, vt quicunq; eius atatē

& pul-

& pulcritudinem intuerentur, maiorem in modum omnes admirarenter. Quid multa? Nemo erat in hac vrbe quin eius honestatem, continentiam, sanctitatem prædicaret, cuius tu virtutibus impulsus, optime Princeps, eam tibi matrimonio coniungere voluisti. Quamuis enim ipsa filioli amore vsq; eo teneretur, vt non amplius nubere statuisset: tamen cognatis & propinquis suis, eam adhortantibus ne tantam optimè nubendi occasionem amitteret, obsecuta est. Bene omnino tibi, pudicissima Faustina, bene, inquam, propinqui atque amici consuluerunt, vt ei te viro coniungeres, qui virtute sapientiaq; non modò eos, qui hoc tempore sunt, sed etiam antiquitatis memoriam superauit. Nec profectò præstantissima tua virtus, summaque & animi, & corporis, & fortunæ ornamenta coniugem alium exposcebant. Sic enim te miramur omnes amabilem, sic venustam, sic omnibus gratijs exornatam; vt non ab hominibus genita, sed à Deis ipsis facta esse videaris. Omnino te fortunatissima sidera, cùm primùm in lucem de matris vtero prodires, exceperunt, & cœlestibus donis accumularunt. Tibi summam Saturnus intelligentiam & sapientiam elargitus est: Iupiter felices & præclaras actiones: Mars animi constantiam, & honestatis ardorem: Sol acres sensus & splendidas cogitationes: Venus immensam venustatem, & mores vehementer amabiles: Mercurius promptum ingenium, & mirum dicendi leporem atque elegantiam: Luna fœcundam pudicitiam. Postea verò te sanctissimi parentes paulatim crescentem, ita liberaliter educarunt, tanto studio, cu-

ra, diligentia instituerunt, vt illa, quæ de cœlo tecũ attuleras bona, vehementer amplificata fuerint. Itaque nemo nostrũ est, quin existimet, antiquas illas, omnium sermone celebratas heroinas, omni genere virtutis à te superatas. Vt nihil interim dicã de ista tua, quam omnes suspiciunt, eximia pulcritudine, de partiũ totius corporis admirabili conuenientia, de natiui coloris suauitate, de sidereis oculis, de hilari fronte, de roseis genis, de malis purpureis, de corallinis labris, de collo eburneo, de lato modiceq; tumescente pectore, de summa, quam ex toto corpore spiras, venustate: quæ singula non humanam, sed diuinã potiùs vndique referunt dignitatem. Itaq; cum Virgilio iam mihi libet exclamare: quæ te tam læta tulerunt

Aeneid. 1. Secula? qui tantis talem genuere parentes!

Dete, mihi crede Faustina, nulla vnquam posteritas conticesceret, vnã te præter cæteras posterorũ fama prædicabit.

Virg. Ecl. 5. & Aen. 1. Semper honos, nomenq; tuũ, laudesq; manebunt.

Quam felicem ergo te, Princeps optime, nunc appellem? cui prospera quadam fortuna, vel diuino potiùs munere concessum fuit, vt tam spectatam fœminam, tam nobilem, tanta dignitate, tot virtutibus exornatam, tibi certo & stabili matrimonio coniungeres. Sed mehercule non aliam præstantissima virtus ac dignitas tua coniugem postulabat. Sentio, Patres Conc, quantas orationi meæ sese campus aperiat, si in huius Principis nostri laudes ingredi voluero. Sed vereor ne tenuitas ingenij mei medio in cursu deficiat. Audendum tamen est, & magno ac fidenti animo, quod incepimus,

obeun

obeundum. Nam, vt ait Poëta quidam, si deficiant vires, audacia certè

Laus erit, in magnis & voluisse sat est. Prop. li. 2. Eclog. 10.

Cùm præsertim non mihi propositum sit, encomium aliquod omnium laudum Principis huius nostri recitare: quod non meæ facultatis, sed summi potiùs oratoris eloquentiæ proprium opus est. Verùm cùm ad ea, quæ mihi probanda proposui, huius sapientia bene perspecta & cognita, magno mihi futura sit adiumento, conabor eam, si minùs explicare plane potero, saltem quasi digito demonstrare. Quamobrem ea, quæ licet amplam afferre laudem solent, tamen ab industria nostra non proueniunt, sed vel à fortuna vel à natura donantur, prætermittam. Nihil de clarissimo Saccorum genere, quo nullum est in hac ciuitate nobilius, nihil de præstantissimis viris, qui in hac familia, & in bello, & in pace magnopere floruerunt, in præsentia dicam. Neque sanè cõmemorabo, quanta cura ac diligentia fuerit hic Princeps noster ab incunabulis semper educatus, vt omnes dignas libero homine disciplinas ab ipsa statim pueritia maximo studio atque industria perceperit, vt ab ineunte ætate semper ita se gesserit, vt nihil ei gratum esset, quod non idem esset honestissimum, vt non solùm æqualibus suis antecelleret, verùm etiam natu maiores facilè superaret. Non dicam, quam breui tempore quantã Iuris ciuilis cognitionem assecutus sit, vt dum esset admodum iuuenis, vel potiùs adolescentulus, illius excellentissimi Iurisconsulti Iasonis Maini, si quando ille vel ægrotaret, vel alijs in rebus occupatus esset, partes publicè docendi susciperet,

& auditoribus vniuersis vehementissimè probaretur. Prætereo res gestas ab hoc plurimas & immortales, honores, magistratus, dignitates, quib. semper maximè floruit. Taceo quemadmodum fortunæ cõmoda, quæ semper huic videtur afflasse benigniùs, ad virtutem & honestatem omnia traduxerit. Ab eo potissimùm tempore mihi incipiendum esse constitui, quo ciuitatis nostræ gubernacula primùm tenere cœpit. Cùm enim à Maximiano Sfortia Duce nostro, ob immensam virtutis & scientiæ famam, in vestrum hunc ordinem cooptatus fuisset, ea statim ingenij, prudentiæ, grauitatis suæ documenta dedit, vt à vobis omnibus, & ab ijs, qui tempore illo viuebant, dignus habitus fuerit, cui maxima quæque negocia committerentur: vt si qua esset obeunda de grauissimis rebus, & ad Reipubl. summam pertinentibus legatio, huic vni demandaretur. Nam quid ea legatione mirabilius, qua nobis Heluetios periculosissimo Reipubl. tempore conciliauit? Cùm enim Francorum rex Franciscus in Italiam contra nos bellum gesturus aduentaret, & ingentibus præmijs atque muneribus Heluetios, vt quiescerent, nec Maximiano Duci nostro subsidium ferrent, solicitaret; hic ad eos legatus missus, quamuis neque aurum, neque argentum secum attulisset, tamen tanto vsus est dicendi artificio, tanta eloquentiæ vi, vt non aliter atque olim Thebanum populum, iam Philippo Macedonum regi deditum, Demosthenes in Athenienſium partes orationis grauitate pertraxit; ita noster hic Princeps Heluetios spernere Francorum regis ingentes pecunias, & sine stipendio cum

numeroso exercitu venire, nostrāq; ciuitati auxilium ferre compulerit. Iam verò magnum illud ac memorabile factum à me sileri nullo modo potest, quòd cùm Franciscus Sfortia secundus Mediolani in arce Iouis obsidione premeretur, neque vllum amplius cōmeatum aut annonam haberet, & iā omnia, quibus vesci possent, absumpta penitus fuissent; id quod etiam hostes intelligebant, cùm ducenti ferè milites fame coacti, deceptis custodibus ad eos transfugissent: hic noster eo tempore legatus à Sfortia missus ad hostilis exercitus imperatores, vt munitiones omnes & castella, quæ essent in ipsius Sfortiæ potestate, dederentur, tanta vsus est prudentia, tanto consilio, tam fideli opera, vt hostes honestis conditionibus Sfortiam cum toto exercitu atque suis rebus, & suorū omnium dimitterent: & Cremonensem arcem, quæ ex mandato Sfortiæ, hostibus tradebatur, huius virtuti sapientiæque concederent. Quæ quidem arx, si, vt erat constitutum, hostibus dedita fuisset, nunquā postea Sfortia suum imperium recuperare potuisset. Hæc enim causa postea fuit, vt & Cremona ipsa, & magna imperij pars iterū in Sfortiæ potestatē deueniret. Nam cùm in Italiam Cæsar aduenisset, & à Sfortia Cremonā obtineri intelligeret, facilè adductus est, vt ei totā hanc diœcesin, atque arcem etiam Mediolanensem restitueret: quæ tamen restitutio non sine maxima huius opera facta est, qui Sfortia iussu ad Cæsarē cum amplissimis mandatis profectus est. Quid commemorem quanta fuerit in hoc animi magnitudo, quanta virtus, quanta constantia, quo tempore Dux

Brunſuichus cum ingenti exercitu ad Laudem Pompeiam oppugnandam cum Antonio Leua ſe contulit? Cùm enim eam vrbem tormentis, vineis, aggeribus, vehementer premerent, & iam permagna murorũ pars diruta ac proſtrata eſſet: hic, qui præclarè intelligebat, ſi vrbs illa expugnata fuiſſet, actum eſſe de Sfortiæ imperio, præſtanti ſua alacritate animi, ſingulariq; dicendi facultate, ita milites animauit, vt hoſtes in prima ſtatim oppugnatione repulſi ac profligati, deſerere obſidionem coacti fuerint. Itaq; verè poſſumus dicere, Princeps optime, te primò vitam Franciſco Sfortiæ reddidiſſe, cùm eum ab obſidione liberaſti: deinde imperium ei reſtituiſſe, cùm Cremonenſem arcem reſeruaſti: poſtremò reſtitutum confirmaſſe, cùm Laudem Pompeiam ab hoſtium penè faucibus eripuiſti. Quin etiam nos ciues omnes tibi fortunas, aras, focos, vitam ipſam debemus. Nam niſi per hæc tempora tu ciuitati noſtræ præfuiſſes, hodie Rempub. nullam haberemus. Quis enim ignorat ſtudium & ſolicitudinem tuam in prouidendo, ne quid vnquam Reſpubl. detrimenti pateretur? Cùm Martio furore proſtrata iacerent omnia, cùm ingens & miſeranda calamitas ciuitatem hanc oppreſſiſſet, cùm iam omnes de ſalute deſperarent, tu tanquam aliquis de cœlo delapſus Deus, omnia ſumma prudentia tua reſtituiſti: tu vaſtitatem ab agris, direptionem & incendiũ à ciuitate ſæpiſſimè repuliſti. Pro Dij immortales, quis non adhuc obſtupeſcit, qui tẽporis illius recordetur, cùm Franciſcus Sfortia ſecundus ſe Cremonæ contineret, & Mediolanum atq; adeò tota Inſubrum regio ferro belloq; miſceretur,

tur latrocinijs, cædibus, incendijs vastaretur, vt omnino nullum vnquā exitum res videretur habitura, cùm inter se omnes dissentirent, factiones, dissidia, contentiones quotidie augerentur! Quàm breui tēpore, Dij boni, tuus aduentus omnia tranquillauit! Quis non maiorem in modū admiratus est illā tam repentinam mutationē? Quàm magnū fuit animos, iampridē seditionibus ac discordijs irritatos, tā facilè mitigare, vt pro summa dissensione, mira concordia, pro maximo tumultu, tranquillitas immensa nobis illico redderetur? Sed nimirum illud seueritatis ac iusticiæ tuæ fuit, qui statim, quæ curari non poterant, vulnera recidisti, clementiæ verò, qui iam debilitatis ac fractis ciuiū animis salutarem medicinā adhibuisti. Age verò quis illius temporis admirabilē prudentiā & vigilantiam tuā non summè prædicandam esse censeat? quo Hispani in Taurinis à Cæsare defecerunt, & ad vrbem nostram oppugnandam studio inflammato rapiebantur: cùm omnes statim ciues, maximo terrore perculsi, de vrbe relinquenda cogitarent: cùm omnia tumultu plena viderentur: cùm nullus omnino mœnia defendere, aut resistere hostibus auderet: & iam plurimi, collectis sarcinis, cum liberis & coniugibus suis fugam capesserent, alij consiliorum expertes, nullam salutis spem haberent: omnia denique metu, trepidatione, tristicia, luctu miscerentur: cùm nullus esset in vrbe exercitus, nullum præsidium, nullus in propinquis locis miles: prò Deum hominumque fidem, quo tu consilio, qua sapientia, qua assiduitate de repente tanto periculo restitisti! Nunquā mehercule tantum in op-

in opprimenda Catilinæ coniuratione Ciceronem inuigilasse crediderim. Quàm enim subitò iustũ penè exercitũ ex voluntarijs ciuibus adhortatione tua collegisti? Quàm repente præsidijs rebusque omnibus necessarijs vrbẽ confirmasti? Quàm mirũ simul & gratum fuit omnibus spectaculũ, cùm vndique copias tua sedulitate coactas viderent, ad vrbis nostræ propugnationẽ ex insperato confluere? Quin etiam illi ipsi Hispani, qui priùs cœlum ipsum armis territare videbantur, iã de salute sua soliciti, maiorem in modũ timere cœperunt: & qui paulò antè cæde & incendijs miscere omnia cœperant, mox sese castris & vallis muniuerunt. Quòd nisi statim eos defectionis suæ pœnituisset, & veniã petentes iterum in Cæsaris verba iurassent, nemini dubium fuit, quin tibi meritas temeritatis suæ pœnas daturi fuissent. Verùm vt in superbos & insolentes seuerus, ita in subiectos & supplices clemens semper esse voluisti. Quare non immeritò te vno ore Patrem patriæ ciues omnes appellare solent: tibi se, fortunas suas, conuges, liberos, vitam denique ipsam debere putant. Quot preces, quot supplicationes in templis Deorum immortalium, & in priuatis domibus quotidie fiunt, vt tibi Deus longissimam, & curis ac molestijs carentem concedat senectutẽ? Cupiunt homines nostri, te, si fieri posset, immortalem habere. Rarum est ab omni ordine senatus Principem sic amari: sed rarior est tam spectatæ virtutis Princeps. Quid populi voluntate mobilius? Qui fluctus, aut Euripus, vulgi sententia mutabilior? Idem tamen populus te constantissimè diligit: & cùm in cæteris

rebus

rebus facilimè & leuissimè moueatur, in te tamen amando mirificè perseuerat, vt hac in re naturā suam immutasse quodammodò videri possit. Cuius sanè rei nihil aliud in causa est, præter admirabilē ac penè diuinā sapientiam tuā. Quid vos, P. C. quantopere virtutū huius splendore gaudetis, qui vestro ordini, vni omniū grauissimo ac sanctissimo, ex optimi cuiusque voluntate sententiaque præsidet? Quàm enim alta mente, quàm diuino consilio præditū eum esse oportet, qui huic præstantissimo Senatui vestro Mediolanensi præesse dignus habeatur? Quo quid in orbe terrarum fuit vnquā aut iustius, aut incorruptius? Sed hoc mihi non sumo, P. C. vt vestras dicendo laudes me consequi posse existimē. Itaque cùm eas verbis explicare nequeā, saltem, quod omnes faciunt, etiā atque etiā admirabor. Nā quæ regio in terris inueniri potest, quò non prudentiæ, sanctitatis, auctoritatis vestræ fama peruaserit? Quis non iudiciorum vestrorum & sententiarū incorruptam seueritatem vehementissimè demiratur? quam non propinquitatis vinculum, non necessitudinum coniunctio, non amicitiarū consuetudo, non munerum corruptela, non terrores, aut minæ principum, non denique, quod ait poêta, Si fractus illabatur orbis, possit à recto dimouere. Ac mihi quidem cùm in istum religiosissimum & sanctissimum ordinem vestrum mentis oculos animumque conijcio, repente venit in mentem recordari, non centum illos Romanorum senatores, quos vrbis pater Romulus primùm instituisse dicitur, non Amphictionum conuentum, non Areopagitarum consessum, sed illius

Hor. lib. 3. Car. Od 3.

illius Platonicæ ciuitatis imaginem quandam intuer
mihi videor. quam cùm ille diuinus philosophus, nequ
esse suo tẽpore videret, neque futurũ vnquam sper
ret, cogitatione tantùm & ratione conformauit: ati
ita, vt de hac Republ. nostra diuina esse videri possit. C
enim hæc ciuitas & agrorũ vbertate, & artificũ scien
tia, & multitudine earum rerum, quæ exportantur,
& omniũ denique rerum copia facilè reliquis ciuita
tibus antecellat, sic iustitia & æquitate vestra guber
natur, sic incredibili sapientia regitur, sic admirabili
prudentia temperatur, vt nusquam iudiciorum tute
na iustior, nusquam virtutum remuneratio maior, nu
quã scelerum pœna seuerior. Quo consilio, Dij boni! qu
solertia cuncta prospicitis! vt ciuiũ salutem vtilita
vestræ præponere soletis! vt nullũ est apud vos perso
narũ discrimen, quo pauperrimus quisque, perinde a
ditissimus, ius suũ facilimè consequatur! Quid, illus
inter cætera vestra penè innumerabilia præclara fac
nora, quantopere laudandũ est? quòd pacatissiman
ciuitatem nostrã vestra diligentia conseruatis, vt nul
læ sint inter ciues discordiæ, nullæ seditiones, sed vbiq
pax, vbique concordia. Nullus vnquã pater tantope
re filios suos dilexisse videtur, quanto vos amore, P.
C. totam hanc Rempubl. amplectimini. O felix at
fortunata Mediolanensis ciuitas, si tibi præsenti statu
vti quàm diutissimè licuerit! Sed nulla vis est inge
nij, nulla dicendi facultas, nulla orationis copia, qua
vestrũ hunc Ordinem satis dignè laudare posse videa
tur. Quare quantus tandem ille putandus est, qui
principem inter eos locum obtinet, atque illis præst,

quibus

quibus nulli vnquam post hominum memoriã fuerunt in omni genere virtutũ excellentiores? Quod bene mihi videtur intellexisse Carolus Quintus, Imperator inuictißimus, quo tempore Franciscus Sfortia secundus morte peremtus est. Cùm enim hæc prouincia nostra post Sfortiæ mortem ex fœdere in eius ditionem deuenisset, neque vlli dubiũ esset, quin tantus Imperator quàm plurimos homines excellentißimos secũ haberet, nullũ tamen ab ordine isto senatorio penitus amouit, nullũ addidit. Tã grauem enim patrum consessum, tam sapientem integerrimorũ hominum cœtum, tã rectis consilijs & rationibus omnia tuentem, detrahendo aut addendo perturbare sibi nefas esse duxit. Itaque cùm primùm de Sfortiæ morte nuncium accepisset, statim ad hunc ordinem vestrum amantißimè scriptas literas misit, quibus omnes honores, magistratus, dignitates, quibus ornatus vnusquisque vestrũ erat, decreto suo confirmarentur, & quibus totius ciuitatis administrationem, & Reipubl. gubernacula vobis cõmitteret. Quin etiam vos parentes optimos appellans, vobis se, tanquam filiũ, suaque omnia cõmendauit. Quid hoc tã maximi Imperatoris facto iudicioque de vobis magnificentius aut præclarius accidere potuisset? quid glorioſius ad hominũ memoriã sempiternam? Ostendit enim eo tempore Cæsar apertißimè, neminẽ ex intimis & familiarißimis suis habere se, cui magis vni, quàm vobis omnibus confideret: cùm de fide vestra nihil omnino dubitans, tanti imperij iurisdictionem potestatemque, modò ad se deuolutam, vobis tanto cum honore gloriaque demanda-

mandarit. Nam in ipso Sfortiæ funere, quis non ob-
stupuit nullum omnino tumultum, nullū strepitum, nul-
lam mutationem animorum extitisse? nihil innouatū,
nihil motū fuisse? tanquam si priuatus aliquis ciui,
& non tantus princeps occubuisset. Memini, cùm
mihi senex quidā, omnis antiquitatis peritissimus ho-
mo, diceret, se nunquā audiuisse neque legisse, muta-
tionē Imperij tranquilliorem accidisse. Quia etiam
ciues ipsi nullū in ciuitate motū fieri summoperè mi-
rabantur: nullus tamen erat, quin illud summiæ pru-
dentiæ vestræ, P.C. atque huius vestri Principis aucto-
ritati tribuendum esse existimaret. Iam illud, quam-
uis notissimū sit, tamen à me in dicendo prætereundum
non est, ab hoc nostro Principe laborē & vigilantiam
tantopere diligi, vt antelucano tēpore quotidie de lec-
to surgat, & iam ita Senatores omnes assuefecerit,
vt non modò sine difficultate, sed etiam libenter in se-
natum primo diluculo veniant. Hoc enim & bonæ va-
letudini conducere, & rebus agendis aptissimum esse,
præclarè intelligunt. Quo fit, vt maxima clientum
cōmoditate atque vtilitate, semper negocia bene ma-
nè, quæ curanda sunt, expediantur. O si mihi videre
aut interesse liceret, cùm tu sapientissime Princeps, in
senatorum consessu prudentissima consilia tua decla-
ras! quàm admirabiles, & altissima ista mente tua
dignas afferre laudes possem? Quæ tamen non ab
ipsis senatoribus silentio prætereuntur, qui nunquam
prædicare desistunt, quàm prudenter, acutè, dilu-
cidè causas omnes explices, quàm patienter aliorum
sententias audias, quam amicè, quæ non satis appo-
site

sitè videntur esse dicta, refutes, quàm humaniter, si qua prætermissa sunt, in memoriam reducas; quã subtiliter de rebus dubijs differas, quàm multa memoriter, quàm obscura splendidè proferas, vt semper aliqua sapientissimorum hominũ exempla de simili re, quæ tum agatur, in promptu habeas. Neq; enim quisquam omnis antiquitatis te peritior inuenitur. Nã in Iuris ciuilis scientia tantùm excellis, vt etiam ipsi primarij Iurisconsulti summopere demirentur, qua ratione fieri posit, vt homo ista ætate, tot ac tantis occupationibus impeditus, non solùm quicquid ipsi legũ auctores, verùm etiã quid eorum interpretes dixerint, promptè & paratè respondeas: & sæpissimè ingenij tui acumine ratione aliqua diuinitus inuenta, res difficilimas & obscurissimas, quæ nullo pacto explicari posse viderentur, facilimè declares. Iã verò si quis exponere velit, quibus institutis & moribus totã domum ac familiam tuã instructam esse cures, qua sanctitate domi tuæ viuatur, qua diligentia res tuæ familiares administrentur, an non hîc esset latissimus dicendi campus? Possem hoc loco liberalitatem & munificentiã tuam cõmemorare, quam multi quotidie mortales experiuntur. Possem explicare, quam faciles ad te priuatorũ aditus pateant, quàm mansuetè & humaniter omniũ querimonias audias. Possem animi tui magnitudinem extollere, quã neq; labores vlli, neque pericula possunt infringere, neq; secundæ res efferre, neq; aduersæ deprimere. Possem incredibilẽ temperantiã tuam, fidem, innocentiã, cæteras q; plurimas virtutes, quibus mirabiliter excellis, verissimè prædicare. Sed vereor,

ne fortasse modestissimum istum animum tuum offen-
dā. Cùm enim in omni virtutis genere præstantia tu
tanta sit, vt eam nulla dicendi facultas assequi posse
deatur: tamē etiam ea in te modestia est, vt verissima
laudes tuas inuitissimis auribus excipias. Illud enim
Christianū documentum altiùs animo tuo videtur in-
sedisse, quo præcipitur, vt quò quisque maior est, eò
submissiùs gerat. Itaq; ne patientissimas aures tuas
diutiùs offendā, totā hanc orationem meā de laudib.
tuis amputabo: atq; ad illud, quod initiò pollicitus sum,
iā aggrediar. Cùm enim nonnullos esse intelligerem,
qui senile matrimoniū improbarent, dixi me facturū,
vt ostenderem, natu grandioribus hominibus, non mi-
nùs quàm iuuenibus, aptam & necessariam esse conu-
gem. Sed iā isti aduersarij nostri, qui coniugium in se-
ne vituperant, duobus grauissimis præiudicijs deuicti
atq; prostrati sunt: quoniā & matrimoniū semper ho-
nestissimū esse demonstratum est: & tu, sapientissime
atq; optime Princeps, ista ætate lectissimā hanc fœmi-
nam vxorē ducere voluisti. Velim igitur adessent isti
matrimonij senilis improbatores: libenter enim eos in-
terrogarem, cùm in sene coniugiū non probent, vtrum
rem ipsam, an personam, an vtrunq; simul vituperent?
Quid ad hanc petitionem meam estis responsuri? Si
rem non placere dixeritis, hoc est, si matrimonium im-
probatis, iam vos deuictos esse confiteamini necesse est.
Quippe cùm honestissimum & sanctissimū esse matri-
monium ostenderimus, quòd primùm à Deo sit insti-
tutum, deinde sacris & profanis legibus appro-
batum, tum à maioribus nostris inter septem Eccle-

sia

siâ Sacramenta connumeratum. Si personam, hoc est, senes vituperatis, primùm hoc nihil ad coniugium: deinde videte, ne parum sapienter istud efficiatis, vt eam damnetis ætatem, cuius propria sit auctoritas & sapientia, cuius consilio ac prudentia bene res omnes administrentur, quam omnes assequi desiderant, à qua, grauissimũ omnium ordinem, senatum maiores nostri appellatũ esse voluerunt. Quòd si neq; matrimonium separatim audetis, neque senectutẽ improbare, quænam erit ista vestra dementia, vt vtrumq; simul impugnetis? Bene habet. Iacta sunt optima nostræ defensionis fundamenta. Non enim vereor, ne, quod honestissimũ sit, minùs in homine sene, quàm in iuuene deceat. An non sentitis, quàm in scopulosum locũ temeritate vestra vos præcipites dederitis? Nam si laudabile & honestũ est matrimonium, vt ipsi dicitis, cur senes homines ab eo, quod honestũ est ac laudabile, reuocatis? An iuuenes decet, quæ sunt honesta, sequi, senes non decet? Quid absurdius dici aut excogitari potest? Hæc, opinor, erit vestra conclusio: cùm matrimonium apud Christianos maximum sit Sacramentum, & res sanctissima atque optima, non conuenit, vt senes homines, prudentia atque sapientia longè cæteris antecellentes, illud amplectantur. Quid hac oratione fieri potest ineptius aut puerilius? Profectò iam ipsi videtis, hoc esse leuissimum. At parum decorum est, senem hominem cum adolescentula matrimonio coniungi. Cum quo tandem hæc homines imperitissimi disputant? Nempe cum eo, qui grauissimorum & sapientissimorum hominum, & vete-

rum & recentiorē exempla penè infinita proferre po-
ſit, qui ſenes adnodū, & penè decrepiti puellas in vx-
res duxerint. Sed ne longior ſim, quàm oporteat, du-
tantùm duorū ſanctiſſimorum hominū exempla pro-
feram: alterū ex vetuſtiorib. diuinis literis, alterū e-
recentiorib. quib. luce clariùs appareat ſenile matri-
moniū nō tantū à ſapientiſſimis hominibus, ſed etiā a-
immortali Deo fuiſſe cōprobatum. Quæ duo tam egre-
gia ſunt, vt omnino ſufficiant ad iſtorū improbitatem
refellendā. Quis enim poſt homines natos Abraham
ſapientior, iuſtior, temperantior fuit, aut eſſe debuit?
quis Deo gratior? quis omni laude florentior? Hic ta-
men poſt obitū Saræ coniugis, quam vnicè dilexerat,
ex qua penè decrepita, Dei beneficio atq; munere, filiū
Iſahacum ſuſceperat, cùm iā ſenio ferè confectus
· Geneſ. 25. eſſet, quippe qui centū & quadraginta annos expleue-
rat, elegantem puellam, quæ Cetura vocabatur, vxo-
rem duxit, ex qua tamen quinq; mares liberos, vt at-
teſtantur ſacræ literæ, procreauit. Quid de Ioſepho
Mariæ Virginis marito, Chriſtiq; nutricio multa com-
memorem? Cuius integerrimā vitam ſanctiſſimoſq; ut
mores, cùm ipſe Deus approbaſſet, aperto ſuo teſtimo-
nio dignū eſſe cenſuit, cui vnigenæ filij ſui mater, quam
ab omni æternitate delegerat, matrimonio iungere-
tur, quo tempore iam longè natu grandior, ac penè de-
crepitus eſſet. Quo facto, quamuis corporum coniunctio
ſecuta non fuerit, nihilominus tamen apparet, maxi-
mè probandum eſſe ſenile coniugium, immò verò præ-
ter cætera ſummopere celebrandū. Cùm vnicus ille
Dei filius, rerum omnium auctor & moderator Chri-
ſtus,

stus, ex ea virgine nasci voluerit, quæ cum homine admodum sene matrimonij sacramento fuisset antea copulata. Quàm igitur maleuoli animi, quamq; improbi est, id improbare, quod non tantùm sanctissimi viri, sed etiam Deus ipse statuit honestissimũ & præstantissimũ esse? Sed inutile est ac minimè necessarium senile matrimonium. Hic mihi venit in mentem affirmare, quod initiò dixerã, in senectute magis necessariam esse coniugem, quam in iuuentute. Nam quod tempus vitæ, quæ ætas officio curaque magis indiget, quàm senectus? Quod autẽ fidelius atque gratius officiũ, quàm quod à fidelissima & gratissima coniuge præstari solet? Quamuis enim aliquis plurimos seruos & ministros habeat, qui diligenter assideant, qui vel nutu solo domini voluntatem intelligant, qui, quod aiunt, ad digiti crepitum obediant: hæc tamen omnia meher cule cum vna gratæ vxoris collocutione minimè sunt conferenda. Hæc cum summa & admirabili pietate semper assistit: hæc diligentissimè & accuratissimè, quæ necessaria sunt in domo, præparat: hæc quid cupias, cuius rei indigeas, statim intelligit: hæc si doleas, vultu mœrorem præse fert, & grata sedulitate suam erga te fidem & amorem ostendit; si melius habeas, & aliquantò fias hilarior, illam confestim recreari latioremq; fieri videbis: denique lætitiæ, mœroris, spei, timoris, omnium affectionum tuarum in ea semper expressa vestigia conspicies. Age verò, quid in morbo gratius atq; vtilius est, quàm eam habere, quæ morbi tui quodammodo particeps esse videatur? quæ te nunquam deserat? quæ cum amore non fucato, sed puro ac

sincero tibi seruiat? quæ solicita circa lectũ assidue versetur, &, quid quid opus est, ocyßimè præparet? Equidẽ doctißimi viri Minucij Calui necessarij mei sententiã summopere laudo, qui, cùm eum grauiter decumbentem, magnoque morbo implicitũ sæpiùs inuisam, solet interdum mihi dicere, cùm primùm sibi meliusculè factũ esse senserit, se decreuisse vxorem ducere. Nullũ enim ait esse vitæ tempus, quo magis vtilis sit vxor necessaria, quã in senectute: propterea quòd ætas illa plerunque debilior atque infirmior sit, quo fit vt auxilio & societate magis indigeat: neque vllam fideliorẽ coniunctionem inueniri posse, quàm vxoris & mariti, quorũ alter pro altero, si sit opus, vitam profundere sit paratus. Quod enim, inquit, maius esse potest in senectute solatium, cùm aut ætate aut morbo premeris, quàm sociam vxorem habere, qua cum ea proferre possis, quæ sæpenumero cum alijs proferre pudor vetat? cui tutò vitam tuam committas? cuius studium & industriam erga te singularem plurimùm ames? cui rerum omnium tuarum curam sine vlla perfidiæ dubitatione tribuas? cuius diligentia tu securus in vtramq; (quod aiunt) aurem quietè dormias? Seruorum enim genus, inquit, infidum & barbarum esse non ignoras, & plerunque scelestum, atque ab omni pietate prorsus alienum: vt non immeritò dictũ sit, Quot seruos habemus, totidem nos hostes habere. Quamuis enim in ministrando nonnulli paulò diligentiores esse videantur, tamen si quis oculos posset in eorum pectus inferere, videret ibi maximam animi malitiam, ingens in dominos odium, incredibilem

rerum

rerum omnium negligentiam: videret eorũ animum perniciem domini perpetuò molientem, eiusdem calamitatibus & miserijs gaudentem, quamuis tristiciam vultu præse ferre videantur. Denique, vt quod res est, breuiter dicam, nihil à seruis amanter, nihil officiosè, nihil ex animo perficitur. Horum igitur ministerio si quis vxoris fidelitatem & caritatem comparet, nónne stultissimus esse videatur? Quanta enim beneuolentia, quo amore, qua fide, maritum suũ vxor optimæ prosequitur? quàm clarè & apertè sincerum animum suum, atque ab omni simulatione penitus alienum ostendit? Quantum in aduersis rebus est vxoris solicitudo grata? quantum in prosperis iucunda lætitia? Sed hæc non curat iuuenis, immò neque videt, qui ætatis feruore, quasi extra se positus, nihil aliud ab vxore præter voluptatem petit: neque putat aliud in matrimonio boni esse, præter coniungendorum corporum libidinem. Et quisquam dubitabit, cùm hæc intelligat, quin vxor seni magis necessaria sit quàm iuueni! cùm hic ab vxore salutem, ille tantùm voluptatem expetat: hunc vxor conseruet, illum oblectet: hic animi constantiam ac fidem, ille corporis gratiam & venustatem intueatur: hic, vt habeat, quæ sibi fidelissimè necessaria subministret, ille quæ cupiditatem expleat, vxorem adsciscat. Hæc & huiusmodi verba plurima cùm vir ille prudentissimus me præsente dixisset, audaciùs etiam hanc causam, Princeps optime, suscepi. Maiorem enim in modum confirmantur nostra consilia, cùm à sapientissimis hominibus ea probari videmus,

Sed, aiunt aduersarij, senem illum, cui Reipubl. cura cõmissa sit, non posse simul & vxori inseruire, & rectè Rempubl. administrare. Quo nullum videntur firmius argumentum contra senile coniugium habere. Sed hoc quàm firmum sit, iam liquido constabit. Nam ipsi profectò vident, quantam senum multitudinem hac oratione sua non comprehendunt; cùm penè sint innumerabiles, qui Rempubl. nunquam attigerunt: vt istorum concessu qui remoti sunt ab administratione Reipubl. senes possint vxorem ducere, neque id istis improbandum esse videatur. Verùm cur etiam iuuenibus, qui publica negocia tractant, vxorem non adimitis? Cur enim magis seni, quàm iuueni Rempubl. capessenti, coniunx est impedimento? Quin illud etiam vos interrogo, si iunctus matrimonio senex ad Rempub. accesserit, sitne vxor ei repudianda? Si hoc affirmare volueritis, vos hæreticæ prauitatis accusare non dubitabo: qui contra sanctissimas leges & Christiana decreta sentiatis, quæ mulierem eam, quæ semel in viri manũ conuenerit, repudiari nefas esse statuunt: quòd si non est repudianda, cur igitur non liceat Reip. administratori vxori se coniungere? quã si habeat, sacrosanctæ vetant leges dimittere; nulla verò lex ducere prohibet. Sed quid vxor impedit, quò minùs rectè Respubl. ministretur? Quin potiùs contra, si quis diligentiùs aduertat, facilè intelliget, fidelem vxorẽ non modò nulli esse impedimento, sed etiam senatori maximo esse adiumento: quæ dum foris maritus negocia tractat, & curiam ac forum frequentat, ipsa domi rei familiaris curam suscipiat, & prouideat, quæ ad vitæ cultum

sint

sint necessaria. Neque enim ferè fieri potest, vt ea domus rectè gubernetur, quæ prudentis mulieris sedulitate non vtatur. Quare meritò clamat sapiens quidã Græcus: Bonam mulierem esse familiæ gubernaculum. Potest igitur senex ille, qui Reipubl. clauũ teneat, securus esse, dũ sagacem domi vxorem habuerit: quæ si careat, duplici cura distractus, & publica, & priuata, non satis accuratè, quæ sunt agenda, poterit efficere. Sed quæ hactenus aduersarij nobis obiecere, leuissima fuerunt: atque ideo cuncta facilè, & quasi molli brachio repulimus. Nunc difficilis quidam nodus, & penè Herculeus restat, atque is quidem generatim cõtra senes vniuersos: quem tamen, vt spero, & rationum viribus, & exemplorũ copia proscindemus. Contendunt enim aduersarij, senem hominem non posse filios procreare: quem vnum ipsi matrimonij fructum esse statuunt. Nos verò quamuis hoc esse maximum facilè concedamus, non tamen hac de causa gradu dimouemur. Iam enim docuimus, in coniugio multas esse cõmoditates, quæ magis ad senem, quàm ad iuuenem pertinere videantur. Quòd si etiam hac facultate generandi senes non carere docuerimus, quid erit causæ, cur non de aduersarijs nostris palmam & triumphum gloriosè reportemus? Sed illud aduertendum est, nos hanc totam disputationem non idcirco instituisse, vt iuuenes cum senibus conferamus: sed vt ostendamus, matrimonium etiam in senectute multò esse honestissimum. Scimus enim & fatemur, iuuenes ad libidinem & intemperantem voluptatem senibus esse proniores, atque etiam, vt isti volunt, ad gignen-

dum aptiores : nemo tamen hac de causa dixerit senes à coniugio repellendos: quanquam si quis modò senex paulò robustior ac validior fuerit, qualem te, Princeps optime, videmus, ne in hac quidem parte multùm iuuenibus cedit. Neque enim est, quòd quisquam vereatur, cùm te modestißima coniunx tua tam vegetum & bene valentem habeat, vt iuniorem maritum desideret. Aiunt Ciceronem, cùm eum quidam obiurgarent, quòd homo sexagenarius puellam virginem duxisset, facetè respondisse, Cras mulier erit. Cognitas enim vires suas habebat, neq; dubitabat, quin esset viriliter officio suo satisfacturus. Naturæ rerum indagatores tradunt, Puellam longè facilius & citius ex sene, quàm ex iuuene concipere. Cuius rei perspicuum est signum Cetura fœcunditas, ex qua senex admodum Abrahamus, sicut antea diximus, filios quinq; progenuit. Nostrates etiam homines vulgò dicunt, Puellam sub cana barba iucundè viuere: quòd senex vni deditus vxori, plenè soleat ei satisfacere, cum interim iuuenes propter intemperantiam sæpe, relicta vxore, cum scortis volutentur. Quid, quòd etiam arbores, quò magis senescunt, eò maturius ferre fructus solent? Nã graues auctores Theophrastus & Plinius scribunt, amygdalam & pyrum in senecta multò esse fertilißimas. Apud ignobiles homines, inquit Plinius, vsque ad quintum & octogesimum annum vulgaris generatio reperitur. Rex Numidarum Massanissa, cùm sextum & octogesimum explesset annum, Methymantum filium procreauit. Quid nostra memoria Galeacius Vicecomes, homo spectatißimus, nónne septua-

Plin. Nat. hist. lib. 16. cap. 27.

Nat. hist. lib. 7. c. 14.

septuagesimum annum agebat, cùm ad vxorem animum appulit? duos tamen filios, qui viuunt adhuc videmus eum genuisse. Iam verò memoriæ proditum est, Catonem illum, antiquæ grauitatis & seueritatis admirabile speculum & exemplar, post annum octogesimum Salonij clientis sui filiam vxorem duxisse, filiumque ex ea progenuisse, qui postea spectatißimæ probitatis atque integritatis fuit: qua de causa factum est, vt cæterorum Catonis liberorum propago Liciniana cognominata fuerit, hæc verò Saloniana, de qua natus est ille Cato, qui post mortem Vticensis fuit appellatus. Hic iam animo quieto & securo esse debemus, postquam Catones Censorios nostræ causæ patronos inuenimus. Vt qui primus apud Romanos eloquentiam illustrauit, idem etiam in hac causa seipsum auctoritate sua atque vitæ grauitate defendere videatur, & exemplo suo senile matrimonium comprobare. Neque enim existimare quisquam debet, Catonem illum, qui cùm Censor esset, tanta seueritate fuit, vt inde Censorij cognomen inuenerit, cuius tanta vitæ fuit integritas & sapientia, vt innocentißimi ac sapientißimi homines ab eo Catones appellentur, cuius nomine quicquid est honestatis & laudis vbique comprehenditur, nisi maximè laudandum esset senile coniugium, vxorem in senectute fuisse ducturum. Sed quid antiquitatis memoriam persequimur? cùm tu Princeps optime, maximum huius ætatis decus & ornamentum, qui non tantùm nostri temporis homines, verùm etiam hos ipsos, de quibus modò agebamus, Catones virtute superasti,

rasti, quamuis sexaginta iam annos excesseris, lectissimam hanc puellam tibi matrimonio cõiunxeris. Quis igitur posthac tam impudens erit, vt eum improbare audeat, qui vxorem in senectute duxerit? Quis non potiùs à te, sicut omnium virtutum, ita huius etiam rei laudabile exemplum capiat? Iam ergo taceant aduersarij nostri, dent manus, & aliquando veris argumentis, & sapientißimorum hominum exemplis se victos esse fateantur. Quis enim amplius de coniugij senilis honestate dubitet? cùm & ipsum per se matrimonium honestißimum esse intelligat, & vxorem seni vtiliorem, ac magis necessariam quàm iuueni demonstratum sit; & homines omnium sapientißimi ducere vxorem in senectute voluerint. Quis iam id improbare audeat, quod ipse Deus in Abrahamo & Iosepho comprobauit? Quis id effugiat, quod Catones persecuti sunt? Quis te, Princeps optime, non imitari velit, cui singularis & eximia virtus tua bene cognita fuerit? Quis homo iam ætate prouectiore non animum ad vxorem ducendam applicet, qui te tanquam laudandarum rerum omnium pulcherrimam exemplar ob oculos sibi proponat, & cum hac vxore tua formosißima pudicißimaq; iucundißimè viuentem perspiciat? Hæc habui, P.C. quæ super hoc nouo Principis huius ordinis vestri matrimonio mihi dicenda esse breuiter existimarem; quæ vobis grata & iucunda extitisse, cùm ex summa attentione vestra, tum ex vultu crebrisq; significationibus intellexi. Quod reliquum est, Patres, vt matrimonium hoc felix, faustum, fortunatumq; sit, cùm salutis cõmunis atq; huius imperij, tũ ipsius Principis

cipis vestri causa, sicuti facitis, velle & optare debetis. Faxit igitur Deus Opt. Max. vt ista quidē corporum tā egregia copula longum in tempus prorogetur, sed tamen sitis animorū coniunctione beatiores : tuque Princeps optime, tuam hanc vxorem vnicè diligas, hæc verò tibi in amore pariter æqualiterque respondeat : & pulchra breui tempore prole potiamini, quæ maximas æmulando parentū laudes amplificet, & auis atque atauis omni genere virtutis antecellens, clarissimum vtriusque vestrum genus etiam, si fieri potest, clarius & illustrius efficiat.

SCRI-

SCRIPTA NOMINE IVRISPERITI, QVI petit, vt in Collegium Iurisconsultorum Mediolanensium cooptetur.

ORATIO IV.

CVM illam præclaram & æternam Naturæ legem contueor, P.C. qua perpetuo quodam & immutabili tenore cuncta geruntur, vniuersus mundus administratur, omnia certũ ac definitum ordinẽ seruant, qua Deus ea, quæ intelligentia percipiuntur, Sol ea, quæ sensu cõprehenduntur, regit & conseruat: videor mihi quandã Legum nostrarum, & Ciuiliũ & Pontificiarũ, imaginem atque effigiẽ videre. Quibus non aliter omnes humanæ actiones ad optimũ illũ iustitiæ finẽ diriguntur, atque ortus & occasus siderum, & Solis splendor ac motus ad rerũ omnium, quæ sub Lunæ globo fiunt, generationẽ. Hoc enim quotannis aspicere licet, cùm à nobis cœlestis ille fulgor, calorque Solis recedere incipit, omnia quodãmodo statim exanimari, terrã suis omnibus ornamentis spoliari, folia ex arboribus decidere, herbas exarescere, omnia plena horroris, plena frigoris, nullã viriditatem, nullos flores, nullos fructus apparere. Cùm autẽ verno tempore

pore iam Sol propiùs ad nos accedit, ecce iã rerum omnium incredibilem quandam ac mirificã alacritatem, vt omnia lætari, omnia quodammodo ridere videantur, iã terra sese aperit, iã herbas virentes, flores amœnissimos, fructus suauissimos emittit: & quò magis Solis calor inualescit, tantò maturiores & vberiores fruges emetuntur: itaque medio Solis calore frumenta, quibus potissimũ humana vita sustentatur, in horreis congregantur, neq; ita multò post lætitiæ Bacchus dator sua nobis numera largitur, spumat plenis vindemia labris. An non idẽ accidit in legibus nostris? Cùm enim à ciuitate leges recedunt, statim subsequitur rerũ omnium confusio, iudiciorũ vincula refelluntur, vitæ cõmunis ratio tollitur: nihil est quare cuiquã exploratum possit esse, quid suum aut quid alienũ sit, nihil est, quod æquabile inter omnes, atque vnũ omnibus esse possit: fiunt vbique furta, latrocinia, cædes, adulteria: potentiores & corporis viribus excellentiores crudeliter & superbè dominantur, imbecilliores & tenuiores miserabiliter & impiè deprimuntur: omnis denique vita priuata legibus belluino potiùs ac ferino, quàm humano more degitur. Sed cùm sanctissimarum Legum splendor affulsit, statim è medio tollitur omnis improbitas, & regina ac domina virtutum, Iusticia regnat: vitia hominũ atq; fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte multantur. Verus autẽ, iustus atq; honestus labor honoribus, præmijs atq; splendore decoratur. Quocirca non sine summa ratione clamat ille Philosophorum Princeps Aristoteles: In Legibus ciuitatis salutem esse constitu- 1. Rhet. 4.

tam.

Pro Aul. & Cluentio.

tam. Et eloquentiæ parens Cicero non minùs verè quã eleganter ita inquit: Mens & animus, & consilium, & sententia ciuitatis posita est in legibus: vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege suis partibus, vt neruis ac sanguine & membris, vti non potest. Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices; legum denique idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. O admirandam legum diuinitatem! ô societatis humanæ conseruatrices leges, virtutũ indagatrices, expultricesque vitiorũ! sine quibus nihil in hac vita securum, nihil quietum, nihil tranquillum esse potest: his ego pascor, his delector, his perfruor. Etenim, P. C. multa quidem sunt etiã alia studia præclara & nobilia, vt Rhetoricæ, Philosophiæ, Medicinæ; sed tanta est Iuris ciuilis præstantia, vt si cum ea reliquæ omnes ingenuæ ac liberales artes conferantur, ne minimam quidem partem dignitatis eius æquare videantur. Quæ cùm ego, iam inde à pueritia partim parentis mei clarissimi viri præceptis & admonitionibus eruditus, partim huius ordinis vestri amplissimi atque ornatissimi fulgentissimo splendore cõmotus, viderem; in hac potiùs diuina legum scientia, quàm in alijs studijs mihi esse laborandum statui. Cùm præsertim mihi quasi stimulus quidam & maximum incitamentum accederet vir ille præstantissimus, & diuina quadam mente præditus Philippus Saccus, qui isti ordini vestro longo tempore maxima cum omnium non solùm laude & gratia, sed etiam singularium virtutum admiratione præfuit. Is enim cùm me de lustrico è sacri Baptismatis fonte

suscc-

suscepisset, quasi secundi patris etiam amorem erga me susceperit. Et cùm ipse, quod nemo vestrum ignorat, legũ summa cognitione veteres illos, Vlpianũ, Papinianũ, cæterosque insignes Iurisconsultos æquaret; iustitia verò, integritate vitæ, & respondendi facilitate superaret, me tanquã filium frequenter adhortabatur, vt eandẽ viam ingressus, omni studio, labore atq; industria conarer quamprimùm Iuris ciuilis Lauream assequi. Si enim, aiebat, vehementer optare illum diẽ videre, quo me in hoc amplissimũ ac celeberrimũ Collegium cooptaret. Sed cùm iam ad decrepitã ætatem peruenisset, mihi tantò magis properandũ esse dicebat, vt eo viuente studiũ meum absoluerem. Verùm quoniã hoc illi fata non concesserunt, te, quem præsentem veneror, & cuius excellentiã, fidem, integritatem, non minùs, quàm antecessoris tui Sacci, omnes admiramur, Marce Barbauaria, quasi vicarium huius operæ (si quis est sensus mortuis eorum, quæ hîc fiunt) obtestatur, vt in me tuendo atque extollendo, suas partes suscipias, &, quod ipse viuens facere non potuit, tu illi superstes, in eius gratiam, quem semper obseruasti & coluisti, me in hunc præstantissimũ Iurisconsultorũ ordinem admittas. Hoc non tantùm illi mortuo, vel potiùs immortalitatem iam adepto, gratũ erit, sed etiam viro illi nunquã satis laudato Francisco Sfondrato, qui cũ Sacco testis patrisque loco mihi fuit, quo tempore Christiano more sacro Baptismate me Sacerdos abluit. Erat enim ea tẽpestate Sfondratus huius vestri ordinis Secundus, & Cæsaris consiliarius, postea verò propter eximiam ac singularem

doctrinam & virtutem, Cardinalis creatus, dies hunc, quem se cupidè expectare mihi aliquando dixerat, videre non potuit. Illud tamen me non mediocriter consolatur, quòd ex tribus, qui mihi tanquam patres in sacro Baptismate adfuerunt, vnus adhuc superstes est, & præsens adest, quem ego summa cũ lætitia atque animi alacritate intueor, cuius in vita, tanquam in speculo quodam, video virtutum omniũ non adumbrata, sed expressa vestigia, qui non tantùm iuris, quàm iustitiæ consultus est appellandus, cuius ab ore, quod de Nestore dixit Homerus, melle dulcior fluit oratio: qui si quando vehementiùs agere voluerit, Periclis more, tonare, fulminare, permiscere animos consueuit. Quæritis quinam sit ille, quem non solùm ego tantopere admiror ac suspicio, sed etiam vos, P. C. atque alij omnes honorant ac veuerantur? En hic adest Gabriel Panygarola, decus & ornamentum collegij, Flos illibatus populi, Suadæque medulla: quod olim Ennius de Cornelio Cethego prædicauit. Longum esset de vobis alijs omnibus dicere, P. C. & doctores clarissimi, qui iam diligentia ac labore vestro ad eam dignitatem peruenistis, ad quam pauci, quos æquus amauit

Lib. 1. Ilia.

Virg. 6. Aeneid.

Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,
Diis geniti potuere: qui tanta prudentia, religione, sanctitate præcellitis, vt nulla regio sit in terris, ad quam nominis vestri fama non peruaserit. Faciliùs enim esset Solem à cursu suo deflectere, quàm iudiciorum vestrorum immutabilem atque incorruptam constantiam ab æquitate iusticiaque dimouere. Ac

mihi

mihi quidē cum multis alijs de causis immortali Deo maximas agendas esse gratias existimo, tum præcipuè, quia in hac patria tam excellenti, in hoc tot præclarissimorum virorū domicilio mihi nasci contigerit. Cùm enim hæc ciuitas nostra, & agrorūm vbertate, & artificum scientia, & multitudine earū rerum, quæ exportantur, & denique rerū omnium copia cæteris omnibus antecellat, tum diuina atque incredibili prudentia ac sapientia vestra tam rectè gubernatur, vt neque centum Romanorum seniores, quos Romulus primùm instituisse dicitur, neque Amphictyonum confessus, neque Areopagitarum seueritas, vlla ex parte cū integritate vestra comparari possit. Quantum enim in vobis est, omni diligentia prouidetis, vt nullæ sint inter ciues discordiæ, nullæ lites, nullæ seditiones, sed vbique pax, vbique concordia. Neque aliter vniuersam hanc Rempubl. amatis & caram habetis, quàm optimi parentes filios suos. Me igitur hactenus semper felicem existimaui, quòd in hac ciuitate, satis honesto loco, bonisque parentibus natus fuerim: sed nunc multò feliciorem me futurum spero, cui vobiscum versari, vestras honestissimas actiones intueri, vos imitari posthac licebit. Nam quoties mihi venit in mentem, beneficiū vestrum immortale recordari, quòd me vnum ex vobis esse volueritis, quoties forum nostrum, quoties curiam cogito, quibus in locis, tanquam in theatro quodam omnis iusticiæ, me quotidie exercere potero: statim omnibus laticijs incedo, vobisque quas possum, non quas debeo, quæ sunt infinitæ, gratias ago, neque vnquam ætas vlla tanti beneficij memoriam ex animo

meo delebit. Illud vnum de me polliceor ac spondeo, me omnibus viribus elaboraturum, ac re ipsa præstaturum, vt huius in me collati beneficij neminem vnquam vestrum pœniteat.

PRO OCTAVIANO ROVERTA, TARRACINÆ Episcopo, dum in Academiam Mediolanensem recipcretur.

ORATIO V.

SI quis vestram, Academici, fortè miratur, cur sapientissimi viri philosophi dixerint, Ex omnibus animantibus hominem, maximè naturæ ipsius instinctu atque desiderio, nihil solitarium amare, sed ad cœtus & concilia cū quadam immensa voluptate trahi, natumq; esse ad coniunctionem congregationemq; hominū, & ad naturalem cōmunitatem: is si mentis oculos ad omnes hominū ætates atque ordines diligenter intuendos conuerterit, statim & philosophorum sententiam probabit; & neminem esse prorsus inueniet, qui non æqualiū pariumq; suorū consuetudine atq; societate mirificè delectetur. Quòd si quis fortasse reperiatur, qui hominū congressus societatemque refugiat, is vel cōmunis omnino sensus expers est, & belluinis planè

nè

nè moribus vitā agit: vel heroica quadam ex diuina virtute naturā hominis exuperat, vt non amplius hominū, sed iam Deorū cōmercio dignus esse videatur; quales post homines natos, qui diligenter annaliū monumenta repetiuerit, vel nullos, vel certè paucissimos fuisse cōperiet. Qui verò neque philosophis credere vult, hominē esse naturā congregabilem; neque ad omnium ferè hominū consuetudinē respicit; is hodierno die sapientissimi atque religiosissimi Antistis huius Octauiani Rouertæ, qui ciuitatis nostræ magnū decus & ornamentū est, factum intuens, dubitare desinat. Hic enim cùm & acumine ingenij, & sapientia, & auctoritate plurimùm valeat, vt neque ad augendam eruditionem suā, neque ad prudentiam amplificandam, neque ad mores honestiùs conformandos, hac nostra exercitatione quicquā indigeat: naturali tamen appetitioni repugnare nullo modo voluit. Sed cùm in Academia nostra nonnullas summæ suæ virtutis imagines non leuiter impressas, sed exquisita arte elaboratas, quasi florere conspiceret; earum, vt fit, allectus amore, confestim ad hanc animorū similitudinem accedere, & in collegium nostrum cooptari voluit: præsertim cùm exploratū habeat, & luce clarius intelligat, nostro huic ordini finē omnium optimū, quem remis (vt aiunt) velisq; petamus, esse propositū. Cùm enim tria sint, quæ in omni cœtu concilioque sibi proponere homines ac sequi soleant, honestū, vtile, iucundū: illud plerunque euenit, vt prout vnusquisque benè vel malè fuerit institutus, cùm in sociorū congregationem venit, ita sibi vel optimū finem, vel mediocrem, vel etiam

leuissimum proponat. Quamobrē immanissimus quisq; voluptatē, quæ maximè est inimica virtuti, bonīq; naturā fallaciter imitando adulterat, acerrimè sequitur, neq; solùm honestis reb. sed etiā necessarijs anteponit. Quin etiā eos, qui adhuc in puerili ætate constituti sunt, qui nihildū per ætatē veræ laudis gustare potuerunt, alacres atque gestientes videmus colludendi tùm gratia cū æqualibus congregari: neq; aliud ferè, cùm vnà conueniunt, cogitare, quàm vt appetitionem suæ voluptatiq; satisfaciant: quod plerique etiā iuuenes atq; senes, malo cultu prauisq; opinionibus corrupti, efficiunt. Verùm hic finis voluptatis, quamuis in omni sensu implicatus innatusq; sit, & à natura omni animantiū generi tributus: tamen sapientissimi cuiusque hominis iudicio, leuissimus omniū atque abiectissimus est, & animo excelso ac præclaro prorsus indignus. Sūt alij quidā indocti atq; agrestes, qui anteferunt semper vtilitatem honestati, quibus tantùm quæstus, emolumentum, fructusq; proponitur, ad quem toto impetu rapiuntur, & habendi cupiditate vsq; eò cæcantur, vt eos omnis honestatis capiat obliuio: qui sunt ab ingenuis ac bonis viris omnino vituperandi, vel potiùs contemnendi. Sed qui, cùm inopia premantur honestis artibus rem familiarem amplificare contendunt, non illi quidem optimū finem, sed mediocrem tamen, & laudabilē sequuntur. Rarum est quoddā genus eorū, qui tam humani expolitiq; sunt, vt rebus omnibus dignitatem anteponant, quibus laus, honor, gloria, fides, iustitia, omnisque virtus proposita est: qui ad concilia cœtusque ea de causa libentissimè conueniunt, vt vi-

tam

tam suam sapienter instituant, vt animum excolant, vt omni genere virtutum efflorescant. Quod hominum genus in terris, & hac mortali conditione, beatissimam illam cœlestium vitam quodammodo repræsentat, & suauissimo nectare, purissimaque Deorum ambrosia perfruitur. Ecquis est igitur vestrum, Academici, qui non intelligat, hunc nobilissimum conuentum nostrum, hunc lectissimorum hominum cœtum, hanc florentissimam congregationem, non alicuius vulgaris voluptatis, vel vtilitatis gratia fuisse constitutam, sed ingenuo tantùm quodam & excellenti scientiæ, virtutis, honestatis amore, desiderioque, non humano, sed planè diuino? Siquidem diuinum est, mentem, cui regnum totius animi à natura tributum est, qua nihil est in homine melius aut præstantius, expolire atque exornare. Equidem in hoc cœtu nostro neminem prorsus esse existimo, qui non rerum cognitionem, sapientiam, dignitatem pluris, quàm diuitias, quàm opes, quam omnia corporis & fortunæ ornamenta faciat, & qui non omni studio, cura, diligentia talis esse contendat, vt omni laude dignus existimetur. Quod quidem honestissimum desiderium nostrum cùm tu, Octauiane Rouerta, Antistes ornatissime atque optime, cognouisses, quamuis ad eam iampridem scientiam atque sapientiam peruenieris, vt ad summam absolutionem perfectionemque vel nulla tibi, vel certe minima fieri possit accessio: nostrum tamen in numerum aggregari voluisti: vel quia nulla tibi maior esse potest oblectatio, quàm cùm in eruditorum hominum cœtu de rebus egregijs & cognitione di-

gnißimis aut ipſe loqueris, aut alios loquentes audi
vel quia nobis ciuibus tuis: quæ tua eſt in patriã ſingu
laris humanitas atque benignitas, ad optimum illã
quem nobis propoſuimus, veræ honeſtatis finẽ, te mul
tùm prodeſſe poſſe intelligis. Quæ res profectò incredi
bilem nobis omnibus voluptatem attulit. Atque vt in
telligas, quod fuerit omnium noſtrum iudicium, cùm
de te in Academiam recipiendo conſultaremus, queſ
vt me patientißimis auribus, ſicut hactenus feciſti, ad
huc parumper audias. Dicã enim non tui laudandi
gratia, cuius animũ ab omni ambitione penitus abhor
rere ſentio, ſed teſtificandæ noſtræ erga te obſeruan
tiæ, quemadmodum inter nos te abſente res geſta ſit.
Propoſueram ego, ſi maiori parti viſum ita fuiſſet, te
paratum eſſe noſtram in ſocietatem venire, atque in
Academicorum albo conſcribi: incideramque in lau
dum tuarum immortalitate dignißimarum mentio
nem, cùm me interpellans hilari vultu Princeps no
ſter, confeſtim eam ſententiam dixit, quam ad vnum
omnes maxima cum aſſenſione plauſuque comproba
uimus? Non diutiùs eſſe cunctandum, quin te ſta
tim admitteremus. Quid enim, (inquit) Acade
ci, nobis optatius accidere poteſt, quàm vt eum vi
rum nobiſcum habeamus, qui omnibus optatis noſtris
ſatisfacere facilimè poßit ac valeat? Nam, vt vi
deo, tria ſunt, quæ nos in hoc cœtu noſtro nobis ac
quirere magnopere deſideramus: primum, vt ſcien
ter intelligamus, alterum, vt politè eloquamur, terti
um, vt prudenter agamus. Quæ tria ſi conſequi potue
rimus, tũ demum nos verè homines eſſe putabimus: ad

hæc

hæc enim natū est hominū genus: & qui in his excellit, quantū homines bestijs præstant, tantùm hominibus ipsis antecellit. Quis autē est, qui hæc omnia pleniùs ac perfectiùs omni sibi industria cōparauerit, quàm hic noster ciuis, de quo sermo nobis institutus est, Octauianus Rouerta? Nā primò, quanta sit eius rerū omnium, tā diuinarum quàm humanarū, cognitio atque intelligentia, testes omnes esse possunt, quicunque aliquid de scientijs ac literis iudicare sciunt; vt nihil tā anceps aut dubiū sit, nihil tam inuolutū à natura, nihil tā abstrusum atque reconditum, vel in ijs rebus, quæ sensu percipiuntur, vel in ijs, quæ tantùm cogitatione mente qúe cōprehenduntur, quod ille nō in promtu semper habeat. Ex qua rerum tā multiplicium cognitione nascitur acerrimū, quod maximè nos expetimus, de omni genere scriptorū iudicium, quo quidem ille ferè cæteris omnibus antecedit. Iā quantum dicendi facultate, quantum eloquentia valeat, vos, qui eum frequenter audiuistis, iudicare facilimè potestis. Quàm enim apertè, quæ prima virtus est eloquentiæ, sensa mentis explicat! quàm distinctè, quàm aptè, quàm ornatè cuncta eloquitur! vt ab eius ore, tanquam Nestoris illius Homerici, melle dulcior fluat oratio: quā totius corporis actio gratissima comitatur, vt eum audientes nulla vnquam satietas, nullus labor, nullum similitudinis fastidium capiat. Quæ suauitas orationis & elegantia, quod paucissimis accidit, nō tantùm in sermone, sed etiā in eius scriptis eluceſcit. Age verò, quis eius vitæ integritatē sanctitatemq; non agnoscit? Lōgissima sanè opus esset oratione, vel potiùs Lib. 1. Ilia

volumine, si præclarissimas eius actiones, & verè Christianas omnes explicare contenderem: vt omnia prudenter, iustè, fortiter, temperatè conficiat: vt nihil in eo nisi pium & religiosum inueniatur: vt denique talis sit, qualem esse perfectum sacrorū Antistitem & summi Pontificis Legatum oporteat. Quantum porrò celebritatis atque gloriæ nostro huic concilio accesserit, si tam eximium virum nobiscum habuerimus? Hunc igitur, qui, nisi sua sponte sese obtulisset, summis à nobis precibus rogandus fuisset, obuijs vlnis excipiamus, hunc omni, qua possumus, obseruantia prosequamur, hunc suspiciamus, colamus, veneremur, cuius exemplo atque doctrina, & acutè intelligere, & politè eloqui, & præclarè agere possimus: cuius denique præsentia maximā Academia nostra gloriam consequetur. Hæc postquā à Principe nostro dicta fuerunt, nemo fuit quin voce & significatione maximū animi gaudium ostenderit, quin omnibus lætitijs incesserit, quin albū statim calculū adiecerit. Sperat enim vnusquisq; nostrū, te moderatore, omni genere virtutis abundantissimo, ad exoptatā nostri curriculi metā longè citiùs & faciliùs peruenire. Hoc nostrū est de te iudicium, Antistes religiosissimè, nostra spes, nostra expectatio, vt ad eū finem, quò velis passis omnes properamus, tu non tantùm sis adiutor nobis, sed etiam quasi gubernator in puppi sedeas, clauumqúe teneas. Nos enim, vt pro omnibus pollicear, semper promptos & alacres videbis, etiam reflantibus aliquando ventis, tecū tamen constanti velificatione, ad tranquillitatis atq; salutis animorū portum omni studio contendere. Quare, quod

felix

felix fauſtumq; ſit omnibus nobis tibiq;, nobiſcum Academicus eſto. Tu verò, ſcriba noſter, celebrè dulceq; nomen Octauiani Rouertæ Tarracinenſis Epiſcopi, ſummiq; Pontificis legati, in Academicorum albo noſtris nominibus adſcribito.

PRO IOANNE STIBIO, PONTIFICIS MAX. Commiſſario decumano, dum in Academiam Mediolanenſem recipcretur.

ORATIO VI.

ETſi bene & ſapienter illud ex auctoritate Principis, conſilioq; eorū, qui in Academia noſtra cæteris prudentia præſtant, mihi nuper decretū & conſtitutū fuiſſe videtur, Academici, vt quos in collegiū noſtrum cooptatos admittimus, non eos multis laudibus corā extollamus, neq; magnopere exornemus, ſed potiùs ad labores tolerandos, & ſubeundas vigilias adhortemur: tamen quia perſpicuū eſt, in adhortatione plurimùm valere, ſi laudes eos, quos adhortari volueris, dabitis vt ſpero, hanc mihi veniā, huic cauſæ vehementer accōmodatam, vt dū hunc eximium præſtantemq; virum Ioannem Stibium, quem propter egregiam & ſingularem virtutem, Summus Pontifex Iulius ter-

Tertius multis & magnis affecit honoribus, in Academiam nostrā recipio, nonnulla breuiter cōmemorem, quæ vobis cum, nondū fort asse bene cognitū, paulò cōmendatiorem efficiant. Quòd si mihi non conceditur, vt speciatim singulas eius virtutes, quæ plurimæ sunt, accuratè persequar, illud saltem, quod ad rem præsentem facit, hilari vultu concedite, vt generatim aliqua de summa eius industria, studio, doctrinæ cupiditate dicere corā vobis ipso præsente liceat, priusquam ad eam orationem accedo, qua illum adhortationi mea, iam sua sponte satis incitatum magis etiam, si fieri poterit, incendam atque inflammem, ad arduū honestatis atque dignitatis collem, quem maxima iāex parte peruasit, nobiscum vnà penitus superandum. Maxima enim profectò meipsum reprehensione dignum existimarem, si in hoc tam excellenti virò, in societatem nostrā recipiendo, tam exquisitam eius in omni genere virtutis industriā, tam incredibilem optimarū artiū cupiditatem, tantū ardorem mentis ad gloriā, tacitus præterirem. Quæ quidem non obscuris aut incertis aliquibus signis, sed apertissimis indicijs, & luce clarioribus argumentis intelliguntur. Nam qua ratione fieri potuisset, vt in ætate tam iuuenili tam variam & multiplicem sibi scientiam acquireret, vt & Iurisconsultus factus sit egregius, & omnes Philosophiæ partes non leuiter attigerit, & mansuetiores Musas non tantùm degustarit, sed etiam, vt poëticè de elegantissimo Poëta loquar, se totum in Castalio fonte demerserit: nisi maximum ab ineunte pueritia fuisset in eo studium, maxima

assi-

assiduitas, vehementissima ad omnes ingenuas artes animi applicatio? Quid, quòd iam permultos annos in publicis negocijs occupatus, & summo Pontifici varijs in rebus honorificè deseruiens, nunquā tamen intermisit studia literarum? sed quoties succesiua aliqua tempora nancisci potuit, illa nunquā interire passus est. Quicquid enim alij corporis voluptatibus tribuunt, id totū ipse sibi ad animū suum doctrina excolendum temporis sumpsit. Quoties ego hunc audiui, cùm in domo religiosissimi doctissimiqúe sacrorū Antistitis Octauiani Rouertæ Tarracinensis Episcopi frequentes conueniremus, quoties, inquā, hunc audiui de reconditis atque arduis rebus acutissimè atque ingeniosissimè disputantem? Quoties vidi summa cū attentione, si quid ab alijs diceretur, quod ad eruditionem augendā aliquo modo pertineret, audientem, annotantem, & si quid dubitaret, interrogantem, si quid parum scitè diceretur, acerrimè quidem, sed cū incredibili tamen comitate atque astantiū voluptate, refellentem? Nihil hoc loco dicā, quot & quantæ in eo sint ingenij suauitates, quàm amabiles atque ingenui mores, quàm immensa rerū omniū modestia. Tantùm enim de singulari eius industria mihi hoc tēpore dicendū esse proposui, quæ cum in omnibus honestissimis eius actionibus, tum etiam in scriptis elegantissimis maximè perspicitur. Quamuis enim cum Bartolis & Baldis assiduè sit ei conflictandum: tamen quoties ab eis inducias aliquas impetrare potest, tanto ingenij acumine, tanta elegantia, tantoqúe artificio, & Latina illa vetere, & Hetrusca hac recentiore lingua versi-

versibus ludit, vt planè poëtica mella fundere vide
tur. Quòd si quid accuratè cogitatéq; scribit, illud
video probari, vt ad veterũ scriptorum laudẽ perue
at. Sed quid pluribus opus est argumentis? An non
ipsum, quòd in Academiã nostrã admittit tantopere
gitauit, maximã eius industriã ostendit? Qui cùm
sit à patria sua multis ac varijs negocijs distractus,
vel nullum ei, vel certè minimum ocium supersit, Si
nibus tamen Academiæ nostræ longè magis salutar
quàm illæ quondam fuerint, in quas Vlyssis socios in
risse scribit Homerus, aures patentes admouit, q
suauissimáq; iucundissimáq; voce viros omnes indust
atq; præstantes ita ad se sub Vlyssis nomine continen
aduocant. Sed quæso mihi hoc alacri animo concedi
Academici, vt in hac oratione, quã pro dulcissimo po
que diuino Poëta corã vobis habeo, liceat poëtarũ ve
sibus, & verbis, & figuris, atq; etiã pronunciatione p
rumper exultare. His igitur verbis Sirenes Academ
nostræ cùm alios plurimos scientiæ cupidos homin
tum hunc eximiũ virum Ioannem Stibium sub Vly
nomine ad sese allexerunt, vt eum longè doctiorem
dulciorem poëtam efficiant,

Hom. Od. lib. 12. Cicero 5. de Finib.

O decus Argolicũm, quin puppim flectis Vlysses,
Auribus vt nostros possis agnoscere cantus!
Nã nemo hæc vnq; est transuectus cærula cursu,
Quin prius astiterit, vocum dulcedine captus:
Pòst varijs auido satiatus pectore Musis,
Doctior ad patrias lapsus perueneritoras.

Quare statim his tam iucundis vocibus allectus, c
præcipuè scientiæ desiderio, quam illi nostræ Siren

polli

pollicentur, quæ quidem viro sapientiæ cupido patria ipsa multò carior esse solet, inflammatus, se totũ huic concilio nostro cœtuiq; tradidit, & nostris deinceps legibus atq; institutis viuere decreuit. Nunc ad te me conuerto, Ioannes Stibi, vir ornatissime atq; optime, vt id efficiam, quod spectatores in theatro ludis Circensibus efficere solent, cùm, vt poëta noster ait:

præcipiti certamine cursum
Corripuere, ruuntq; effusi carcere currus:
Cùm spes arrectæ iuuenum, exultantiaq; haurit
Corda pauor pulsans.

Virg. 5. Aeneid.

Non enim tardos & negligentes, sed eos, quos longè cæteris promptiores & alacriores ad cursum vident, significatione, plausu, clamore ad victoriã adhortantur: & quò propiùs ad metam accedere conspiciunt, eò vehementiùs acclamationib. suis incendunt. Sic ego te iampridem omnibus neruis & facultatibus optimarum artium studijs deditum, oratione mea ad eam, quam proximè iam accessisti, summæ laudis metam cohortabor. Hæc est enim vna via, mihi crede, & laudis, & dignitatis, & honoris: primò, sicuti facis, dies ac noctes magna cum diligentia ingenuis artibus incumbere: deinde cum bonis viris & sapientibus, & benè natura constitutis versari, consuetudinem habere, colloqui, de rebus honestissimis disserere: tum id vnum esse optimum putare, quod erit rectissimum: deniq; omnia fugiendæ turpitudinis, atque honestatis adipiscendæ gratia conari. Quam viam secuti sunt veteres illi sapientissimi viri Socrates, Plato, Xenocrates, qui Academiam illustrarunt, alijq; penè innumerabiles, qui nomen suum in orbis terræ memori-

moriam sempiternã disseminarunt. In quæ cùm hactenus maximos iã progressus feceris; nunc manibus pedibusque nobiscũ tibi elaborandũ est, vt ad summum tandem aliquando verticem euadamus, vbi, quemadmodũ vetus ille Poêta sapientissimè canit,

Hesiodus vt citatur infrà in Orat. 15.

Planities ignote iacet, tutique receptus,
Semper vbi fessæ valeant requiescere mentes.

Hanc autẽ veræ felicitatis viã ea ratione facilè superare atque perficere poterimus, si Magorũ illud præceptum vtilissimũ diligentissimè seruauerimus, qui discipulis suis præcipere consueuerant, vt cùm iter facerent, ne vnquã omnino respicerent: & illud Pythagoræ, qui quodã in symbolo suo per eandem viã reuerti prohibet: Voluerunt enim prudentissimi viri nos admonere, ne cùm honestatis dignitatisque curriculũ semel ingressi fuerimus, iterũ ad corporis voluptates respiciamus; quæ ita in omni sensu implicatæ insident, vt, cùm quis ad eas reuertitur, non facilè postea diuelli possit, sed earũ desiderio quodammodo contabescat, veraque illas & sinceras animi voluptates amittat. Atque hanc quidem rẽ ingeniosissimi Poêtæ perquam lepida nobis fabula significare voluerunt, cum aiunt, à Proserpina datã hanc legem & conditionem Orpheo fuisse, vt si vellet viuã Eurydicem suam, pro qua redimenda ad inferos descenderat, secum ad superos reducere, arduam ascensu viam inuaderet, mortuamque adhuc Eurydicen post terga secum traheret, neque eam priùs amplecteretur, aut vllo modo respiceret, quàm toto itinere confecto, ex illis inferorum

rum tenebris in apertam lucem deueniſſet: tunc enim demum fore, vt eius rediuiuæ complexibus, quantum vellet, frui cõmodiſſimè poſſet. At ille moræ impatiens, cùm nondum iter inceptum perfeciſſet, neque omnino è tenebris emerſiſſet,

Reſtitit; Eurydicenq3 ſuam iam luce ſub ipſa Virg. 4.
Immemor heu, victusq3 animi, reſpexit. ibi omnis Georg.
Effuſus labor, atq3 immitis rupta tyranni
Fœdera. Quod ne nobis etiam accidat, Academici, magnopere cauendũ eſt. Ne, dum fugacem & vanam planeq3 mortuam Eurydicen, hoc eſt, corporis voluptatem, in tenebris merſam, reſpicere ac perſequi ſtudemus; veriſſimam illam atq3 immortalem, quam ex præclarè geſtis rebus emanare ſcimus, animi voluptatem amittamus. Sed nihil eſt, vt ego quidem exiſtimo, periculi. Iam enim maxima ex parte nubem illam, quæ, vt ait Poêtarum princeps Maro noſter,

Mortales hebetat ſenſus, atq3 humida circùm Aeneid. 2.
Caligat, quæ nihil aliud eſt, quàm rerum ignorantia. labore atq3 induſtria noſtra diſſipulimus: & iam quaſi è ſublimi atq3 excelſo loco innumerabilem hominum multitudinem videmus, in tenebricoſa nocte conſtitutam errare, labi, decipi: vt in hoc cœtu noſtro nos ſecuri cum Lucretio clamare poſſimus:

O vanas hominum mentes! ô pectora cæca! Lib. 2.
Qualibus in tenebris vitæ, quantisq3 periclis
Degitur hoc æui quodcunq3 eſt?

Illos autem, qui diſiecta erroris nebula noſtram in ſocietatem veniunt, ſumma cum hilaritate recipere, & ad hanc mentis claritatem atq3 ſerenitatem erigere

debemus. Quare tu quoq3, Ioannes Stibi, non tantùm omni studio, labore atq3 industria debes ad clarioren quotidie lucem nobiscum aspirare: sed etiam pro viribus tuis alijs opitulari, quos in hac communitate nostra vel ingenio, vel doctrina, vel integritate vitæ vide bis inferiores esse. Non enim ideo congregamur, v nobis ipsis tantùm prodesse possimus: sed multò magi, vt vicissim alter alterius vtilitati, atq3 honestati seruiamus. Hac enim ratione benè instituta collegia conseruantur, augentur, amplificantur, cùm omnes in cõmune bonum consulunt. Quod te facturum non tantùm spero, sed etiam me ipsum Academicis omnibus pro te sponsorem atq3 vadem offero. Noui enim ingenium tuum, noui industriam, noui probitatem. Nullum mihi dubium est, quin te ita gesturus sis, vt nos omnes maiorem in modum, in ordinem nostrum te receptum fuisse, gaudeamus. Surge igitur, & felici omine atque auspitio in verba nostra iura: teq3 nostris institutis ac legibus, quandiu fueris è Collegio nostro, promptè pariturum sanctè religioseq3 confirma.

PRO

PRO HIERONYMO CROTTO, IVRISCONSVLTO, Dum in Academiam Mediolanensem reciperetur.

ORATIO VII.

SI quantum animo læticiæ voluptatisq; capio, Academici, quoties in hac tot eruditißimorum hominum frequentia, quæ quotidie maximorum ingeniorum acceßione fit illuſtrior, de recipiendo in Collegium noſtrum aliquo nobili viro verba facturus ſum, tantùm eloquentia dicendiqúe facultate præſtarem: efficerem profectò, vt nullius vnquam hominis orationem neq; iucundiorem vobis, neque gratiorem fuiſſe iudicaretis. Incredibile enim dictu eſt, quàm immenſo meus animus gaudio cumuletur, quantis incedam læticiis, quàm magna voluptate perfruar, cùm & conſeſſum hunc noſtrum tam honorificum video in quo plurima ſunt florentißimorum ordinum lumina; & tam multos alios præſtantes eſſe viros intelligo, qui noſtrum in ordinem admitti, quotidie magnopere flagitant. Sed omnino vereor, ne id fortaſſe mihi in dicendo accidat, quod iis, qui ſæpenumero præ nimia lætitia ſic auferuntur, vt vel tanquam attoniti quaſi alienata mente penitus obmuteſcant: vel ſupra

modum exultãte animo, quicquid in buccam venerit, rudi atque incompositoſermone balbutiant. Quòd vnquam propè infinita, ac penè dixerim immoderata voluptas, animum meum quaſi titillauit: hodierno die to die, quo virum omni genere laudis florentiſſimum HieronymumCrottum Iuriſconſultum in Academiam noſtram, omnium ſuffragijs cooptatum, recipimus, ſic afficior animo, vt in hoc iucundiſsimo conſpectu veſtro, tanquam in cœlo cum Deis immortalibus vitam agere beatiſsimam ipſi mihi videar. Nam ego vitam Deorum, vt ait ille apud Comicum, propterea ſempiternam eſſe arbitror, quòd voluptates eorum propriæ ſunt. Sed vnde potiſsimùm exordium orationis meæ ſumam? quid primum aut poſtremum dicam, Academici? Cùm enim tria tantùm eſſe videantur, quibus in hoc dicendi genere, cùm aliquem in ordinem noſtrum admittimus, vti poſsimus: primum, vt eum pro dignitate ſua laudemus: alterum, vt ad labores & vigilias adhortemur: tertium, vt, quid illi deinceps agendum ſit, admoneamus: omnia me hoc tempore ferè deficiunt; vt non mediocriter verear, ſi eis vti velim, ne rem per abſurdam videar efficere. Quid enim? Laudémne virum hunc tam eximia ſingulariqúe virtute præditum, vt nullius tantum ſit flumen ingenij, nulla dicendi tanta copia, quæ minimã eius partem exornare ſatis pro dignitate poſſe videatur? Adhorterne ad labores, omnium poſt homines natos laboriоſiſsimum hominem? Admoneámne eum, qui prudentiſsima aliis conſilia dare, atq; optimè cauere conſueuit? Quanam igitur mihi reliqua eſt oratio? Nulla (vt opinor)

Terent. Andr. Act. 5 Sc. 5.

alia,

alia, nisi ea, quæ forsitan omnibus nec opinata atq; auditu admirabilis apparebit: vt te, Hyeronyme Crotte, præsentem alloquar, & primò honestissimam istā vitæ tuæ institutionem, præstantissimasq; virtutes paulò liberiùs accusem, & licentiùs familiariusq; reprehendam; atq; ita nouo quodam dicendi genere veram adhortationi laudem, admonitioni fidelem adhortationem permisceam: vt si quid in te forsitan esse cognoueris, quod aliquo modo meliùs conformari, & elegantiùs emendari possit, tu pro summa prudentia tua quotidiano studio diligentiaq; perpolias. Sunt enim in optimis etiā ingenijs, vt in fertilissimis arboribus, quædā interdū amputanda. Videre licet, agris & fructuosissimis agricolas, quas cupiunt arbores ad speciosam magnitudinem euehere, non tantùm à radicibus stolones & virgulta subtrahere: sed etiā ramos omnes & frondes, quæ è trunco pullulant, abscindere; vt qui reliqui fiunt rami, firmiores & venustiores efficiantur. Eodem modo velim te, Hieronyme, sublimem istū & excelsum animū tuum à minutiorib. curis & officijs, quibus vt clientibus tuis inseruias, assiduè distineris, aliquando prorsus liberare; quò diuina vis ingenij tui maioribus & splendidioribus in rebus clariùs eluceſcat. Nam immensa quædā naturæ tuæ bonitas, ab humanissimo animo profecta, sæpenumero te ita commouet, vt dum omnibus, & ciuib. tuis & peregrinis atque aduenis satisfacere temporibus suis maiorem in modum concupiscis, nimiùm te quodammòdo vulgarem præbeas. Quo fit, vt interdum animi tui mirifica pulchritudo diuinum fulgorem suum tam minutis in rebus

explicare non commodè posſit. Quod facere non debet, ſed ad longè maiora præſtantioraq3 animi ornamenta teipſum erigere atq3 ſuſtollere. Vt enim mulieres præſtantiſſima corporis venuſtate facieq3 formoſiſſima, licet ipſæ ſuam nimium pulchritudinem agnoſcant, & in ea mirificè ſibi placeant atq3 glorientur: non tamen ea contentæ, precioſis etiam veſtibus exornari volunt, & argento, auro, margaritis vndiq3 ſplendeſcere: quoque pulchriores & venuſtiores ſunt, eò ſolent ambitioſiore cultu delectari, neq3 vnquam in publicum prodire, niſi priùs diligentiſſimè conſulto ſpeculo, in quoſuam intuentes & admirantes imaginem cum quadam animi dulcedine molliq́ue ſuauitate, ita capitis ornamenta, capillos, ſupercilia, faciem, totum deniq3 corpus accuratè componunt, vt cùm domo tandem exeunt, quacunque incedunt, omnium in ſe oculos atque ora conuertant, & non tantùm feruidorum iuuenum, ſed etiam plerunq3 gelidorum ſenum pectora iucunda vulnere faucient. Idem tibi, Hieronyme, diſpari in genere cenſeo faciendum. Finxit enim te ipſa natura corpore nobiliſſimum, animo præſtantiſſimum, ad honeſtatem, temperantiam, animi magnitudinem, ad omnes deniq3 virtutes magnū hominem & excelſum: dedit tibi fortuna diuitias, opes plurimas, cuiuſq3 generis facultates: acceſſit his tot educatio diſciplinaq3 liberalis. Poſtea labore atq3 induſtria, ex quo tēpore factus es Iuriſconſultus, cùm in reſpondendo iure, tum etiam alijs præclariſſimis negocijs maximos tibi honores ac dignitates acquiſiuiſti: vt in hac florētiſſima ciuitate noſtra pauciſſimi ſint, qui tibi vel nobilitate generis,

neris, vel fortunæ cōmodis, vel eruditione, vel dignitate, vel omni genere virtutū anteponi iure posſint. Quid ergo? Dicā audacter, fretus humanitate tua, quod sentio, licet fortaſsis hæc oratio mea mihi detrimento sit futura, si te à cauſsis forenſibus & clientum patrocinio reuocauero, qui te cauſarum mearum acerrimum patronum ac defenſorem habeam: ſed nihil mihi tanti eſt: damnū etiam graue libentiſsimè patiar, modò te veriſsimæ laudis ac dignitatis ſtudioſiſsimū habeā. Eſto igitur in ſuſcipiendis cauſis paulò ambitioſior, noli tam officioſum, tam comem, tā humanum te omnibus præſtare, noli tam varijs aliorum negocijs implicari: ſed animi tui præclaram & eximiam pulchritudinem intuere, teque in ea frequenter oblecta, eam vnam, omnibus virtutum ornamentis adhibitis, quotidie magis atque magis illuſtrare contende: neque vnquam patiaris, vt quicquam ab animo tuo proficiſcatur, quod non eximium, excultum, expolitum, elaboratum, & planè aureum eſſe videatur. Ne iſtud quæſo tam excellens & illuſtre ingenium tuum tam frequenter ſeſe efferat & oſtendat, ſed potiùs frequenter deſiderium ſui commoueat, & quoties in publicum exire concupiſcit, priùs in lucido mentis ſpeculo ſuam imaginem intueatur, & omnes partes ſuas ita componat, vt & natiua pulchritudine ſua, & adhibitis ex induſtria ornamentis, omnes homines in admirationem & ſtuporem trahat. At fortaſſe dices! Nonne præclara quædam res eſt, & liberalis, & munifica, planeque regia, opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, quod nos Iuriſconſulti facimus,

mus, dum causas clientum suscipimus, & in iudicio de-
fendimus? Sit sanè res alijs præclara, qui nihil melius
præstare possunt, quàm Iuris nodos & legum ænigma-
ta versare; qui lucri causa in Bartoli Baldiq; comment-
tarijs cum animi perpetua molestia consenescunt; qui
sæpenumero dum clientem suum nimis studiosè defen-
dunt, æquitatem & veritatē impugnant, & lites atq;
controuersias immortales efficiunt; inq; his cogitatio-
nibus & curis omnes animi fructus & voluptates a-
mittunt. Tibi verò, Hieronyme, quid honoris aut digni-
tatis ista res afferre potest? Mitto enim de lucro dice-
re, primò quia generosam istam mentem tuam, sem-
per egregia, magnifica atq; immortalia facta spectan-
tem, nulla vnquam nimia lucri cupiditas inuasit: deinde quia domina rerum fortuna tibi adeò benigna fu-
it, vt omnium bonorum copijs circumfluas. Non igitur
vt rem familiarem amplifices, quod vnum plerig; stu-
dent, in litigiosis Iurisconsultorum concertationibus
tibi diutiùs est immorandum, ne optimam tibijpsi na-
turam, & præstantissimam ad elegantiores omnes dis-
ciplinas indolem inuidisse videaris. At dignitatem ha-
bet, consulentibus de iure respondere? Habeat sanè ve-
maximam: nihil enim repugno, ne fortasse truces ali-
quos in me Bartolianos, tanquam crabrones asperri-
mos, irritem: quanquam multos eorum, & quidē ma-
gni nominis, esse non me lateat, quos vehementer pro-
fessionis suæ pœniteat. Sed tu profectò, Hieronyme,
pro tua præstanti prudentia vides, primò quàm multi
sint in hac ciuitate nostra Iurisconsulti: deinde quàm
pauci magno sint in honore ac precio, tū quot & quas-

tis aßiduè moleſtijs conflictentur : poſtremò, quot caput eſt, quàm ferè nulli de ſe memoriam, qua ſe vixiſſe teſtentur, vllam derelinquant. Exime igitur te è multorū numero, qui rariſſimū ſortitus es ingenium: quære verum decus ac dignitatem, ad quam te parens omnium Natura, vel potiùs Deus ipſe formauit: libera te à ſtrepitu forenſium controuerſiarum, quæ clariſſimam animi tui lucem obtenebrare quodammodò videri poſſunt: ingredere illam, quam tibi præclara naturæ tuæ munera patentem & facilē reddunt, immortalitatis viam: fac vt aliquādo poſteri ſentiant, quàm diuinū fuerit ingenium tuum, quàm felix memoria, quàm acutū iudicium, quàm celeres animi motus, quā incredibilis eloquentia, quàm deniq; rebus in omnibus gerendis admirabilis & expedita velocitas. Nam illud tibi iureiurando affirmare nō dubitarim, ſi te iſto ingenij acumine tamq; firma memoria, relictis alijs occupationibus, totum optimarū artium ſtudijs tradideris, & orationem tuam, quæ torrentis modo prudenter & copiosè fertur, ad illud abſolutiſſimū Ciceronianæ eloquentiæ candorisq; exemplar omni diligentia conformaueris, talem breui tempore euaſurū, vt non tantùm eis, qui noſtro tempore viuunt, anteponi facilè poßis: ſed etiam antiquitatis memoriam exuperes. Verùm nulla mihi dubitatio eſt, quin ad hanc ſummæ dignitatis arcem, quæ nobis omnibus propoſita eſt, tu quoque nobiſcum toto, quod aiunt, corpore atq; omnibus vnguiculis aſcenſurus ſis. Vos autem, Academici, meum vnà magnopere gaudete, quòd viro tā præſtāte ſit aucta ſocietas noſtra, qui, ſi pro virili parte ſua conatus

tus fuerit, vt omnino facere constituit, communem huius ordinis laudem & gloriam amplificare facile posit ac valeat.

MAGDALENÆ COMITIS MATRIS SVAE mortuæ laudatio.

ORATIO VIII.

ETsi propter hanc acerbissimam & maximè luctuosam honestissimæ parentis nostræ Magdalenæ Comitis mortem, tam ingens animum meum dolor inuasit, tam immensa ægritudo mentem occupauit, tantus ingenium mœror oppressit, vt nec apud me satis ipse videar, nec aliquam huius tanti mali alleuationem excogitare valeam, nec, quid dicam, attendere facile posim: tamen cùm tuam istam, Pater optime, tã grauem mœsticiam atq; afflictionem conspiciam, qui carissimam & lectissimam coniugem amisisti, meã consternationem sentiam, qui matre iucundissima priuatus sum, harum quatuor sororum infelicissimarum luctum & squalorem videam, quibus alienissimo tempore dulcissima vitæ dux & moderatrix ereptaest, tot cognatorum & affinium nostrorum, qui in hoc funus prodierunt, tristiciam intuear, mihi profectò ipsi, meoque immenso dolori vim inferre constituam.

Quo-

Quoniam ita tibi, Pater amantißime, ita vobis, propinqui gratißimi, visum est, vt ego potißimùm, quem hæc tanta calamitas maximè perculit, tametsi neque ætate neque ingenio satis valeam, vos consolandi munus, qui magis ipse consolandus sum, matrisque meæ peractam sanctißimè vitam ornandi, quò mortem eius aliquantò leuiùs feramus, partes susciperem: conabor igitur etiam contra sapientum hominum præcepta, qui recenti vulneri medicinam adhiberi negant oportere, si quo modo fieri poterit, in hac tam mœsta concione nonnulla dicere, quæ fortasse, nisi veram rationem nostra hæc tam ingens ægritudo vicerit, aliqua ex parte grauißimum dolorem nostrum subleuare poterunt. Sed heu me miserum & infelicem! Frustrà conor vestrum istum fletum reprimere, qui ipse incredibili fletu conficior: frustrà laboro vestrum dolorem mitigare, qui inusitato ipse dolore contabesco: frustrà esse forti animo contendo, qui nequeam ab isto tam miserabili spectaculo cogitationem ac mentem meam reuocare: qui paulò antè videbam totam domum nostram quietam ac tranquillam à præstanti matris prudentia rectißimè gubernari: patrem de rebus domesticis nihil solicitum, sed potiùs securum sua foris negocia maximo commodo tractare sorores, industriæ matris æmulatrices, alacri animo continenter operibus suis instare: me liberalium artium studijs & præceptoribus assiduam atque diligentem operam dare. Nunc verò nec opinato matris interitu, quàm repente mutata omnia? Vniuersa domus penè destituta, luctu, squalore, lachrymis, funestis atra-

atratisq; vestibus deformata: plena omnia perturbationum, plena miseriarum. Quid tibi, Pater ærumnosissime fiet? qui tot paruulis filijs oneratus, quam tantopere diligebas, fidissimam laborum omnium & totius vitæ tuæ consortem ad te diuulsam & abstractam tam importunè videas. O calamitosum & infelicem Patrem! Quod enim tibi grauius aut acerbius vulnus accidere potuisset? quod malum atrocius? quæ tristior calamitas? quæ miseria funestior? qui tuæ ipsius morte, si quo modo data facultas esset, coniugi vitam libentissimè redemisses. Quid vobis, infelicissimæ sorores? quæ iam ea ætate estis, vt infortunium vestrum agnoscatis, & nullas ad resistendum dolori vires habeatis. Sicoine crudeli fato visum est, vt vobis ista ætate tam tenera, qua maximè materna consilijs indigebatis, quæ nullam adhuc, aut certe minimam ad domum regendam haberet prudentiam potest, ea Mater, quæ tam honestè vos alere, tam pudicè educare, tanta industria vos exercere instituerat, quæ denique omnia piæ sanctæq; matris officia prosequebatur, ea, inquam, mater, qua vna acquiescebatis (proh dolor!) hoc tam alieno tempore vobis, mihi, parenti nostro, prater omnem expectationem erepta sit? Certè non tam ferreus esse possum, vt aut vos à lachrymis oratione mea tam citò retraham, aut ego vobiscum non effusiùs illachrymem: cùm præsertim coram intuear hunc calamitosissimum parentē nostrum, non sine iustissima causa maximopere dolentem ac mœrentem, qui tam fida socia, tam cara coniuge, tam diligenti matre familiás orbatus sit. Qui licet ea mente sit

te sit atque sapientia, vt nulli fortunæ, quemuis aduersæ, cedendum esse arbitretur, sed omnia potiùs humana moderatè esse toleranda iudicet: tamen nihil de se suaque miseria cogitans, cùm ad vestram ætatem respicit, cùm ad familiæ destitutionem, cùm ad communem omnium nostrum fletum ac mœrorem, facere nullo modo potest, quin ingentibus doloris facibus incendatur atque discrutietur. Ego verò cùm recordor, quæ Matre priuatus sum, quæ me vsque ab infantia tã religiosè semper instituit, tam amanter optimis moribus erudiuit, tàm ardenter ad ingenuas artes excitauit, tàm liberaliter educauit, tanta cum industria, labore, diligentia me ad hanc vsque ætatem perduxit, immensam quandam atque infinitã animo tristitiam percipio: quòd hoc potissimũ tempore, cùm aliquos ex me fructus, aliquã ex studijs meis consolationem ac lætitiã percipere debuisset, è vita discesserit. Hoc me dolore conficit, hoc me maximè perturbat, hoc acerbè cruciat, quòd à me nihil hactenus, Mater sanctissimæ atque optima, præter labores & molestias recepisti, dum nulli sumtui parcis, dum in re familiari tenuissima, meis tamen studijs, quantum satis sit, assiduè subministras, dum me interdum remissiorem ad scientiarũ & virtutũ cursum excitas. O spes fallaces, inaneſque cogitationes nostras! Quoties ego te, Mater, varijs propter temporũ acerbitatem iniquitatemque casibus afflictã, consolatus sum? quoties tibi præsenti multa pollicitus? quoties ex profectu meo te diuturnã aliquando voluptatẽ perceptura frustrà vaticinitas sum? Quæ cùm ego certissima fore crederem,

rem, atque hac inani spe multùm oblectarer, nunc ex improuiso omnia, quasi turbine aliquo labefactata, corruerunt. Hunc ego diem tam funestum & lacrymabilem, tam breui futurum vnquam existimassem? Húncne igitur fletū ego, mater, has inanes lacrymas, pro tot laborib. & ærumnis, quas pro me sæpissimè pertulisti, tibi restituo? Súntne hæc promissa mea, quibus te frequenter onerabam? quibus iactabam, fore aliquando, vt ætas tua iam ingraueſcens, in adolescentia mea conquiesceret? Tu me summa cum molestia, mater, educasti; noctes & dies, vt mihi studendi occasionem suppeditares, elaborasti: tibi ego iam nihil præter luctum & lacrymas, & hæc inania funeris munera reſtituere possum. Non equidem ego te dicam infelicem mater, quæ tam religiosè, tam integrè, tam castè, tam piè semper ad hunc extremum vsque vitæ tuæ diem, quamuis in perpetuis ferè molestijs propter temporum iniquitatem, vixisti: sed nos potiùs calamitosos & miseros, quos tam alieno tempore deseruisti. Tu relicta huius vitæ, quæ potiùs mors est appellanda, miserijs celestem in locum subuolasti, vbi æuo sempiterno beata perfrueris: nos tui desiderio contabescentes, ærumnosam vitam ducimus. Verùm, si fieri potest, pater, sorores, cognati, affines, immensum hunc dolorē aliquantulum cōprimamus, molliorē nostri animi partem coerceamus, rationem ipsam optimā ducem sequamur. Quid enim est, quòd diutiùs lugeamus, pater optime? Quid opus est, vt vos amplius afflictetis, sorores carissimæ? Mater quidem nostra florenti adhuc ætate, quippe quæ nondū ad quadragesimum annum peruenerat,

diem

diem suũ obiuit, sed ad vitã longè beatiorem transmigrauit. Quamobrem illi nihil mali prorsus accidit: quicquid fuit in eius morte mali, in eã nihil, in nos totum redundauit. Sed cùm perspicuum sit, fletũ hunc nostrũ nihil omnino nobis prodesse posse: tandem animos & cogitationes nostras à lacrymis ad matris honestissimã vitam intuendam erigamus, & immortali Deo potiùs gratias agamus, quòd talẽ nobis matrem dederit, quã indignemur, quòd eandem nobis abstulerit. Adestè igitur, quæso, animis omnes, & paulisper mecũ fletum & lacrymas cohibite, dum breuiter ea recensẽo, quæ fuerunt in parente nostra summopere laudanda: vt ad eius potiùs imitationẽ animos excitemus, quàm ipsam iã fato functam, diutiùs lugeamus. Magdalenæ parenti nostræ paternũ & maternum genus ab antiquissima Comitũ familia deductum est: qui ab Amphortio Desiderij Longobardorum Regis sororis filio, nostri generis auctore, prognati sunt. Is enim cùm ab auunculo Desiderio totã hanc regionẽ dono accepisset, Maioragiũ vicum extruxit, atque in eo turrim, cuius adhuc in domo nostra post septingentos atque amplius annos quædam extant vestigia atque fundamenta. Quod autẽ extiterint è familia Comitũ, & arte militari præstantes, & omni scientiarũ genere clari viri, nihil opus est, vt hoc tempore cõmemorem, cum permulti sint annales, atque Historiæ Mediolanensium, quæ hoc apertissimè testentur. Nam satis ad laudem Matri nostræ, quatenus ad genus attinet, existimo, quod patrem habuerit Primum Comitem, qui per se quidem egregius

atq;

atque excellens vir fuit, sed propter singulares atq
eximias filiorum suorū & filiarum virtutes longè fa
ctus est clarior atque illustrior. Habuit enim mate
nostra, quod plerique meministis, quinque fratres, o
nes quidem eximios & præstanti virtute præditos, se
duos præcipuè, Petrum & Iacobum, viros eruditis
mos, atq; in omni literarum genere plurimùm ac di
exercitatos, longeq; cæteris æqualibus suis antecelle
tes. Nam Petrus auunculus noster, per multos ann
Mediolani summa cum gloria bonas literas & arte
oratoriam publicè docuit. Qui cùm elegantiæ serm
nis, & latini candoris maximè studiosus esset, politi
res literas, propè iam iniuria temporum amissas, res
tuit, ad veterum scriptorum imitationem, eloquen
tiæq; gloriam Mediolanensem iuuentutem excitau
Iacobus autem eius frater Sacerdotio insignis, quam
uis assiduè literarum studijs operam daret, &, vt ere
doctissimus haberetur: tamen ad religiosam potiùs
tam, in qua tantùm excelluit, vt mirum omnibus q
videretur, quàm ad scientiæ gloriam aspirauit. Re
qui verò tres auunculi nostri, homines naui & indu
stryj, varijs in vrbibus summa cum fide negocijs c
mercaturis incubuerunt. E quorum numero Aloysiu
huius eruditissimi viri Primi Comitis, consobrini n
stri, pater, non sine summa laude, reiqúe militaris ma
gna scientia sæpius ordines duxit. His quinque fratr
bus tam egregijs viris mater nostra felix ac fortuna
ta videri potuisset, nisi, cùm maximè florerent, qua
fatali quadam calamitate omnes amisisset. Nam ip
cùm esset omniū natu minima, paterna in domo, quam

primu

primus eius parens prisca illa seueritate atque religione gubernabat, honestissimè educata; tantùm, viuente adhuc matre sua Helisabetha Sacca, lectissima fœmina matronaque diligentissima profecit, vt post matris mortem paruula relicta, quippe quæ duodecimum tantùm annum attigerat, senili quadam prudentia domum regere cœperit; neque enim erat alia herilis, quæres domesticas eo tempore curaret, fœmina; cùm eius soror Catharina, viuente adhuc matre, nupsisset. Itaque mater nostra circiter annos quatuor domestica negocia semper quidem virginali cum verecundia, sed tam accuratè, tam sedulo, tam cautè tractauit, vt & parenti & fratribus omnem domesticarum rerum molestiam penitus adimeret. Non enim puellari leuitate, sed matronali constantia cuncta administrabat. Et quamuis onus totius regendæ atque alendæ familiæ ipsa vna puella sustineret; nullo tamen labore aut molestia frangebatur; sed alacri semper animo, & blando vultu, facieque læta, & renidenti ore suis operibus continenter instabat: cùm interim ita vitam suam institueret, vt piè sanctèque viueret, & diuinis rebus interesse quotidie contenderet: atque in pauperes, quantum eius facultas ferret, benigna atque liberalis esset: nihilque audire aut ferre posset, quod à Christiana religione atq; castissimis auribus abhorrere aliquo modo videretur. Quæ res partim ab eius optimo prudentissimoq; ingenio, partim à seuera parentū educatione sanctaq; institutione proueniebant. Qua enim temperantia, Dij boni! qua abstinentia viuebat! Vinum aut nunquā, aut certè rarissimè degustabat, atq;

id adeò dilutum, vt ne vini quidem saporem retineret. Lautiores omnes epulas omnino respuebat, pane, pomis, oleribus ipsa ferè contenta, fratribus tamen suis ac cæteris domesticis opiparè splendideqúe mensam apparabat. Hoc enim à matre sua prudentißima fœmina se didicisse prædicabat, Virorum propriam virtutem esse fortitudinem, fœminarum sobrietatem ac temperantiam. Quare propter eam, qua vtebatur, in victu continentiam, firma semper valetudine fruebatur. Et quamuis ita parcè sobrieqúe viueret, tamen adeò liberali atque honesta facie splendebat, cum quadam natiui candoris & ruboris suauitate, vt quicunque eam aspicerent, eius venustatem magnopere commendarent. Rarißimè tamen in publicum prodibat, ac, nisi cùm Sacrorum gratia templa Deorum immortalium matutinis horis frequentaret, intra domesticos parietes sese continebat. Proprium enim ac suum esse munus, à parente & fratribus dedicerat, domum sedulò custodire, & quæ domi essent iam à viris acquisita, diligenter conseruare: quod cùm omni studio, cura, diligentia faceret, ita tamen erat in tuenda re familiari diligens, vt omnis abesset prorsus ab ea illiberalitatis atque auaritiæ suspicio. Nam quacunque iam condiderat atque reposuerat, cùm opus esse videret, tam hilari fronte promebat, vt & parens & fratres eius alacritate liberalitateqúe maiorem in modum lætarentur. Quid de eius pudore verecundiaqúe dicam? quæ tanta erat, vt, si quando fortè notasset, ab aliquo viro se paulò intentiùs aspici, statim incredibili rubore perfunderetur, & quāprimùm com-

commodè atque honestè posset, sese aspectui subtraheret. Quin effusius ridere non modò ab externis nunquam hominibus, sed ne à parente quidem & fratribus suis vnquam visa est. Abinani verborum profluentia, muliebriqúe loquacitate vsque adeò abstinebat, vt ne cum æqualibus quidem suis diutiùs aut copiosiùs loqueretur: sed rerum vtilium & honestarum auditione contenta, silentio atque taciturnitate mirificè gaudebat atque oblectabatur. Neque enim cùm aliquid semel audisset, quod ad vitæ honestatem attineret, vnquam amplius obliuiscebatur. Memini ego, cùm de fratre suo, doctissimo viro, Petro Comite loqueretur, solitam dicere; cùm is Mediolano, vbi publicè Oratoriam artem profitebatur, in Carellianum, domum ac patriam suam aliquando veniret, se quadam eius admiratione ductam, quæcunque ille dixisset, diligentissimè semper audiuisse, atque memoriæ mandasse; illudqúe præter cætera, cùm vix decimum annum ageret, ab eo didicisse; Maximam esse fœminæ virtutem, si quàm paucissima loqueretur: quòd ita dictum esset à quodam Græco sapiente: Mulierem ornat silentium: atque hanc fuisse causam, cur postea semper taciturnitate fuerit oblectata. Cùm igitur in ea virginali ætate ita viueret, & omnibus, qui eam agnoscerent, perquam amabiles mores suos vehementissimè probaret, & esset quasi quoddam antiqui pudoris pudicitiæqúe veteris exemplar: tu Iuliane pater, hac fama impulsus, pro ea, quæ tibi cum eius parente atque fratribus summa intercedebat familiaritas & amicitia, quamuis adhuc esses admodum

adolescens, in vxorem tibi petere decreuisti. Quam rem, cùm propter veterem familiæ dignitatem atque necessitudinem, quòd ab eadem Comitum gente natus esses, tum propter singularem atq; egregiam virtutem tuam facilè impetrasti. Nec verò postquam viro copulata, liberiùs viuendi potestatem nacta videretur, à pristinis illis suis sanctissimis moribus latum vnquam (quod aiunt) vnguem discessit; vni se viro suo ornabat, vnum amabat, vni placere studebat: neque conuiuijs, quod pleræq; nouæ nuptæ solent, aut choreis, aut ludis publicis capiebatur; sed ea potiùs omnia, tanquam flagitiorum irritamenta, detestabatur. Simplex erat in eius ornatu munditia, non affectata, non exquisita animis; sed quæ castum & pudicum animum apertissimè præ se ferret. Et quamuis in omnibus suis actionibus, & in omni sermone maximè puram & integram mentem ostenderet; tamen in domestico victu atq; consuetudine, tanta ingenij suauitate, tanta comitate atque affabilitate prædita erat, vt te infelicem ac fortunatum, Pater, tali coniuge sæpissimè prædicares. Nunquam enim tibi se opponebat, nunquam aduersabatur, nunquã contradicebat: sed cùm te plùs sapere, plùs intelligere persuasum haberet, omnibus in rebus tuæ voluntati libentissimè morem gerere contendebat. Quicquid tibi vel boni vel mali euenisset, id eo vultu atque eo animo accipiebat, perinde quasi non tibi tantùm, sed sibi etiam euenisset. De te vno loqui, de vno cogitare, ab vno pendere perpetuò solebat: neque cum aliquo viro, quamuis amico atq; necessario, aut paulò hilariùs ridere, aut familiariùs col-

loqui

loqui fas esse arbitrabatur. Res verò domesticas tanta cum diligentia tractabat omnes, tam accuratè custodiebat, quasi de minimis etiam quibusque rationem esset aliquando reddituram. Quid illud? quanti tandem æstimandum est? quanto opere celebrandum? à me præcipuè, qui à tali matre me procreatum & nutritū esse, non tantùm summè lætari, sed etiam magnopere gloriari soleo: quòd omnes filios suos, quos tibi, pater, nouem enixa est, te sæpiùs reclamante & contrà nitente, proprio lacte nutrire voluit: neque vnquam passa est, quamuis interdum esset parùm firma valetudine, nutricem præter se aliquam filijs suis adhiberi. Qua vna in re voluntati tuæ, pater, in tota vita suæ refragata est. Tu enim eius saluti valetudiniq; prospiciebas, quòd periculosum esse censeres, ad labores ac dolores, quos in gestando vtero atque enitendo pertulisset, graue etiam atque difficile nutriendi munus accedere: sed illa se totam atque integram velle matrem filiorum suorum esse prædicabat, neque suæ spei, sui sanguinis, suæ vitæ partem cum alia muliere communicare, quò deinde filij vel duas se habere matres crederent, vel maternum amorem in nutrices transfunderent. Nam eas matres penè impias appellabat, quæ cùm lacte suo filios satis commodè nutrire possent, eos tamen, ne laborem nutriendi sentirent, ab sese ablegare in animum inducerent. An ideo in nobis fœminis (aiebat) cùm vterum gestamus, ita volente rerum omnium procreatrice natura, primùm vbera turgescere incipiunt, deinde post partum lac enascitur, vt ab eo postea filios nostros, quos proprio sanguine priùs

aluimus, statim natos & vagitu suo nostram opem implorantes, reijciamus, proprioque ac suo nutrimento priuemus? Quorsum igitur in sinu mammas gestamus, si nunquam eis vsuræ penitus sumus? Quorsum edito partu, confestim vbera lacte complectentur, si natos nostros eo spoliemus? &, quamprimùm vt exarescant, efficimus? An non hoc est maximam liberis nostris iniuriam inferre, si non eis alimentum cum ipsis natum præbeamus? Non ita me docuit Petrus Comes, vir excellentissimus, frater meus: qui mihi sæpe narrauit id, quod omnino verissimum esse censeo; Longè plurimùm referre, cuius lacte filij nutriantur: quoniam vnà cum nutricis lacte, mores quoque eius & ingenium plerique sugere soleant; &, quanquam à bonis parentibus orti sint, sæpenumero tamen in nutricum vitia atque flagitia degenerare. Quare nullo modo patiar ego, vt propter lactis alimentum à nobis atque à parentibus nostris, hominibus honestissimis, filij mei degenerent; aut nutricem potiùs alienam, quàm matrem propriam agnoscere statim atque adamare condiscant. His atque huiusmodi multis alijs rationibus adducta, cùm tres masculos, & sex fœmellas peperit, omnes proprio lacte nutriuit. Itaque factum est, vt cùm non esset admodum robusto corpore, sed imbecillo ac delicato, propter assiduum & rerum domesticarum, & nutriendorum filiorum laborem varios in morbos inciderit, & proximis annis superioribus minùs prospera valetudine fuerit. Non tamen ab officio suo cessauit vnquam; neque eam vel secunda, vel aduersa fortuna ab honestissimæ instituto vitæ cursu

reuo-

reuocauit. Qua enim cura, qua solicitudine, quo studio nos filios suos educabat? qua humanitate, qua comitate, qua indulgentia, quæ recta & honesta essent, admonebat? qua dicendi seueritate, quo verborum pondere, qua castigatione, si quid à nobis non rectè cōmissum fuisset, reprehendebat? Neque enim eius in nos animaduersio vnquam vltra verba procedebat. Nam ingenuorum animos non verberibus, (aiebat) sed verbis, modò acrioribus, modò mitioribus fieri solere meliores. Quare plùs ipsa verbo vno paulò grauiori proficiebat, quàm cæteræ matronæ multis plagis potuissent. Qua quidem docendi & castigandi moderatione facilè consequebatur, vt eam omnes & vehementer amaremus, & plurimùm vereremur. In domo autem nihil prorsus neque visu fœdum, neque auditu obscœnum esse patiebatur; nihil quod aliquo modo liberorum suorum animos posset ab honestate detorquere. Iam verò quotidie nos adhortabatur, vt veris bonis animum exornare studeremus. Virtutem vnam esse dicebat hominis propriam & stabilem possessionem, cætera omnia fluxa esse & fragilia. Quocirca præcipiebat, vt nihil nisi de virtute cogitaremus. Sed me præter cæteros, quem ad literas propenso esse animo videbat, fratris sui Petri Comitis exemplo frequenter ad ingenuarum artium studia incendebat: de illo me præsente sæpissimè loquebatur, eius doctrinam extollebat, honores & gloriam prædicabat; vt talis euadere conarer, hortabatur. Verùm in primis nos omnes ad immortalis Dei cultum & religionem excitabat: neque quenquam nostrum

matutinis horis è cubiculo priùs exire patiebatur, quàm flexis suppliciter genibus, Deo preces piè ac religiosè fudissemus : idem etiam vesperi, cùm essemus cubitum ituri, fieri præcipiebat : siquidem affirmabat, homini religioso ac deuoto nihil mali, neque viuenti, neque mortuo, euenire posse. Summam igitur lætitiam & incredibilem voluptatem ex profectu nostro capiebat. Nullus enim ex tot filijs erat, qui non fidelissimis atque amantissimis eius consilijs parere omni diligentia studeret, & qui non illi rebus in omnibus obsequi contenderet. Itaq; cùm cæteræ matronæ suos ornatus, gemmas, vniones, torques, armillas, pretiosas vestes ostentarent, ipsa dicebat, Filios suos tam bene & liberaliter educatos, esse suas opes, sua ornamenta, suas delicias. Et quamuis omnes æqualiter amaret, in me tamen, nescio quo modo, propensiori esse animo videbatur, quod ex docilitate mea, qua mirificè gaudebat, me tantùm in literis profecturũ sperabat, vt aliquando fratris sui gloriæ respondere possem. Memini enim decem ab hinc annos, cùm adhuc admodum puer essem, & vix duodecimum annum attigissem, Petrus Comes eius frater diem suum obijsset, quamuis ex fratris interitu, quem vnicè diligebat, grauissimum dolorem accepisset : tamen eum dolorem ita consolari solitam, quòd diceret, se sperare futurum, vt breui tempore frater suus in me reuiuisceret. Quæ spes eius & prædicatio longè maiores, vt verè dicam, mihi stimulos ad discendum addidit, & magis ad optimarum artium studia me semper deinceps accendit & inflammauit, quàm omnes omnium præceptorum admo-

monitiones & adhortationes. Quod nisi postea tam turbulenta tempora subsecuta fuissent, fortasse multò magis in bonis literis, quàm hactenus feci, proficere potuissem. Sed cùm in mentem venit, quot miseriis & calamitatibus, proximis superioribus annis conflictati fuerimus, quàm turbulentis tempestatibus propter ingentes bellorum tumultus exagitati simus: cùm recordor, quanta etiam nunc in rerum omnium perturbatione versemur, bene actum cum eis esse existimo, qui ea mente, ea religione, ea fide, qua modò parens nostra, cum sorte vitam commutarunt. Quas enim calamitates non pertulimus? quas miserias non vidimus? quæ mala non experti sumus? quibus tamen omnibus in molestijs laboriosa mater nostra se ita semper gessit, talem animi magnitudinem ostendit, vt non modò ipsa consolatione non egeret, sed alios etiam vltrò consolaretur, & ad fortiter omnia perpetienda multis rationibus animaret. Cùm enim hostium impetu longè lateque vastatis agris omnibus, depopulata regione nostra, direpta domo, rebus ad vsum vitæ necessarijs spoliati nos in montes & syluas abdidissemus, ne crudelissimis hostibus præda fieremus, in ea solitudine mater nouem filijs circundata, qui omnes fame frigoreque confecti, miserabiliter lachrymabant, (quamuis enim pecuniæ non deessent, tamen neque panis vsquam, neque cibi vlli reperiebantur) non se tamen, vt pleraque alia solebant, fletu muliebri conficiebat, sed potius & ipsa animum vltrò colligebat; & te, pater, præsentem cùm propter ingentes illas miserias paulò demissiore animo videreris, ad constantiam, ad

patientiam, ad perseuerantiam excitabat, & no-
stram fletum ac lachrymas spe fortunæ melioris, quàm
poterat blandissimè, solabatur. Quid, eximiæ di-
titudo parentis nostræ quàm admirabilis ac diuina fu-
it? cùm tu, pater, maximopere solicitus, ne pro-
pter inediam penitus in desertis illis locis deficeremus
atq; interiremus, vbi passim fame enectorum proiecta
cadauera conspiciebantur, in proximos vicos, vt nobis
cibos quæreres, cum pecunijs descendisses, & statim
ab hostibus interceptus atque captus fuisses. Quam
calamitosus, Dij immortales! quàm infelix, quàm
pater ille nobis dies fuit! quàm ipsa etiam sola cogi-
tatione horribilis! Relicta erat mater in solitudine
sine vlla prorsus aut cognatorum, aut affinium, aut so-
ciorum ope, qui vel tam fame interierant, vel in ho-
stium potestatem deuenerant, vel in alias solitudines
aufugerant: aderamus nos filij longa inedia & di-
tina fame penè enecti, reditum tuum, pater, magna
cum auiditate expectantes, & eo ipso die sperantes
aliquid te tandem nobis allaturum, quo vescentes fa-
mem aliquantulum alleuaremus, cùm subitò nuncius
acerbissimus affertur, te captum ab hostibus, spolia-
tum pecunijs, in vincula coniectum fuisse. Prò De-
ûm hominumque fidem! quæ fuit in hac tam ingenti
calamitate matris nostræ constantia? quæ mulier hoc
accepto tam repentino, tam graui, tam acerbo nun-
cio, non statim eiúlatum immensum edidisset? non vlu-
latu & gemitibus totam eam solitudinem repleuis-
set? non sibi genas ac faciem laceraſſet? non Deos
uos & Diuas omnes crudeles appellasset? non ani-
mum

mum denique prorsus desponderet? At mater nihil huiusmodi commisit: sed cùm nos omnes largo fletu totam irrigare faciem & corpus videret, & miserando gemitu vociferationeque supremum animi dolorem testari, diu quidem præ mœrore nos incredibili commiseratione respiciens, nihil elocuta est, deinde verò magno quodam ab imo pectore deducto suspirio, Nolite (inquit) omnino desperare, atque animum demittere, dulcissimi filij mei: fortasse Deus propter aliquod delictum nostrum hanc etiam nouam calamitatem reliquis adiecit. Sed bene habet. Quòd pater vester non, vt alij plurimi, fuit ab hostibus interfectus, sed tantùm in vincula coniectus, hoc à diuina prouidentia factum esse pro certo habeamus. Neq; enim omnino Deus nos destituit, non patietur nos hac miseria diutiùs affligi: vobis breui patrem vestrum incolumem, mihi credite, restituet: vos tantùm certam fidem & persuasionem animo concipite, atque hoc ab immortali Deo beneficium, hanc gratiam, hoc munus religiosis precibus mecum efflagitate. Neq; enim mihi dubium est, quin Deus pro sua immensa clementia misericordiaque nostras sit preces auditurus. Quæ cùm dixisset, nos omnes iussit flexit in terram genibus, ad cœlum manus extollere, ac primò delictorum veniam à Deo cœlestibus q; omnibus humiliter petere, deinde pro salute patris & restitutione vota nuncupare. Quæ cùm omnia, quanta potuissemus maxima religione fecissemus, post multam noctem nos languentes & penitus afflictos, in lectulo sub quadam arbore collocauit: ipsa verò totam noctem insomnium duxit,

neq;

neq3 vnquam Deo preces fundere ceſſauit. Ecce au-
tem ſub auroram tu, pater, quaſi de cœlo miſſus dere-
pente nobis adfuiſti, ſummaq3 cum lachrymis permi-
ta laticia, quemadmodum cuſtodes fefelliſſes, atq3 ea
hoſtiũ manibus mirabiliter elapſus fuiſſes, enarra-
illudq3 flens addidiſti, te nullo modo exiſtimare, humā-
no conſilio tuo, aut propria induſtria ſed diuino potiũ
auxilio tam facilè crudeliſſimis hoſtib. ereptum fuiſſe.
Tum verò mater te complexa, atq3 ad nos conuerſa,
En, inquit, cariſſimi filij, quàm citò vobis parentem ve-
ſtrum Deus elargitus eſt, quoniam ad eum tota mente
confugiſtis? quòd ſi vos piè religioſeq3 gerere perſeue-
rabitis, etiam à reliquis malis omnibus nos quamprī-
mùm liberabit. Hunc igitur animum, hanc conſtan-
tiam, hanc mentis altitudinem in illis tam immenſis
atque intolerabilibus miſerijs mater oſtendit. Cùm ve-
rò iam mitiora tempora ſucceſſiſſent, & hoſtes qui-
dem è regionibus noſtris abijſſent: ſed propter agrorum
vaſtitatem, & domorum direptionem, atque incen-
dia, quæ præceſſerant, intoleranda fames vbique do-
minaretur, & paſſim homines in compitis ac publicis
vijs proſtrati, propter inediam miſerrimè perirent, tu
qúe, pater, pro tua ſingulari induſtria longinquis è re-
gionibus ſatis abundanter pro tempore familiæ tuæ
cibos procurares, nobis quotidie mater blanda ora-
tione pioq3 ſermone ſuadebat, vt earum, quæ paulò an-
tè fuerant, calamitatem memores, gratum pro mere-
tis, ab immortali Deo nobis conceſſis, animum oſtende-
remus: & quando nihil Deo gratius fieri poſſit, quàm e-
gentibus hominib. ſubuenire, noſtro comedendi deſide-
rio

rio aliquid subtraheremus, quod esurientibus, & fame confectis ac pereuntib. vicinis largiremur. Itaq; nobis, eius oratione persuasis, eo modo panē manè vesperiq; distribuebat, vt prima portio semper alicui magis indigenti vicino seruaretur, quorum propter incredibilem annonæ caritatem erat infinita propè multitudo. Quare postea multi paulò etiam ditiores, cùm pertristis illa fames quieuisset, se vitam suam & filiorum matris nostræ benignitati debere, atq; acceptam ferre, palàm fatebantur, quibus, cùm in tota regione nullus esset cibus, diuitiæ suæ nihil omnino prodesse potuissent. Sed nimis longum esset, omnia percensere numerando, quibus mater nostra non solùm magnopere laudabilis, sed etiam plurimùm admirabilis fuit. Hæc autem à me non ideo commemorantur, quia sperem, oratione mea satis pro meritis atque dignitate posse illam exornari, quod longè maioris ingenij atq; eloquentiæ munus esset: verùm vt honestißimè sanctißimeqúe peractam ab ea vitam recolentes, mortem eius aliquantò mitiùs feramus: cùm apud animos nostros statutum atq; exploratum habeamus, omnibus, qui tam religiosè Christianeqúe vixerint, vt illa semper à teneris (vt aiunt) vnguiculis ad hoc vsque tempus vixit, certum ac definitum in cœlo esse locum, vbi sempiternis seculorum ætatibus iucundißima purißimaqúe voluptate perfruantur. Quod quidem illa firmiter credebat, vt sic è vita discesserit, quasi à diuturno carcere solueretur, & ab obscurißimis tenebris ad clarißimam lucem euolaret. Cùm enim acutißima febre correpta fuisset, & iam se morti proximam esse cognosceret, nihil sibi

priùs faciendum putauit, quàm vt optimum Sacerdo-
tem accersiri iuberet, cui de more Christiano pecca-
ta sua confiteretur, & à quo panem illum cœlestem
ac diuinum, per quem nobis verissimum Christi corpus
admirabili mysterio communicatur, deinceps acci-
ret, & qui denique sibi omnia, quæ ab Ecclesia Christia-
na iampridem optimè sunt instituta, Sacramenta sub-
ministraret. Quibus omnibus summa cum religione
cerimoniaq; peractis, postea non recusauit, quò minùs
etiam, si nobis ita placeret, Medicos adhiberemus. Ve-
rùm, magis atq; magis ingrauescente morbo, cùm nul-
lam amplius spem superesse intelligeret, & nos omnes
quasi attonitos esse videret, ac de sua vita maximè so-
licitos, vltrò blandè consolari cœpit, benigneq; rogare,
ne suam ab hac vita discessum multis lachrymis pro-
queremur: sibi enim iam paratam esse perpetuam al-
terius vitæ quietem ac tranquillitatem, ad quam, ita
volente atque iubente Deo, libentissimè transmigra-
ret: neque alia de causa mortem sibi paulò grauiorem
videri, nisi quia paruos adhuc filios relinqueret, qui
sua præsentia suoque auxilio plurimùm indigerent.
Tum verò te, pater, apprensa dextera, multùm obse-
crauit, vt communium filiorum deinceps totam cu-
ram susciperes, & eum laborem, quem ipsa maiorem
parte subire consueuisset, tu vnus postea totum haud
grauatè sustineres. Vobis autem, inquit, ô filij carissi-
mi, quoniam certum habeo, fore vos semper, sicut hac-
tenus fuistis, parentis vestri monitis obtemperantes,
nihil aliud moriens mando aut præcipio, nisi quod iam
sæpissimè præcepi, vt quoad vixeritis, Dei cultum &

pie-

pietatem cæteris rebus omnibus anteponatis: Deum omnia videre, omnia procurare, bona bonis, mala malis dare certissimum habeatis. Omnia vobis bene & feliciter euenient, si religiosè pieque Deum colueritis, atque ea, quæ à maioribus nostris, Christianæ religionis auctoribus, præcepta atque instituta sunt, diligentissimè obseruaueritis. Sic enim & parenti huic vestro satisfacietis, & mortem mihi leuiorem efficietis, & vobis bona omnia comparabitis. Hæc cùm dixisset, iterum accersito Sacerdote rogauit, vt sacrato sibi oleo, prout mos est, corpus inungeret, & animam suam iam è corpore exeuntem, immortali Deo commendaret. Hunc habuit finem atque exitum religiosissimè acta matris nostræ vita, prosperum quidem illi ac felicem, si qua est Deo religiosè iusteque viuentium cura, quam esse maximam pro comperto habemus, nobis autem aduersum & calamitosum. Illa enim horum infelicium temporum miserias & humanæ vitæ calamitates atque molestias deseruit, iamque ad salutis ac tranquillitatis portum peruenit: nos autem matre optima spoliati, maximis molestiarum procellis agitamur, & luctu squaloreque conficimur, neq; vllum adhuc miseriarum finem prospicimus. Sed non committam, vt dolori diutiùs indulgeamus, aut oratione mea vobis mœrorem, quem pro viribus alleuare constitui, magis augere, quàm immmuere videar. Non est, mihi crede, pater optime, quòd eius mortem, quæ omne vitæ suæ curriculum maxima cum honestate, fide, religione confecit, tam grauiter ferendam putemus: satis enim diu luximus, satis habenas fletui laxauimus.

Nam

Nam quamuis per ætatem & naturæ legem multo adhuc annos summa cum vtilitate & commoditate nostra mater viuere potuisset: tamen non tam cogitandum est, quid nobis commodum atque vtile fuerit, quam quid immortali Deo placuerit, & quid ipsi matri nostræ expedierit. Cùm enim satis iam ad cœlestem gloriam acquirendam & immortalitatem vixisset, voluit eam Deus in cœlum ad se reuocare. Nihil porrò est hoc tempore, quod eam ad diutiùs viuendum inuitare magnopere posset, præter filiorum curam & amorem, quo maximè tenebatur: sed adeò iam infirma erat, & tanta corporis imbecillitate premebatur vt frequentissimis morbis affligeretur, & propter tam varias & tam odiosas ac molestas horum infelicium temporum perturbationes nullam neque diurnæ, neque nocturnæ quietis partem percipere poterat. Bene igitur cum ea, bene inquam, actum est, quoniam omnibus tandem miseriis liberata, præclaris suis actionibus & virtutibus præparata in cœlo præmia consecuta est. Quare si nobis cordi est, quod illi gratum sit efficere, cupit illa nos suo potiùs bono gaudere, quàm nostro malo tristari: quæ pro mortali huius vitæ conditione, proque tam crebris calamitatibus, quas animo quidem constanti, sed iam tandem fatigato ferebat, immortalem ac sempiternam beatitudinem adepta est: nobis autem, inficiari nemo potest, quin vulnus quidem grauissimum acciderit. Sed postquam ita Deo placuit, & iam immutari nullo nostro dolore aut fletu potest, omnem, si quo modo fieri potest, sin minùs, maiorem saltem mœroris partem

nobis

nobis fortissimè reijcianus Quod quidem te, pater optime, pro tua singulari virtute atq; sapientia sine vlla dubitatione facturum credo. Vos autem, sorores carissimæ, quarum ætas ad resistendum dolori adhuc est imbecillior, ita cogitate, Matrem nostram nolle nos amplius mortem suam deflere, cùm longè nũc feliciùs viuat, quàm antea cùm nobiscum viuere videbatur: sed eam putate nobis iubere, vt iã tandem à fletu mentes nostras ad imitandas eius præclaras & honestas actiones reuocemus. Quòd si dum ea viueret, semper eius præceptis libentissimè paruistis, videte ne hoc tempore, cùm ad beatiorem vitam transierit, non ei parere vobis turpissimum sit. Iubet igitur mater, vt iam tandem à lachrymis abstineatis, & ea potiùs frequenter animo repetatis, quæ nobis honestè viuendi præcepta viuens tradidit, suisq; vestigijs, quantum vestra facultas fert, insistere contendatis. Hoc ei multò gratius, multoque iucundius erit, quàm sit immensus iste dolor vester. At vobis, cognati & affines, qui præsentia vestra nostrum hoc funus honestare voluistis, & vestro mœrore declarastis, quàm molesta vobis acciderit hæc nostra calamitas, faxit Deus optimus maximus, vt omnia bene & feliciter eueniant, talisq; fletus ac dolor vel nunquam vel saltem rarissimè contingat.

LVTI ENCOMIVM.

ORATIO IX.

PLurimis in rebus imperitæ multitudinis & vulgarium hominum ignorantiam, ac mentis cæcitatem licet intueri, Quirites, qui tam præcipiti ac temerario in rebus ferè omnibus iudicio vtuntur, & cogitationes suas ita distrahi patiuntur, vt ea sæpissimè vituperent, quæ maximè laudanda esse videantur, contraq; sæpenumero mirificè probent, quæ plurimùm essent improbanda. Quotus enim quisq; reperitur, qui saluberrimis potiùs, quàm iucundissimis cibis deleãtur? aut qui malit cum abstinentia sanus esse, quàm cum intemperantia semper ægrotare? Similis est etiam opinionum ratio: Trahitur sua quisque cogitatione, eaq; laudat, quæ putat esse magnifica, vituperatq; contraria: sed pauci admodum rerum naturas vere perspiciunt, & ad id tantùm omnes, quod in præsentia vtile esse videtur, toto impetu rapiuntur, cætera, quæ sunt à sensibus remota, non ita diligenter considerant. Quamobrem cùm falsis opinionibus tantopere fallantur homines, nulla repente spernenda est oratio, quæ vulgi sit opinioni contraria: quamuis enim initiò propter insolentiam absurda esse videatur, tamen exitu ple-

plerunque vtilißimo atque iucundißimo concluditur. Sed vobis adhortatione mea nihil opus esse intelligo, quos iam erectos omnes, cum hilaritate quadam expectare video, quid hac noua atque admirabili causa de Luto, hoc est, de re, quemadmodum fortasse vos existimatis, tam humili atque abiecta, dicturus accesserim. Hoc enim ita natura comparatum est, vt insignis semper nouitas mortaliū animos erigat, atq; excitet; qua si talis est, vt eos audita commouere possit, affectos aut summa iucunditate, aut ingenti tristicia derelinquit. Ac mihi quidem, Quirites, hoc vnum erit in hac oratione studium, vt quacunq; dixero, non solùm iucunda, sed etiam admiranda vobis esse videantur. Quòd si quis mihi Deus vestram ad me audiendum beneuolentiam conciliarit, efficiam profectò, vt intelligatis, nihil esse luto nobilius, nihil precioßius, nihil vtilius, nihil denique magis necessarium: modò quàm opinionem iam vestris mentibus comprehendistis, eam si ratio conuellet ac labefactabit, si denique veritas extorquebit, libenti & æquo animo remittatis. Tunc certè præclara illa quorundam hominum ingenia, negligentiæ nomine condemnanda esse iudicabitis, qui cùm eloquentia sua genus humanum ab hoc tanto errore liberare possent, ne rem adeò precioßam & excellentem aßernaretur, maluerint in nugis quibusdam puerilibus, & anilibus fabulis ocium suum frustrà consumere, dum alius quartanam febrim, alius caluitium, alius muscam, alius item aliquid ridiculum laudat. Quin etiam nouißimè (si Dijs placet) inuentus est, qui stultitiam & scarabeum laudarit, & qui asi-

num ad astra laudibus euehere conatus sit Quæ postea quam in vulgus disseminata fuerunt encomia; Super est (inquit vir quidam è populo) vt lutum etiam laudetur. Quam ego vocem cùm audiuissem, qui iam antea sæpiùs luti virtutes animo reputaueram; addidissem vir ille: Fortasse verius hoc posset, & magis iure laudari: statim hominis solertiam exosculatus sum, & eius sententiam magnopere comprobaui. Quorsum enim quis ingenium aut dicendi facultatem ostentet vbi non opus esse videatur? Ibi sunt eloquentiæ vires expromendæ, vbi vel innocentes ab iniqua criminatione liberentur, vel ab hominum mentibus falsæ opiniones refellantur, quæ magnam humano generi perniciem atque ingentes calamitates apportare sæpenumero solent; quemadmodum apud Platonem Socrates sapientissimè disserit. Quæ me ratio potissimum ad hanc causam impulit, vt hæc quæ iam penitus insedit & inueterauit in animis hominum opinio, si fieri potest, euellatur, & iam tandem intelligant homines quod in omni seculorum memoria semper antea latuit, nihil vniuerso cœli ambitu contineri, quod vtilitate atq; excellentia Lutum antecedat. Quod quamuis incredibile primo aspectu esse videatur, tamen cùm orationes meas diligentius audieritis, vos ipsi sponte vestra verissimum esse non dubitabitis confiteri. Primùm igitur mihi videtur de nobili atq; excelso Luti genere, deinde de præstantia, tandem de vtilitate esse dicendum. Genus est enim eiusmodi, quod antiquitate & nobilitate, quæcunq; in terris gignuntur, antecellit. In quo declarando, si fortasse paulò altiùs exorsus, repe-

tere memoriam antiquitatis visus fuero, ignoscite Quirites: hoc enim ipsius rei magnitudo postulat, quæ me breuiter orationem perstringere non sinit. Antequam cœli rotunda conuersio fieret, cùm nondum esset humanum genus procreatum, neq; vllæ adhuc in terris essent animantes, non herbæ, non frutices, non arbores, nulla dehinc rerum earum, quæ è terra nascuntur, species ac forma,

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe, Ouid. 1. metam.
Quem dixere Chaos, rudis indigesta q; moles.

Horum quatuor omnia gignentium corporum, terræ, aquæ, aëris, ignis, natura permixta erat, neq; vnum ab altero dignosci poterat, cùm tamen maxima esset inter ea discordia. Siquidem

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis, Ibid.
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

Donec ratio Dei sempiterna propter incredibilem sapientiam suam agnouit, quàm excellentium rerū esset in eis naturis materia si prob. artifex accessisset. Itaq; cùm ipse Deus probitate maximè præstaret, naturas illas, non tranquillas & quietas, sed immoderatè agitatas & fluitantes assumsit, eas q; ex inordinatis in ordinem adduxit. Hoc enim iudicabat esse præstantius. Et superiorem igni locum tribuit, quia leuissimum omnium esse videbat: proximum aëri, tertium aquæ, quartum & vltimum in medio totius mundi, quò grauia omnia deferrentur, terræ tradidit, vbi cuiusq; generis, vel inanimi, vel animantis, vel muti, vel loquentis origo est, vbi vita, vbi interitus, vbi ex alio in illud assidua vicissitudo atq; mutatio. Nam ex terra gignuntur o-

mnia, rursusque in eam omnia recidunt; atq; ita frequenter immutata, corrupta, deinde rursus generata, vicissitudine quadam æternitatem obtinent. Hic mihi fortè succlamet aliquis, cui hæc, quæ commemore, diphthera, quod aiunt, Saturniqúe rebus antiquiora videantur: Quid ista tam obsoleta tamq; rancida prosunt ad Lutitui laudes, & genus celebrandum? Iam profectò intelligetis, Quirites, non hæc sine maxima causa me tam ex alto repetisse. Hanc enim quam nos terram, & rerum omnium parentem ac procreatricem appellamus, cui locus omnium honorificentissimus in medio datus est; quæ nos gignit, alit ac sustinet, quæ denique non tantùm hominum, sed etiam immortalium Deorum domicilium gratissimum est, nihil aliud quàm Lutum, & totius cœli reliquorumque omnium elementorum purgamentum esse, perspicuum est. Nam cùm constituisset Deus, bonis omnibus explere mundum, mali nihil admiscere, quo ad naturam pateretur; in medio totius, locum præstantissimum, vbi generatio fieret, elegit, quò facilè & cælum ipsum, & reliquæ naturæ dimittere semina sua, detractionesque confecti & consumti alimenti possent. Hæc de causa factum est, vt quæcunque grauia sunt & solida, naturæ ipsius instinctu atque impetu medium mundi locū petant; neq; quicquam omnino grauitate præditum potest alibi, quàm in medio, consistere; quoniam semper ex vi naturæ premitur, quod graue est: quis autem est, qui nesciat, lutum esse grauissimum, ideoq; necessariò fieri, vt in medio mundi loco perpetuò consistat? Quòd cùm terræ proprium sit, ve-

rè com-

rè concludi potest, terram nihil aliud esse, quàm lutum. Ignoscite, Quirites, si vobis nimium videor agere philosophicè. Nam in hoc vno rei cardo vertitur, vnde lutum generari putemus, aut quid ipsum esse statuamus: quod si rectè semel intellectum fuerit, cætera deinde omnia facilima videbuntur. Sed ad rem redeamus. Cùm igitur in loco maximè omnium honorifico, hoc est, ἐν τῷ μέσῳ, vt aiunt Philosophi, terra sit, cætera autem omnia circunsistant & eam quasi custodiæ gratia muniant; & quicquid habent purgamenti atque fecis, in eam procreandi causa demittãt: nemini dubium esse potest, quin aut tota, aut saltem ex maxima parte terra reliquorum corporum purgamentum atque lutum sit. Sed ne fortasse nobis idem quod Sophistis accidat, qui solent ex ijs, quæ probabilia videntur, neque sunt, argumenta sua concludere: quærenda est ex grauissimis auctoribus Luti definitio, quæ nihil aliud est, quàm inuolutæ rei, atque obscuræ naturæ explicatio. Sic enim facilè, quod quærimus, Luti genus inueniemus. Quis autem post homines natos fuit vnquam Platone grauior? quis intelligentior? quis sapientior? Equidem huius ego singulis verbis, centum aliorum testimonia dignè comparari posse, non existimo. Is igitur optimus definiendi magister in Theæteto, sub eius persona, quem semper grauissimum introducit, hoc est, Socratis, Lutum ita definiuit: γῆ ὑγρῷ φυραθεῖσα πηλὸς ἂν εἴη. Lutum, inquit, terra est humore permista. Iam igitur Luti præclarissimũ genus inuenimus, hoc est, terram & humorem, vt humor Luti pater sit, terra verò mater. Quis autẽ adeò rerum Arist. 4. Top. ca. 5.

ignorans est, quis tam imperitus, tam rudis, quin intel-
ligat, quanta terræ sit & humoris excellentia? Nam
humor ille est, quem post conditum orbem Deus Opt.
Max. rerum omnium generationi præfecit, vt sine e-
ius auctoritate nihil quicquam omnino gigneretur,
quem nos tantùm ijs, quæ è terra nascũtur, sed etiam
sempiternis illis ignibus, quæ sidera vocamus, alimen-
tum præstare voluit. Persuasum enim habent pleri-
que Philosophi, Solem, Lunam, cæteraſque Stellas om-
nes humore pasci. Quid, quòd tanta est humoris ex-
cellentia, vt per eum solum Dei iurare soleant, & eum
iratum habere magnopere caueant? quippe qui pa-
clarè intelligant, quanta sit eius apud summum De-
um auctoritas, cui tanta sit administratio demanda-
ta, vt omnia gignat atque nutriat. Hac de causa sa-
pientissimus vir Thales Milesius, humorem rerum om-
nium parentem esse pronunciauit. Quid autem de
terra dicam? quam non tantùm hominum, sed etiam
Deorum matrem esse dicunt. Itaque plurima tellus
apud sapientes illos veteres dicata fuisse templa legi-
mus, eamque inter summos Deos fuisse cultam & ho-
noratam. Sed mihi nequaquam omnes humoris &
terræ laudes commemorandæ sunt, quæ sunt prorsus
innumerabiles atque infinitæ, neque vobis, vt opinor,
ignotæ. Satis est, hoc tempore docuisse, natum esse lu-
tum ab ijs parentibus, qui omnium præstantissimi at-
excellentissimi esse videantur. Hoc se genere, hoc san-
guine procreatum esse lutum gloriatur. Nunc eius
etiam præstantiam atque excellentiam videamus.
Quæ tanta est, vt non modò parentibus suis, humori &
terræ

terræ non cedat: sed eos etiam longo interuallo superet. Quamuis enim, vt iam antea diximus, humor generationi præsit, & sine eius auctoritate nihil gignatur: tamen nihil ei sua potestas proderit, nisi terræ commixtus locum procreet, vnde postea nascantur omnia. Quis enim non intelligit, nihil inueniri posse, quod non ex luto generetur? Deme lutum ex hac admirabili mundi machina, non iam erit id, quod prouerbio dicitur, ver ex anno tollere, sed idem, quod solem extinguere, aut Deos è cœlo diripere. Quid enim fiet? quid nascetur? quid procreabitur? quis non omnia videt statim interitura? Nam vnde genus hominum? vnde tot animantium terrestrium, aquatilium, volucrium genera? vnde tot arborum formæ? tot herbarum species? tam varij flores? tot iucundi fructus? tot frumenta? tot segetes? An non omnia primò vitam, deinde etiam viuendi facultatem Luto acceptam ferunt? Nam si tandem omnia, quemadmodum Philosophi docent, in idem abeunt, ex quo priùs constituta fuerant, & quotidie videmus, quicquid interit, in lutum conuerti: profectò lutum rerum omnium principium esse nec esse est, de quo sanè, nisi planè in Physicis (vt ait Cicero) plumbei sumus, dubitare non possumus. Quis enim nescit illud in scholis ab omnibus Philosophis tantopere iactatum & celebratum theorema, quod ab Aristotele summo naturæ interprete sumserunt, Vniuscuiusque rei interitum atque corruptelam, alterius esse ortum ac generationem? At quæ in hoc quidem, cùm in alijs pleriſque rebus mirandum in modũ dissentiant, & penè inter se digla-

Tusc. Quæst. lib. 1.

Lib. 1. de ortu & int. Contex. 17

dientur Philosophi, mirum quàm conueniant, vt nullus vnquam aliter sensisse videatur. Omnem autem alicuius rei corruptionem à nobis Lutum appellari, nemo est, quin intelligat, ex quo cùm omnia gigni Philosophi dicant: idem est, ac si clarissima voce prædicarent, rerum omnium parentem esse Lutum. Qui ad hæc contrà dici potest? Non nos contortis fallaciter argumentis aut falsis conclusionibus hæc tam vera colligimus: sed ab ipsa natura rationes nostras accipimus; ipsa nobis hæc argumenta suppeditat; ipsa nobis manus injicit, & paulùm consistere iubet, atque hæc diligentiùs explanare: cupit hunc errorem ex hominum mentibus radicitus euellere, cupit eximias Luti virtutes omnibus notas ac planas fieri: vt tandem aliquando desinant homines ei maledicere, parentemque rerum omnium & auctorem suspiciant ac reuereantur. Quemadmodum igitur figulus ex argilla vasa sua format & effingit: ita natura illa melior, quem Deum vocamus, ad omnium rerum creationem luto semper vtitur. Itaque vir optimus ac sanctissimus Agapetus, ad Iustinianum Imperatorem scribens, admonet, vt ne quis maiorum nobilitate glorietur, quoniam nulla est in ortu differentia: Omnes enim, inquit, tam qui Reges sunt & Imperatores, quàm qui humili & obscuro loco nati sunt, eundem primum parentem, lutum habent. Sed quid multorum testimonijs opus est, cùm nobis ipsa varietas Sacris in literis apertè dicat, & clara voce testetur, ex luto fuisse homines primò conformatos? Quod ideò de hominibus potissimùm scriptum est, non quòd ipsi

Genes. 2.

solis

soli sint ex Luto procreati, sed ne quisquam parentem suum posset ignorare. Quod etiam Homerus, omnis Philosophiæ pater, intellexisse mihi videtur, grauissimus & sapientissimus auctor, à quo, ceu fonte perenni, quicquid in omni doctrina eximium est, emanauit, qui cùm in Iliade sua Menelaum Græcorum ignauiam increpantem refert, quòd cum Hectore singulos ad certamen prouocante nemo congredi auderet, his verbis vsus est: Iliad. 7.

Αλλ' ὑμᾶς μὲν πάντες ὕδωρ τε γαῖα γένοιτο.

Optat enim vt intereant, atq; ideò precatur, vt in humorem & terram conuertantur, hoc est, in idem dissoluantur, ex quo priùs constituti fuerant. Sic enim acutissimus Philosophus Alexander Aphrodiseus Homeri sententiam interpretatur: Ex terra (inquit) & humore gignuntur omnia, & in terram atq; humorem omnia dissoluuntur. Quod etiam sensit Epicharmus Siculus, cùm dixit: ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω. Denique etiam Aristoteles in Rhet. indicat olim eos, qui seruos se profiteri vellent, terram & aquam domino tradere solitos, tanquam omnium rerum iure sese abdicantes. Quæ cùm ita sint, iam profectò, Quirites, perspicuum est, quàm magnus exornandi Luti campus nobis apertus sit, quàm amplè, quàm grauiter, quàm copiosè luti laudes exequi possimus. Cùm enim, vt omnes eruditi censent, ex terra atque humore, quicquid est vbiq; pretiosum, quicquid eximium, quicquid vtile, generetur, cumque (quod caput est) etiam nos ipsi, cùm cæteris animantibus, ex eadem terra atque humore fingamur, terra verò hu-

Lib. 1. Probl. 77.

Plutar. in Consol. ad Apollon. Lib. 2. citãte Erasmo in Adagio: Aqua & terra redd amini.

humore permista lutum sit, vt ex Platonis auctoritate paulò antè demonstrauimus: quod ingenium inueniri tam sublime potest, quæ lingua tam volubilis, quæ dicendi copia tam præcellens, quæ minimam earum laudum partem, quibus lutum dignissimum est, recensere commemorando possit? Etenim, si magnum quidam assecuti videntur, qui rem aliquam preciosam, vt argentum, aut aurum, aut aliquid eiusmodi satis egregiè laudarint, si difficilimam esse fatentur omnes, oratione res honestas atque laudabiles posse vincere, quid tandem in Luto laudando, quod vnum omnia complexum est, quanta difficultas existimanda est? Si quis enim eius præstantiam animo diligentissimè voluat, is nimirum intelliget, maius esse quiddam, non modò quàm homines opinentur, sed etiam quàm cuiusquam eloquentia capere possit, perfectè Lutum exornare velle, tantoque esse difficilius, idem rectè laudare, quantò rebus omnibus preciosis & præstantibus antecellit. Hîc non Isocratis iucunditate, non Lysiæ subtilitate, non Hyperidis acumine, non Aeschinis sonitu, non Demosthenis vi, sed diuina quadam potiùs opus esset eloquentia, quæ nunquam antehac audita, nunquam nata, nunquam excogitata fuisset. Non enim hac in oratione sic nobis agendum, vt in reliquis exornationibus agi solet: maiore quadam ingenij sublimitate, vberiore dicendi facultate, grauiori modo vtendum est. Solent enim reliquis in rebus exornandis Oratores semper aliquam adhibere contentionem atq; comparationem, vt rem eam, quam laudant, alterâ, quæ tamen egregia sit, longè præstantio-

rem

rem esse demonstrent : quarerum inter se collatione plurimùm florere atq; enitescere solet oratio. Sed quid est ex omnibus rebus, quæ cœlo continentur, tam eximium, tam excellens, tam rarum, quod si Luto comparetur, non statim vilissimum atque abiectissimum esse videatur? Ponite ante oculos quicquid vbique pretiosum est, ponite argentum, aurum, gemmas, margaritas: quid? an non in mentem vobis venit, vnde hæc omnia nata sint? Nonne paulò antè docuimus, ex luto, quæcunque in terris nascuntur, omnia procreari? Hæc omnia, quæ tantopere mirantur homines, quæ magis, quàm propriam vitam amant, quæ diligentissimè custodiunt, pecuniæ, thesauri, diuitiæ, facultates, qui rectè reputat, lutum planè esse intelligit. Quàm igitur absurdum fuerit, si quis vnum aliquem terræ fructum è luto natum velit ipsi rerum omnium parenti Luto comparare? Proh Deûm atque hominum fidem! quis adhuc de Luti præstantia dubitare potest? quis non illud ad astra tollat? quis non diuinis laudibus efferat? cùm intelligat, è luto tot egregios viros, tot Reges & Imperatores, tot ingenia præstantissima, tot sapientes, tot philosophos esse profectos. Quid? an non tot egregiæ substructiones, tot oppida clarissima, tot nobilissimæ ciuitates, iacerent prorsus omnes, neque earum extarent vestigia, nisi lutum prius extitisset? Quid, vt minima commemorem, tot herbarum genera, depellendis corporum morbis vtilissima? quid frumenta? quid glandiferas ac fructuosas arbores? an non in lucem omnes lutum edit? Quot animantium genera? quàm pulchra? quàm varia? quæ natu-

turæ totius varietas? quot hominum ſpecies? Hæc omnia Lutum edit, fouet, exhilarat. O mortalium genus ingratißimum! O deteſtabilem perfidiam! O mentem penitus execrandam! Ergo quod te procreat, quod nutrit, quod educat, quod omnem iucunditatem affert, id tu negligis? conculcas? aſpernaris? Sine quo ne vnam quidem diem vitam agere potes, id à te non aliter atque rem abiectißimam reijcis? Quod tibi lucis huius atque vitæ cauſa eſt, id apud te commorari non ſinis? Quod omne tibi commodum, omnem voluptatem præſtat, id abigis, expellis, exterminas? Prob Dij immortales! non intelligitis homines, cùm lutum contemnitis, vos quidquid in terris bonum eſt contemnere? non intelligitis, parentem veſtrum vos negligere, cùm lutum negligitis? non venit in mentem, quæ veſtra fuerit creatio? vnde nati ſitis? ex qua materia conditi? Formauit, inquit Moſes, Deus hominem ex limo terræ. Vide quantò ſit Lutum præſtantius, quantò ipſe luto ſis inferior. Quid ſupra lutum criſtas tollis? quid exeris cornua? quid ſuperbis? Ex limo terræ creatus es. Ecquid hoc intelligis? ecquid conſideras? ecquid genitorem tuum agnoſcis? Quid aliud eſt, ex limo terræ, quàm ex purgamento luti, cùm initiò docuerimus, terram ipſam eſſe Lutum? Iam tuum, homo ſuperbißime, parentem agnoſce: non aſpernare, cuius ex genere progenatus es: reuerere, quod tibi viuendi cauſa fuit. Si teipſum aliquid exiſtimas, ſi rerum generationem honeſtam eſſe tibi perſuades, ſi quid in orbe terrarum vtile atque honeſtum eſſe credis, cur non id vtiliſſimum & hone-

Geneſ. 2.

hoaestißimum esse, à quo nata sint omnia, confiteris? Nati sunt homines è luto, natæ pecudes, natæ arbores, nata frumenta, natum denique quicquid in terris inuenitur. Et quisquam dubitabit, id esse prectosißimum dicere, à quo sunt omnia quæ preciosa sunt! De luto sumus, in luto viuimus, à luto pascimur, in lutum conuertemur. Itaque nihil à scarabeis in hac parte differimus, & tamen excellentiam Luti non agnoscimus. imò tanquam rem immundißimam repudiamus. Cur? quia falsa trahimur opinione, neque recta animi ratione res definimus. At cæteras res amplectimur: aurum, vestes, frumenta, pecunias, & id genus cætera, magna cum diligentia conseruamus: qua de causa? quia præsentem videmus vtilitatem: sed vnde sint hæc omnia, quæ tantopere diligimus, nemo considerat. Quid illud est, quod in arca centum clauibus clausum, tam accuratè seruas? Lutum. Quid est, quod in horreis tuis studioßimè congregas? Lutum. Quid in apothecis & dolijs tam cupidè custodis? Lutum. In summa, quicquid amas, quicquid amplecteris, quicquid obseruas, quo factus es, quo vestiris, quo pasceris, Lutum est. I nunc, & illud improba, quo carere nullo modo possis, nisi planè velis ex hac vitæ demigrare. Nam in te quidem nihil est Luto præstantius, præter animum generi humano Deorum munere datum: qui si bonus fuerit, atq; omni virtutum genere cumulatus, non dubium, quin diuinus sit, & felix ac beatus, sin autem malus & sceleribus imbutus, non solùm Luto est inferior, sed etiam rerum infimarum omnium vilißimus & abiectißimus. Reliqua

omnia

omnia mutantur, & vicissitudine quadam oriuntur & intereunt, eamque mutationem & vicissitudinem omnem lutum efficit, quod & Philosophorum auctoritate, & Physica ratione, & diuina etiam Scriptura testimonio facilè comprobatur. Quare iam profectò videtis, Quirites, quem mihi aditum ad Luti laudes patefecerim, quàm patentem campum habeam, in quo plurimùm exultare possit oratio: sed mihi singulatim omnia complecti, nec animus est, nec, si esset, ego par essem oneri sustinendo. Nam si quis perfectè Lutum exornare voluerit, eum per singula, quæ in orbe terrarum laudabilia reperiuntur, ire necesse est: quam rem, quis, nisi planè sit insanus, præstare sepositis commodè speret? Itaque licet ea, quæ Luto constant, maxima laude digna esse videantur: tamen nequàm longa sumatur oratio, prætermittere omnia constitui. Sed mehercle certò scio, vos intelligere, Quirites, quantum ex Luti laudibus abscideriim. Possem enim argentum & aurum celebrare, possem vniones gemmas, quicquid vbique putatur esse pretiosum, possem ipsos homines, omne genus animantum, possem herbas, segetes, arbores, omnia denique possem encomio Luti nominare: cùm omnia, quemadmodum antea diximus, ex eo promanarint: sed me reprimam, malo enim vt veram aliquam Luti laudem me desideretis, quàm falsam, affictam esse existimetis. Quare Lutum ipsum per se solùm consideremus, cuius tam eximia virtus est, vt Deum etiam immortalem ad sese plurimùm amandum alliciat. Sed ne fortasse vestrum aliquis hoc esse maledictum aut contu-

ciam

tium in Deum arbitretur, quòd ab eo lutum vehementer amari dixerim; eius opinioni mihi satisfaciendũ esse iudico; cùm vt omnes vos ab hoc errore liberem, tùm vt etiam hac occasione Luti virtutes, quæiam in obliuionem planè concesserant, tandem aliquando magis atque magis eminere atq; apparere incipiant. Verùm ad ea, quæ dicturus sum, reficite quæsito animos vestros, Quirites; noua quædam, & ante hunc diem inaudita proferre in lucem molior; sed mihi vestro erecto atque attento animo opus est: si quid enim attentionis fortè remiseritis, nullo modo fieri poterit, vt hæc, quæiam aggredior dicere, mysteria intelligatis. Nam prô Deûm atque hominum fidem! non in mentem vobis venit, quanta res, & quanti ponderis agatur? Agitur de summa Luti existimatione; id autem eiusmodi est, vt nihil omnino dici grauius, aut excogitari possit. Cùm enim omnes ferè mortales immeritissimo Lutum odio prosequantur; quamuis paucissimi sint, qui, quo sit in illud animo Deus, intelligant; quid futurum putatis, si semel in animis hominũ hæc opinio prorsus insederit, Lutum à Deo non diligi? Quis enim illud eximium esse credat, quod Deus amare non videatur? Quis non potiùs id vile & abiectum putet, quod à Deo reprobetur? Quòd si certissimis argumentis, Lutum & à Deo diligi, & cæteris omnibus rebus, quæ in terris creatæ sunt, anteponi docuero; quid erit causæ, cur non etiam nos id omnium rerum excellentissimum iudicemus? Iam igitur vos illud mirificum vestræ mentis acumen intendite, ego rem ipsam aggredior. Principiò cùm à Luto discessum est,

nihil in terris homine præstantius inueniri, nemo
qui dubitet. Quin etiam illud omnes boni confitentur
hominem ex omnibus animantibus à Deo plurimùm
amari. Quod etiam ipsa nos ratio credere penè cogit.
Videmus enim quæcunque in terris gignuntur, ad v-
sum hominum omnia creari, videmus etiam ac sen-
timus, Dei prouidentiam in hominibus adiuuandis &
custodiendis semper excubare. Non ignoramus, à De
proprium Filium, vt ab erroribus homines & ab æter-
nis supplicijs liberaret, è cœlo demissum, & vinclis a
verberibus, atque omni supplicio excruciatum, ac ne-
catum fuisse. Sed innumerabilia Dei sunt erga homi-
nes summi amoris indicia: cùm præsertim etiam al
imaginem & similitudinem suam, vt Sacræ literæ a-
stantur, eos creare voluerit, & rationis atque consi-
lij participes effecerit. Videamus igitur, ex qua ma-
teria Deus hoc animal, sui simile, ratione præditum,
prouidum, sagax, acutum, multiplex, memor, ple-
num consilij, quod maria, terras, cœlum mente at-
que cogitatione complectitur; quod vnum ex tot ani-
mantium generibus, sibi ratione ac sapientia socium
assumsit; videamus (inquam) ex qua Deus hoc ani-
mal materia finxerit. Credibile est, præstantissi-
mum omnium animal ex ea materia, quæ Deo maxi-
mè grata esset, conformatum fuisse. Quid igitur aiunt
Sacræ literæ? vnde formatum hominem ab initio
commemorant? non ex argento, quod ab omnibus
precioſum æstimatur, non ex auro, quod plurimi ho-
mines maiore, quàm Deum ipsum, amore prosequun-
tur; non ex smaragdis, vnionibus, chrysolithis,

aut

aut alijs id genus lapillis, qui precioſiſſimi creduntur: ſed ex limo terræ, hoc eſt, è Luti flore. Quid amplius poſtulatis? Obſecro vos, Quirites, hoc Dei factum vobiſcum diligentiùs perpendite: tum facilius ſtatuetis, quanta luti ſit excellentia. Deus optimus maximus, qui pro ſumma ſua ſapientia, rerum omnium naturas, etiam antequam eas crearet, optimè nouerat, qui facilimè, quid cuique præſtet, & exquiſitiſſimè diſcernit; cùm ſimile ſibi, & ratione ac lege ſocium vellet animal procreare, lutum ex omnibus rebus potiſſimùm elegit, ex quo formaret eum animantem, quem cæteris omnibus præficere ſtatuerat. Cuius rei quid aliud in cauſa fuiſſe dicemus, præter mirificam quandam Luti præſtantiam, quæ Deum etiam ipſum ad ſeſe amandum allexerit? Veniant nunc irriſores huius orationis, & illud ſanctiſſimi vatis atque Regis Dauidis interpretentur: De ſtercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Quid eſt quæſo, quòd de ſtercore pauperem erigit? quid eſt, quòd eum cũ principibus ſuis collocat? niſi quòd luto ſummopere delectatur, & eos plurimùm diligit, quos omni ſtudio curaque lutum obſeruare videt? Quid hoc loco mihi reſpondebitis, ô luti Vituperatores? Huc quæſo mecum in arenam deſcendite: conferte pedem, vibrate tela, promite veſtram illam maledicam orationem. Quid præliantes, vt aiunt, à muro iudicatis? cur infixo iaculo, Parthorum more fugitis? cur in portu ſpernitis tempeſtatem? Facilè eſt accuſare, nullo defendẽte; facilè vituperare nullo contradicente. Huc adeſte, ſi quid eſt in pectore Pſal. 112.

roboris, & in me, Luto patrocinante, criminationes vestras exponite. Efficiam profectò, vt intelligatis longè aliud esse, contra veritatem ipsa, præsente, disserere, quàm adventos verba facere, & innocentem nulla causa, nulla ratione maledicere. Cur enim obsecro Lutum improbatis? quo crimine damnatis? cui culpæ Lutum affine iudicatis? Tacent, & ora pallor diros occupat. Proh Dij immortales, tantâne quemquam mentis caligine circunfundi! tantis erroribus excæcari! vt quod in primis Deus diligit, id audeat improbare: quod præstantißimum esse Deus censet, id existimet esse vilißimum. Malum est, boni viri iudicio non acquiescere, peius est, amici verum condemnare iudicium, peßimum verò, parentis sui sententiam optimam non admittere. Quid dicam, quantum tandem scelus existimandum sit, immortalis Dei iudicium vituperare? Sed iam querelarum satis. Id quod instituimus persequamur. Non enim in hac re solum amorem suum erga Lutum Deus indicauit, sed in alijs etiam quàm plurimis, quas hoc tempore singulas enumerare non necesse est. Vnum etiam aut alterum erga Lutum diuinæ beneuolentiæ signum commemorabo, deinde ad alia vertam orationem meam. Iam plurima Dei filius (vt in sacris Historijs legimus) admiranda suæ diuinitatis indicia dederat, & quotidie magis erga homines incredibilem amorem ostendebat, dum alios Dæmonibus oppressos liberaret, alios iam vita functos à mortuis excitaret, surdis auditum, mutis locutionem, ægrotis integram valetudinem redderet, sed illud etiam restare videbatur, vt in homi-

num

num parentem Lutùm, aliquod beneuolentiæ suæ signum ostenderet. Ecce autem cùm per quandam regionem iter faceret, hominem ab ipso natali die cæcum reperit, quem cum vidisset, venisse tempus existimans, vt eundem se esse ostenderet, qui mundi initio genus humanum ex luto formauerat, & vt Luti præstantiam omnibus notam faceret: quid fecit? expuit in terram, & propriis manibus lutum composuit, atque eo luto cæci illius oculos perunxit, quo facto, confestim ille nunquam antea gustatum videndi sensum accepit. Quis igitur non intelligit, omnium hominum conseruatorem Christum hoc suo facto declarasse, Luto nihil prorsus esse nobilius, ex quo visum, sensuum omnium excellentissimum, reformauit? Multa alia priùs & egregia facinora gesserat, innumerabiles & varios morbos depulerat, nullo vnquam pharmaco, nullis herbis, nulla arte medica vsus est, sermone tantùm aut tactu morborum genus omne profligebat. Itaque nemini dubium esse potest, quin hunc etiam cæcum, si voluisset, vno verbo sanare potuisset. Cur igitur luto potissimùm eius oculos vnxit & sanauit? Non alia quidem (vt opinor) de causa, nisi vt Luti præstantiam atque nobilitatem indicaret, & parentis sui mortales admoneret. Quantò enim quis Luto parenti suo similior efficitur, tantò maior atque beatior esse solet. Sed hoc obsecro mysterium, Quirites, diligenter aduertite. Qua enim in re vera est ac summa felicitas? nempe opinor in eo, si quis plurimùm à Deo diligatur: quis autem vehementiùs amatur à Deo, quàm qui Luti naturā, quoad eius fieri potest, imi- Ioan 9.

tatur, & qui præclarè intelligit, quantæcunque eis-
unt acceßiones & fortunæ & dignitatis, ex Luto se ad
eas aßcendiße, & non ita multò pòst ab eis ad Lutum
se rediturum? Hoc est quod vbique Deus præcipit,
Matth. 18. vt qui voluerit omnium effici maximus & felicis-
mus, is primò minimus & abiectißimus fiat. Quid ali-
ud sacris in literis magis quàm ßummißio commenda-
tur? Voluite diuinos libros, nullam in eis penè dixe-
rim paginam inuenietis, in qua non humilitas & ab-
iectio maiorem in modum comprobetur. Atque illi de-
mum soli felices ac beati futuri prædicantur, quiße
Lutum esse cognouerint. Sed quam huius rei causam
aliam afferre quisquam potest, præter ßingularem
quandam Dei erga Lutum beneuolentiam? Age verò,
quis vnquam ex omnium seculorum memoria Deo
Iobi 1. & 2. gratior fuit, quàm Hebræus Iobus? atqui hunc diuinus
in historijs legimus, non tantùm in luto, sed etiam in
ßerquilinio sedere solitum. Quid? quòd ipse Dei filius
Psal. 22. à vate sanctißimo ita loquens inducitur: Ego ver-
mis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio
plebis. Quid enim aliud est, plebis abiectio, quàm
lutum? Clamat igitur Dei filius, cùm hoc nostrum
terrenum atque mortale corpus aßumpßißet, se lutum
esse factum: quin etiam ßubmißionis gratia, se filium
hominis, hoc est luti nepotem frequenter appella-
bat. Sed iam satis, vt opinor, à nobis declaratum
est, nihil in toto mundi complexu Luto esse præstantius,
nihil excellentius: cuius tanta auctoritas est, vt sine
eo nihil quicquam in terris fiat, quod omnia generet,
alat, augeat, ex quo precioßißimæ quæque res origi-

nem

nem trahant, vnde nos etiam ipsi formati simus; quod denique maiorem in modum à Deo diligatur. Restat, vt etiam de eiusdem vtilitate verba faciamus. Quæ quamuis ex ijs, quæ dicta sunt, maxima cognosci possit: tamen, vt clarius etiam eluceat, & de illa dubitare nemo possit, ad ea, quæ supersunt, aggrediar. Vos verò paulisper etiam, dum huic orationi meæ coronidem imponam, non tantùm aures, sed etiam mentes atque animos vestros accommodate. Non enim mehercle ita nunc agam, quasi vni alicui aut alteri rei tantùm vtilitatem afferre Lutum dicam; quod in cæteris rebus exornandis præcipuum esse iudicatur. Nihil in hac oratione vulgare, nihil demissum expectetis: omnia summa, omnia præstantissima. Nihil in omni rerum natura dico esse, nihil toto cœlo contineri, neque paruum, neq; magnum, modò sit animatum, cui rei Lutum non vtilissimum esse videatur. Cùm enim in rebus, quæ ex intima atque naturali motione vitam habent, animarum tria genera dicantur inueniri; quarum vna, vitam tantùm nutrientem, sine sensu, corpori subministrat; & herbas, frutices, arbores educit, alit, atque auget: altera non solùm vitam, sed etiam sentiendi atque ingrediendi vim cunctis animantibus suppeditat: tertia omnium perfectissima atque optima, solis hominibus intelligendi, cogitandi, reminiscendi virtutem affert: his omnibus viuentium generibus plurimam vtilitatem afferre Lutum ad vitæ commoditatem ostendemus. Sed ne fortassis aliqua cadat in nomen ambiguitas, quoniam multis cognominibus Lutum est decora-

tum, ea mihi declaranda esse censeo, quò facilius omnes eius vtilitates perspici possint. Atque illud primò sciendum, omnem à nobis putrefactionem atque corruptionem Lutum appellari, siue ea sit in animante detractio confecti consumptiqúe cibi, siue sit humoris & terræ permistio, siue quocunque alio modo res aliqua putrida facta sit: hanc etiam cõmuni vocabulo limum atque limum nuncupare consueuimus: ab agricolis verò lætamen dicitur, ob id credo, quoniam, vt paulò pòst ostendemus, lætari agros faciat. Quod autem in corpore gignitur animalium, id communiter stercus vocatur, vnde stercorari dicuntur agri, cùm eo Luti genere vestiuntur. Sed generatim Lutum omne, cœnum etiam dicitur, quæ sanè Græca est appellatio, quam si Latinè velis interpretari, commune significat, nihil enim Luto communius, quod, vt dicere instituera m, rebus omnibus animatis maximam afferre solet vtilitatem. Primùm enim, Quirites, quis vestrum est, quin intelligat, Luto segetes atque omnia sata maiorem in modum exhilarari? Nam tellus ipsa rerum omnium parens, nisi Luti filij sui præsidio sustentetur, vires integras ijs rebus, quæ nascuntur ex ea subministrare nullo modo potest: vnde factum est hominum solertia, vt agri, quo fœcundiores essent, Luto vestirentur, quæ res ab agricolis stercoratio nuncupatur. Cuius tantam vtilitatem esse sentiunt omnes, vt quamuis primum auctorem ignorent, tamen cum propter hanc solam inuentionem in Deorum numero collocandum esse censeant. Scribit enim Macrobius, à Romanis Saturnum fuisse Stercutium

vocit-

vocitatum, & eo nomine pro Deo cultum, quòd primus stercore fœcunditatem agris comparauit. Sed Augustinus in libris de Ciuitate Dei, Pici patrem Stercon fuisse scribit, à quo peritissimo agricola sit inuentum, vt fimo animalium agri fœcundi fierent, atq; ab eius nomine stercus dictum. At verò (Plinius inquit) Italia regi suo Stercutio, Fauni filio, ob inuentum stercorationis, immortalitatem dedit. Sunt qui dicant, Augiam regem in Græcia stercorationem primùm excogitauisse, quam Hercules in Italia deinde diuulgarit, vnde nata fabula sit, Augiæ stabulum ab Hercule fuisse repurgatum. Illud certè constat, stercorationis auctorem ab antiquis indigitatum, & Stercutium nuncupatum fuisse, & meritò: quid enim in tota agricultura stercoratione vtilius? de qua doctus Hesiodus, vt apud Ciceronem ait Cato, ne verbum quidem fecit, cùm de cultura agri scriberet, vnde vehementer à doctis atque intelligentibus viris improbatur. Nam Homerus, qui multis, vt mihi videtur, antè seculis fuit, Laertem lenientem desiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum stercorantem facit. Hac de causa vir ille sapientissimus Cato, cùm de re rustica scriberet, præceptum optimum his quidem verbis reliquit: Sterquilinium magnum stude vt habeas, stercus sedulò conserua. Videtisne quanta cura stercoris grauissimo viro Catoni fuerit? Quis enim nescit, quantò lætiores veniant in agris stercoratis segetes, & quantò messem afferant vberiorem? Hoc nimirum illud est, quòd agricolæ cùm agnouissent, Luto cognomen indiderunt, &, quòd lætissimus

Nat. hist. lib. 7. c. 9.

Cic. de Senect.

Cic. ibi. & Hom. Odyss. 24.

mas fruges faciat, lætamen vocitarunt. Itaque magnam eius rationem habere solent, & magno studio atque diligentia colligunt, quò suos quisque agros, quàm fieri potest optimè, vestiant. Quin etiam lutum vndique venantur, & invasis (quod ego hisce oculis vidi) accuratissimè collectum, domum portare non dubitant: eumque maximè strenuũ atque industrium existimant, qui plurimùm ex eo diligentissimè collegerit. Neque satis habent illud colligere, quod sponte natum inuenerint: sed artem etiam, & diligentem curam adhibent, vt quàm plurimùm fieri potest, augeatur. Quare non sine causa præter cæteros omnes mortales, agricolæ sanctitatis & iustitiæ laudem adepti sunt: vt etiam in operibus suis ingeniosissimi vates Poêtæ finxerint, apud agricolas longissimo tempore Deos habitasse, cùm propter hominum scelera de ciuitatibus expulsi fuissent. Quæ quidem fictio nihil aliud mihi significare videtur, quàm longè sapientiores agricolas esse, quàm ciues, nam quotidie ferè lutum ex ciuitatibus in agros exportatur. Quòd si verum est id, quod prouerbio dicitur, Deum esse illum, qui mortales adiuuat: nemini dubium esse potest, quin Lutum maximum numen sit, quod pulsum è ciuitatibus apud agricolas habitet. Quid autem vtilitatis frugibus Lutum afferat, id in agris ipsis verno tempore, cùm propè, vt spicas incipiant emittere, videre licet. Ibi tum bene stercoratos agros aspicias hilares luxuriare, segetes in eis magnitudine præcellentes, viriditate conspicuas, culmo crassiore, calamo longiore, spica prominentiore, quæ iam eo tempore non dubiam

spem

spem vberrimi fructus afferat. Confer huic alium à Luto non adiutum campum, vides primò quasi tristitiam soli, culmorum raritatem ac tenuitatem, segetes humiles, quodam pallore suffusas, ante tempus arescentes, spicis minimis, aut nullis. Illic vides eximiam vbique laticiam, hîc autem squalidam tristitiam: illic messis abundantissimæ spem maximam, hîc omnis annonæ desperationem. Ecquid intelligitis, Quirites, in quorum vsum atque vtilitatem cedat hæc frugum abundantia? ecquid agnoscitis, quanta sit in hac parte luti potentia? Non adeò vos tardo aut hebeti puto esse ingenio, quin hæc facilimè cognoscatis. Desinite Luto vestros agros obducere, tùm demum facilius statuetis, quid Luti præsentia conducat, & quid absentia detrimenti ferat. Iam verò non frumentis tantùm, sed etiam arboribus Lutum maximè prodest. Quis est enim qui nesciat, vites, vt reliqua genera prætermittam, quantò magis stercorantur, tantò copiosiorem afferre vindemiam? Nam Luti succus ille pinguis & vuidus, quem hebetes & imperiti homines vilissimum & sordidissimum esse iudicant, in suauissimum vini saporem conuertitur. Quod ne fortasse meum esse commentum putetis, summus Philosophus & rerum naturalium diligentissimus indagator Empodecles hoc affirmat, vt Aristoteles in Topicis auctor est, cuius hæc verba notauimus: οἶνος ὕδωρ ἐστὶ σεσηπὸς, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς φησι σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ. Vinum igitur nihil aliud Empedocles aiebat esse, quàm aquæ putrefactionem in vitibus. Quid autem aliud est aquæ putrefactio, quàm Luti succus? Ergo quod Topic. 4. cap. 5.

tantæ

tanta cum iucunditate bibimus, quod tantam nobis lætitiam affert, tantam voluptatem, quod tam suaue
Li. 1. ep. 15. est, tam dulce, tam iucundum. Quod (vt ait Horatius) curas abigit, quod cum spe diuite manat, luti succus est. Quid autem attinet hoc loco vini laudes commemorare, cùm paucissimi reperiantur homines, qui non illud maiorem in modum appetant, & auidissimè bibant? Quid enim esset inter homines læticiæ, quid hilaritatis, quid voluptatis, quid ingenij, nisi vinum esset? Nam vini magnus amator Horatius eleganter ita
Li. 1. ep. 6. & 19. clamat:

Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Vini ferè dulces oluerunt manè Camœnæ.
Laudibus arguitur vini, vinosus Homerus.

Denique vir sapientissimus Cato vino tantopere delectabatur, vt ebrius sæpenumero fieret. Sed neminem prorsus esse arbitror, quin intelligat, rem vtilissimam & optimam esse vinum: quare si quis hunc Deum Liberum amat, quem quis non vehementer amat? is etiam lutum, eius parentem, vt plurimùm amet necesse est. Iam verò quantum hortis, oleribus, viretis Lutum vtile sit, ne commemorandum quidem esse censeo, cùm ignotum nemini sit, eum demum hortum feracem fieri solere, ea olera tenera & ampla perpetuò videri, maximam in eis viretis amœnitatem semper esse, quæ luto fuerint optimè saturata. Quis nescit, olitores adeò luti studiosos esse, vt ciuitates etiam cum gerris & sportulis peragrantes, illud accuratissimè colligant, atque etiam precio frequentissimè comparent? Quis non magnopere lætetur atq; exhilaretur, cùm pinguis

horti

horti vultum aſpexerit, quem luto diligens olitor ſaturarit? quid illo virore ſpecioſius? quid illa amœnitate iucundius? Hîc ingentes braſſicæ ſolido caule brachia latè fundunt, illic virentes amplo capite porri ſubalbeſcunt: hîc longè diffuſæ betæ luxuriant, illic ciborum requies lactuca criſpatur: hîc grauis cucurbita ventrem in longum porrigit, illuc aſperagi ſub luto tenerrimi caput ampliſſimum exerunt. Sed næ ego ſtultus, qui ſingula proſequi velim, cum omnem hunc ſermonem poſſim vno verbo concludere. Quicquid enim in hortis naſcitur, id luto mirificè delectatur, alitur, augetur. Sequitur, vt animantibus etiam cuiuſque generis vtiliſſimum eſſe Lutum oſtendam. Atque illa ratio potiſſimùm animum meum inducit, vt coniunctim de hominibus atque belluis agendum eſſe arbitrer, quòd neutrum genus video ſine luto poſſe diem vnum viuere. Hîc mihi, Poëtarum more, linguas centum oraqúe centum, & ferream vocem in mentem venit exoptare: tantam enim rem & tam egregiam nullus verborum ſplendor, nulla ſententiarum grauitas, nulla vis eloquentiæ, nulla denique animi contentio dignè poſſet explicare. Mihi quidem certè voluntas non deeſt: vt cætera in dicendo dignare, digna voluntate ſuppetant, elaborandum eſt. Etenim hæc, quam dicturus ſum, luti vtilitas eiuſmodi eſt, vt quamuis veriſſima ſit, tamen propè incredibilis eſſe videatur. Quis enim ita facilè credat, vniuerſos homines, omnes tam agreſtes quàm domeſticas belluas, luto vitam acceptam ferre oportere? Quid igitur faciam? cùm iam dudum de luti eximia virtute dicam, cùm iam propè vim om-

omnem verborum effuderim, cum iam quicquid
me facultatis erat, in dicendo consumserim, neque
lud omnino prouiderim, vt aliquid ad hunc locum
hi reseruarem. Quibus igitur verbis rem tantam
grediar? Opinor vnus modus atque vna ratio
Hanc luti tam magnam vtilitatem in medio ponam
Quæ per se tam clara est atque perspicua, vt nullius
hominis ad eam amplificandam oratio requiratur,
ipsi pro vestra prudentia, quanta sit, videre facilius
poteritis. Nisi fortè hoc non intelligitis, Quirites
quod, vt omnibus cognitum est, sic à paucissimis con
derari solet, vos, nisi ventris onus deponatis, & com
datis, nullo modo posse viuere. Sed cur tandem ris
non continetis? Non equidem dixi, ventris onus
comesse oportere, sed ὕστερον πρότερον Homerici
cutus sum. Omnem enim animantem ventrem pri
explere necesse est, deinde etiam exinanire. Sed
solertiam meam rideatis, qui hoc excogitarim, vi
te quàm pauci hoc aduertant, neque expleri ve
trem, neque eximaniri sine luto posse. At dicet fort
se quispiam! Ego verò sine luto viuere possum, neq
vnquam luto ventri vacuo satisfeci? Quid? illud,
vesceris, vnde natum sit, non intelligis? tam ne
prioris orationis oblitus es? An non meministi fru
omnes, vinum, cæteraque omnia, quibus vtuntur ho
mines, ex luto nata fuisse demonstratum? Qui tibi
bus, quæ potio, qui victus, si lutum non sit, adesse po
test? Proh Deûm atque hominem fidem! tu sine luc
viuere diem vnum posses? quare, obsecro, aut quo
bo ventris egestatem subleuares? Panem scimus è fru
gibus

gibus confici, quæ sine luto nasci non possunt, poma omnia de luto nata docuimus. Carnes, ais, deuorarem. Iam verò te non possum stulticiæ non condemnare. Carnes comederes? quas obsecro carnes? nempe aut volucrium, aut aquatilium, aut terrestrium animalium: quod autem horum est animal, quod sine luto vitam agere possit? Mitto iam de reliquis dicere: hoc vnum premo, quod omnium maximum est, qualis hominum esset vita sine luto? Non equidem possum, quod animo concipio, verbis exprimere, sed quantò minùs eloquentia valeo, tantò diutiùs in hoc insistam, in quo summam Luti vtilitatem video non posse denegari. Veniant omnes Oratores, Sophistæ, Philosophi, Theologi, quid tandem contra hanc orationem meam afferre poterunt? An erit eorum quisquam tam impudens, qui negare audeat, homines, pecudes, volucres, pisces, omne genus animantum, luto solo vitam propagare? Quamuis erit fortasse aliquis, qui cùm semel omnes rationis metas transgressus fuerit, etiam apertè veritati contradicere, & Soli, quod aiunt, tenebras offundere non dubitabit. Cæterùm si carnes & cupedias ei detrahas, mare statim (vt dicitur) cœlo permiscebit. Sed non video, qua ratione possit huic hominum generi persuaderi, sine luto nullam esse vitam, nisi validissimis pharmacis, quæ vim habeant expurgandi, multos dies eximantur, deinde cibus eis triduo denegetur: tunc demum intelligere incipient, atque alta voce clamare, nullo modo se diutiùs sine Luto viuere posse. Quàm enim impudentis est, id inficiari, quod abscondi non possit? Nullum

est

est anni tempus, seu vigiles, seu dormias, siue ambu-
les, siue sedeas, quo non semper tecum lutum habea-
quod si fortasse casu aliquo paulò abundantiùs eger-
tur, statim infirmus ac debilis efficeris, nec pedes, n-
manus, nec vlla corporis pars satis officium suum f-
cit: quin etiam sæpissimè nimio fluxu multi mort-
intereunt, quem Græci morbum διάῤῥοιαν appellan-
solent. Et erit aliquis, qui luto spoliatum viuere se p-
se diutiùs existimet, cùm sola eius imminutione vid-
at statim homines fato concedere? Quod autem
hominibus dico, idem etiam de cæteris animantib-
intellectum volo, quorum nullum adempto lut-
esse vllo modo potest: cibus enim omnis in ipso sto-
cho, priusquam alat atque nutriat, vt in lutum co-
uertatur necesse est. Vnde perspicuum est, non to-
tùm vtile Lutum esse, sed etiam omnino necessari-
Videte, Quirites, quàm simpliciter, quàm non fu-
tè, quàm non artificiosè vobiscum agam, vt nihil s-
dolè, nihil versutè dicam, vt nulla fallaci conclusi-
nullis mendacijs vtar, vt artis illius phaleratæ pro-
obliuiscar, vt nihil denique dicam, quod non m-
paulatim suggerat ipsa veritas. Nullam enim hu-
nus de Luti necessitate mentionem feci: cùm tam-
quamuis vtilissimum sit, longè magis necessarium
se, quàm vtile videatur. Id enim à nobis vtile so-
appellari, quod ad vsum corporis aliquo modo pot-
accommodari, de quo fructus aliqui percipiuntur: n-
cessarium autem, sine quo nullo modo esse possumus:
taque cùm sine Luto nullus ex omnibus animantib-
omnino possit esse, quemadmodum apertissimè de-
moni stra-

monſtratum eſt, ſequitur vt prorſus eſſe neceſſarium ad cuiuſq; animantis ſalutem concludendum ſit. Qua in re ſtultitiam hominum admirari maximè licet, qui, quod omnium maximè neceſſarium eſt, oderunt atq; reijciunt, quod autem mare (quod aiunt) malorum ſecum adfert, id obuijs (vt dicitur) vlnis amplectuntur. Quis enim eſt, qui non lutum ſpernat, & aurum diligat? At qui lutum iam videtis præſentia ſua vitam, abſentia non dubiam mortem præſtare, quo fit, vt ad vitam conſeruandam ſit omnino neceſſarium: aurum autem, ſi quis rectè conſideret, ad nullam vitæ commoditatem conducere prorſus inueniet, quin potiùs ingentium ac propè innumerabilium malorum ſæpenumero cauſam eſſe. Hinc enim cædes, incendia, rapinæ, bella inteſtina, ciuitatum direptiones, agrorum vaſtitates, tumultus, inſidiæ, fraudes, patriæ proditiones, quicquid dici aut excogitari ſceleris poteſt: cùm interim à luto nihil mali, nihil detrimenti, ſed, vt ab optimo parente, vitam, fortunas, commoda, voluptates habeamus. Quòd ſi quid etiam aliud præter lutũ, vtile fortaſſe reperitur, quod fieri poſſe nõ inficior, id tamen quicquid eſt vtilitatis, acceptum ferri luto neceſſe eſt, quoniam ab eo, ſicuti antea docui, cuncta proueniunt. Agèverò, quale ſit in cæteris etiam rebus erga homines lutum, videamus. Non enim ſolùm nos educat, alit & oblectat, verùm etiam ita ſeſe rebus omnibus accommodat, vt nihil ſit, in quo nobis prodeſſe non poßit. Quis enim ignorat, ædificandi rationem omnem propè luto conſtare? Quis non intelligit nullam poſſe ciuitatem ſine luto, nullum oppidum, nullam domũ extrui, nulla

Deis immortalibus templa dedicari ? Quis non videt, cæmentum, bitumen, cretam, calcem, cætera, quibus omnes fieri substructiones solent, lutum esse? Iam non longiùs ab instituto digrediar in declamando, ne me putetis aliquid Rhetorum more confingere. Sed profectò videtis, Quirites, quem orationis splendorem pertermittam? Possem enim dicendo subijcere oculis quod ornamentum, quæ venustas, quæ dignitas, terrarum orbi decesse videretur, nisi essent domus, nisi oppida, nisi ciuitates: nam aut in syluis ferarum more pernagarent, aut in cauernis ac terræ foraminibus, vt Troglodytæ feruntur, habitare necesse esset. Sed quoniam ad hanc rem ia spectat oratio mea, tantùm vnũ illud addam, quod à multis etiã antiquis eruditissimis viris animaduersum est, esse mirificam quandam in luto vim ad omnes è languenti corpore morbos depellendos: plena sunt omnes Medicorum libri, plena omnia pharmacorum, quæ de luto componuntur. Quòd si quis mihi fidem minimè habendam putet, Plinium legat & Galenum, & quicunque de arte Medica scripserunt: tandem intelliget, quid ægris corporibus vtilitatis lutum afferat. Quid? quòd etiam ea luti species, quam maximè fugimus, quæ de nostro egeritur corpore, maximi est vsus in medendo. Nam Plinius certè sterc. hominis inter magna morborum remedia connumerat. Et Dioscorides tradit, hominis & canis sterc. cùm exaruerit, melle permixtum & gutturi annexum, anginis mederi, cura nunquam fallente: quod ea tam mihi belluæ quædã intelligere præclarè videntur. Nam Pantheram aiunt, cùm aconitum gustauerit, quod

Nam hist. lib. 27. c. 4.

Plin. lib. 8. cap. 27.

quod venenum est ei letiferum ac pernicioſum, hominis ſtercus diligentiſsimè quærere; quo deguſtato, facilimè ſanatur. Iam vrupam tradit Ariſtoteles ex hominis ſtercore ſibi nidum conſtruere; credo quòd in eo maximam & ſibi & pullis ſuis vtilitatem experiatur. Haſtam ſingulares & eximias Luti virtutes etiam à maioribus noſtris, quamuis ruſticanis hominibus, aliquo modo perſpectas & cognitas fuiſſe, facilè crediderim; quippe qui mutato nomine atq; genere Lutum diuinis honoribus dignati ſint. Cùm enim viderent ſummum Deorum Iouem marem eſſe, Lutum etiam ſuum eo genere inſigniri voluerunt, Stercutiumque Deum appellarunt: cumque de luto viderent omnia creari, Iouem etiam ipſum ex eo prognatũ eſſe crediderunt; itaque Stercutium & Saturnum eundem eſſe dicebant: atque hac (vt opinor) de cauſa pedes lecti, in quo Flamen Dialis cubaret, luto tenui, ſicut Gellius ſcribit, circumlitos eſſe oportebat. Neque verò expectetis à me, Quirites, vt hac extrema orationis parte, quod à Rhetoribus fieri ſolet, ea repetam amplificando, quæ de Luti laudibus à me commemorata ſunt. Quid enim ea repetam aut amplificem, quæ ne ſemel quidem ſatis pro rei dignitate potuerunt explicari? Quid? an iterum ea dicam, quæ nemo penitus inficiari poteſt? nihil eſſe Luto nobilius, quod à clariſsimis parentibus terra atque humore natum ſit, quibus Deus ipſe, rerum omnium curam atque adminiſtrationem demandauit: nihil eſſe Luto præſtantius; vnde quicquid eſt in orbe terrarum eximium generetur; vnde non tantùm belluæ, ſed etiã homines ipſi formati ſint:

De hiſt. animan, lib. 9. cap. 15.

Noct. Att. lib. 10. c. 15.

ti sint: quod ab immortali Deo mirificè diligatur. Ut iterum commemorem, vtile atque necessarium esse Lutum? quòd nullum animal eo priuatum, viuere diutiùs potest? quòd ea frumenta, segetes, arbores nutriantur & fœcundiores efficiantur? quòd ex luto fiant, quæcunq; sunt ad victum necessaria? quòd ex luto, ciuitates, oppida, domus, templa construantur? An iterum tot tantasq; luti vtilitates, quas nemo cogitatione, nedum oratione complecti potest, exponere contendam? Non faciam, Quirites; non diutiùs incredibiles atque diuinas Luti laudes ingenij mei culpa diminuam. Quòbrem hanc vltimam orationis partem integram cogitationi vestræ totam relinquam. Vos quicquid excellens esse existimatis, quicquid in rerũ natura pretiosum, quicquid amplum, quicquid magnificum, ante oculos ponite. Ponite ante oculos hanc admirabilem naturæ varietatem, tot & tam egregios terrarum fœtus, tot animantium genera, tot res & tam varias ad vsum hominũ procreatas, ipsos denique homines: & cùm diligentissimè rerũ omnium præstantiã atque vtilitatem consideraueritis; tunc ad Lutum mentiũ vestrarum aciem reuoluite, & cogitate, nisi Lutum esset, nihil earum rerum tã excellentium potuisse generari. tũ facilius apud vos ipsos statuetis, quantis laudũ præconijs dignissimũ esse putandã sit, & quanto opere fallantur homines in opinionibus suis: tunc omnino decernetis, non esse temerè cuiquã assentiendum, cùm in hac re luce clariùs videatis, vniuersos ferè mortales maximopere decipi.

PRO

PRO SE IN SENATV MEDIOLANENSI; cùm de mutatione nominis à Fabio Lupo, & à Macrino Nigro fuisset accusatus.

ORATIO X.

QVM ita vitæ meæ rationes ab ineunte ætate suscepissem, Patres Conscripti, vt & parentum meorũ optimorum hominum consilijs, & præceptorum, quos mihi plures, & eos perquàm eruditos habere contigit, institutionibus, & naturæ etiam ipsius instinctu, quam semper tanquam optimam ducem mihi sequendam esse censui, quæcunque facerem, omnia fugiendæ turpitudinis, & honestatis adipiscendæ causa mihi facienda esse statuerem, vt non ocio, sed labori, non libidini, sed industriæ, non inertiæ, sed ingenuis artibus me natum existimarem: sperabam fore, vt non solùm ab aduersariorum meorum accusationibus, quos ego semper, propter eam, quæ cum eis mihi est, collegij societatem, & colui, & obseruaui: sed etiam à maleuolorum hominum voculis, &

ab omni denique reprehensione totius vitæ meæ cu-
sus tutus esset perpetuò futurus. Quid enim aut ac-
cusatorum calumnias, aut obtrectatorum maledictio-
nes ille pertimescat, qui rectæ voluntatis conscientia
munitus, primò neminem vnquam sponte læserit; de-
inde pro virili parte quàm plurimis semper prodesse
studuerit? Sed profectò nihil est tam integrum, quod
non frangere: nihil tam sanctum, quod non violare,
nihil denique tam munitum, quod non expugnare vel
nocendi cupiditas, vel inuidia conetur. Si quis enim
diligentissimè quærat, P. C. nihil aliud in causa fu-
isse reperiet, cur aduersarij mei tam in me acriter ex-
arserint, tam infensi infestiqúe sint, vt omni contu-
melia me inuadant, de me famaqúe mea detrahant:
me accusandum vobis esse censeant: nisi quia tam bre-
ui tempore præter spem atque expectationem suam
hac in literarum professione, qua sibi maximè place-
bant, in qua primas obtinebant, & se perpetuò re-
naturos opinabantur, se dignitate vident à me bene-
cio vestro superatos. Hoc est, quod eos assiduè tor-
quet, quo dies noctesqúe cruciantur, quo penitus dis-
rumpuntur. Nam vsque eò lædendi cupiditate ca-
contra famam dignitatemqúe meam feruntur, vt
dum me nimis cupidè atque importunè insectantur
vobis etiam, P. C. petulanter & improbè maledi-
cant: neque satis aduertant, aut cogitent, me sine
pe vestra, sine auxilio, sine auctoritate nequaquam a
hunc dignitatis gradum ascendere potuisse. Quo fit, vt
dum mihi procacitate linguæ nocere studeant, dum in
me virus acerbitatis suæ vomunt, eodem tempore ve-
strum

strum etiam de me iudicium perspicuè condemnent. Quicquid enim est in me dignitatis, quicquid gloriæ, quicquid honoris, id à vobis, P. C. me totum accepisse non solùm grato animo cognosco, sed etiam libentissime prædico. Vos me nouum hominem ex vmbra, quod aiunt, in solem eduxistis. Vos hanc mihi amplissimā atque honestissimā vtriusque Linguæ publicè docendæ prouinciam vestra sponte demandastis. Vos mihi liberos vestros atque vniuersam Mediolanensem iuuentutem erudiendam commisistis. Vos ijdem postea, cùm propter bellorum tumultus, intermissis literarum studijs, ab hac vrbe discessissem, amplificato stipendio me reuocandum anno superiore censuistis. Neque hoc imprudentissimi homines aduersarij mei considerant, vos sapientissimos & Reip. amantissimos viros nequaquam ad hoc munus me reuocaturos fuisse, nisi probum virum, & tali dignum officio iudicauissetis. Sed cùm nullum in me scelus, nullum flagitium, nullam petulantiam, nullum eiusmodi crimen, quo meum nomen probabili de causa deferrent, ne fingendo quidem excogitare potuissent, propterea quòd ego semper ab ineunte ætate, quoad facultas mea tulit, innocentiam atque integritatem vitæ complexus sum: videte, quò tandem incredibili nocendi studio progressi fuerint. Hanc vnam leuem & prorsus inanem accusationem, quemadmodum vos eam pro summa vestra prudentia iudicaturos spero, quòd ipse mihi nomen immutarim, suscipere non dubitarunt, vt: si quo modo fieri posset, vestram à me beneuolentiam, quam in me singularē semper ostendistis, vestros q3 ani-

mos à dignitate mea, cui semper hactenus magnopere fauistis, abalienarent. In eam enim spem atque opinionem venerant, fore, vt ista sua tam popularis actione statim opprimerer: & penè priùs à vobis condemnarer, quàm ab eis vllus fierem. Nam me propter eorum hostilem impetum adeò timore perterritum existimabant, vt apud vos, quorum animos assiduis in me criminationibus accendere atque inflammare conati fuerant, pro me ipso dicere nihil prorsus auderẽ. Sed illud eos omnino fugit, P. C. *magnam vim esse conscientiæ, quod ait Orator, in vtramque partẽ, vt neque timeant, qui nihil cõmiserint, & pœnã semper ante oculos versari putẽt, qui peccarint.* Cic. pro T. Annio Milone. *Hæc igitur vna res innocentiæ meæ fidem cuiq; vestrum facere debet, quòd nulla sceleris conscientia territus simul atque mihi dies dicta est, nihil recusaui, quò minùs vadimonium obirem, & vestro me iudicio, nulla interposita mora, cõmitterem: quamuis multa essent quæ contra me facerent hoc tempore, non ignorarem. Primùm aduersariorum meorum summa gratia, quæ plurimùm eos in hac ciuitate posse non mirum est, cùm multos nobiles ciues simulatione probitatis deuinctos consuetudine sua teneant, apud quos se de in docendo faciant, & eruditionem atque doctrinam suam maiorem in modũ extollant & amplificent: quæ certè scientiæ opinione, multorũ gratiam & fauorem aucupantur. Deinde incredibilis eorundem audacia, profluentiaque loquendi, qua mortalibus omnibus antecellunt: vt nihil tam incredibile esse videatur, quod in quemuis hominem impudentissimè fingendo dicant*

non audeant. Mihi verò, quod vos, P. C. non ignorare certò scio, mirificus quidam à natura pudor insitus est, vt cùm in alienis etiam causis initio dicendi cõmoueri soleam, tum hoc tempore, quo mihi pro me dicendũ est, etsi recta conscientia fretus, audenti animo in hunc locũ venerim: tamen facere non possum, quin aliquo timore concutiar. Sæpe enim mihi venit in mentem subuereri, ne si fortè de me, meaque vitæ rationibus aliqua dicere conatus fuero, in arrogantiæ suspicionem incidam, quam in hoc orationis meæ principio, P. C. maximè velim à vobis deprecari: vt quæ mihi de me necessariò dicenda sunt in hac causa, non ea me mea sponte, qui ab omni penitus ostentatione semper alienus fui, sed ab aduersarijs coactum, ne turpi iudicio victus abeam, commemorare existimetis. Nam si pudoris atque naturæ meæ rationem habere voluero, nihil vt de me liberè, nihil magnificè dicere audeam, nullam afferre causam potero, cur me vos dignum existimaueritis, quem ad hoc tã amplum tamque honestum publicè docendi munus eligeretis. Huc accedit opinio quædam, quæ iam penitus insedit atque inueterauit in omniũ ferè mentibus: Non nisi alicuius fraudis atque malitiæ causa solere nomen immutari. Qua in re maximè sese extulit atque exultauit aduersariorum oratio: vsq; eò, vt hoc vno nomine se putent effeciſſe, vt me quam cupidissimè vos, P. C, damnaturi sitis. Sed, vt spero & opto, nunquam improbitate sua, nunquam conuicijs & calumnijs suis efficient, vt vos ista prudentia atque sapientia, tam leui criminatione ducti, ciuem eum,

in quem tot ac tanta iampridem beneficia contuliſti, quem veſtra ſponte tantis honoribus condecoraſtis, innocentem aduerſariorum crudelitati iugulandum tradatis. Quæ eſt enim iſta accuſatio, qua ſe ſperant apud vos non tantùm omni me dignitate ſpoliare, ſed etiam, ſi fieri poteſt, infra mortuos amandare? quàm leuis? quàm nugatoria? quàm indigna veſtris auribus veſtroque conſpectu? Quid eſt, quod in me reprehendatis, boni accuſatores? An me fortaſſe nefarium aliquod, aut impium, aut ſceleſtum perpetraſſe conſtitis? Nihil minùs. Quid ergo? Tibi, aiunt, nomen immutaſti. Cùm enim priùs ab omnibus Antonius Maria dicereris, nunc te Marcum Antonium vocari iubes. En crimen En accuſatio. Digna vera cauſa, propter quam tantas iſti Tragœdias excitent, me inſectentur, exagitent, ex hominum numero eliciendum atque exterminandum eſſe clamitent. Nihil enim aliud in me tam longo ſermone ſuo, tot odioſis nugis aduerſarij reprehenderunt, niſi quòd vnam in nomine meo ſyllabam immutarim, atque ex Maria Marcum fecerim. Equidem eum eſſe me gaudeo, P. C. in quem, cùm maximè cuperent aduerſarij, ne veriſimile quidem vllum crimen fingere potuerunt. Tota enim eorum accuſatio, quemadmodum audiuiſtis, in nominis mutati reprehenſione verſata eſt: nihil de vita, nihil de moribus, nihil de honeſtatis fama detraxit. Quod ab iſtis non ideò factum eſt, quia deeſſet illis maledicendi cupiditas, ſunt enim maledici conuiciatores & fuerunt, & habiti ſunt: ſed quia nimis impudenter & apertè mentiri vi-

riti sunt, cùm nihil omnino, quod probabiliter accusare possent, inuenirent. Bene habet. Iacta sunt optima defensionis meæ fundamenta. Neque enim vereor, ne fraudis alicuius aut malitiæ gratia nomen à me quisquam vestrum immutatum existimet, cùm propè aduersariorum confessione vir bonus atque integer iam iudicatus esse videar. Nam qui accusator nihil in eius vitam dicit, quem accusat, is planè virum probum atque honestum se accusare confitetur. Itaque mihi facilis ab aduersarijs & expedita ratio defensionis proposita est: quoniam vt ipsi tacendo confitentur, omnis abest à me meisque moribus fraudis atque malitiæ suspicio. Sed vt facilius intelligere positis, P. C. quod iam vobis penè persuasum esse certum habeo, nihil hac in re malitiosè, nihil improbè gestum à me fuisse, date mihi hanc veniam, accommodatam huic causæ, mihi ad vincendum prope necessariam, vobis, quemadmodum spero, non molestam: vt apud vos de meipso & de superiore vita mea paulò liberius aliqua dicam. Sic enim & verum ex me audietis, & mores meos purgatos probatosque esse intelligetis: & de tota huius causæ ratione liquidius & apertius iudicare poteritis. Iulianus Comes, homo cùm innocentia atque integritate vitæ, tum officio, fide, auctoritate sui municipij facilè Princeps, mihi pater fuit, P. C. qui cùm Maioragiū vicū habitaret, atque ita se comiter liberaliterq; gereret, vt vicinis omnibus gratus & carus haberetur, cognomen à loco sortitus est, & Maioragius appellatus. Is cùm adhuc esset adolescens, vxorem duxit ex antiqua nobilique Comitum familia,

Magda-

Magdalenā nomine, lectiſsimam & honeſtiſsimā fe-
minā: ex qua cùm primò tres filias ſuſcepiſſet, tan-
etiā me quarto loco ſuſcepit: quem ex patris ſui nom-
ne, qui mortē iampridem obierat, (ſicut à pleris-
ſolet) Antoniū appellauit; vt in filio patrem à mort-
quodāmodò reuocare videretur. Hoc enim præcip-
nomine ſemper delectata fuiſſe familia noſtra vid-
tur. Nā & apud maiores noſtros clariſsimos Comit-
permulti fuerunt, & hoc etiam tempore cōplures
ea ſunt Antonij. Cùm igitur magna quadā cū dilige-
tia atque cura, quæ me vnicū habebat maſculū, mat-
educaret, & quotidie vota faceret, vt viuax & ſupe-
ſtes eſſem: boni ominis gratia, quemadmodū ex ipſ-
pe audiui, nomini meo Maria addidit: vt ſanctiſsi-
illud diuinæ matris nomen, materna quadā pieta-
muliebriqúe religione mihi additū, gratiorē ex
mine meo ſonū atque amabiliorē ad ipſius matris
res apportaret. Eam enim ſæpiſsimè cōmemini dice-
ſe Mariæ nomine mirandū in modū ſolitam eſſe recre-
ri. Hinc igitur accidit, vt ab incunabulis vſque, n-
à matre ſolùm, quæ mihi nomen illud addiderat, ſe-
etiam à patre atque ab omnibus vicinis Antonius M-
ria ſemper vocatus fuerim. Neque enim vnquam
nomine me paſſa eſt mater, quoad vixit, appellari:
que pater, cùm hoc parui eſſe momenti iudicaret, in
re matris voluntati refragari voluit. Ab his initijs p-
fectus, vt primùm per ætatem mihi licuit & L-
nis & Græcis literis ad humanitatem informari, ſe-
tim à parente, qui me quàm doctiſsimū fieri vehemē-
tiſsimè cupiebat, quamuis ei non admodum ampla-
fami

familiaris copia suppeteret, erudiendus doctissimo præceptori traditus sum. Sed cùm aliquos iam in literis progressus facere cœpissem, postea temporum iniuria, quæ diu maximè perturbata atque tumultuosa fuerunt, effectum est, vt per annos amplius octo, tametsi literarum essem amantissimus, nihil tamen in eis operæ, nihil studij ponere potuerim: donec tandem cùm paulò quietiora tempora successissent, à Primo Comite consobrino meo, doctissimo viro, Nouocomum, quæ Romanorū colonia fuit, vbi tunc ipse publicè docebat, magna sanè cum humanitate atque beneuolentia perductus sum. Ibi cùm aliquod tempus operā Primò dedissem, qui me cùm studiosè, tum per amanter erudire contendebat, & ipsius præceptoris iudicio tantùm iam in literis profecissem, vt non tantùm Latinos & Græcos auctores per meipsum intelligere, sed alijs etiam interpretari facilè possem: Mediolanū in antiquam maiorū meorū patriam & ciuitatem veni, viuente adhuc Francisco Sfortia Mediolanensium duce ac principe. Statim Fanniani, cùm adhuc ignotus in hac vrbe penitus essem, me domum suam receperunt, eaque comitate atque liberalitate erga me longo tempore vsi sunt, vt huic Lancilloto Fanniano, viro summa virtute, fide, religione prædito, non minùs quàm parenti me debere & sentiā, & libentissimè prædicē. Fui apud hunc annos circiter quinque: quo quidē tempore literarū studijs adeò vehementem operam dedi, vt totū illud quinquenniū in labore atque contentione animi contriuerim, vt me non quies, non remissio, non æqualiū studia, non ludi, non conuiuia delectarint.

Testis

Testis est vir ille gratissimus atque ornatissimus La
cillotus Fannianus, patronus meus, qui mihi adeò
me solicitus est, meum honorem atque existima
nem tuetur. Qui cùm in studijs literarum me co
nenter versari videret, magno quodam cum amor
pissimè reprehendere solebat, quòd acquirendæ fa
tiæ desiderio, propriæ salutis obliuiscerer. Testes
omnes, qui me norant eo tempore, vt non semel pro
nimis assiduum studium, cùm in grauissimos mor
incidissem, de vitæ periculo dimicarim. Erat autem
dijs meis ille finis propositus, vt, si quo modo fieri p
amissa iampridem in hac ciuitate dicendi ratio
clamandi consuetudo per me restitueretur. Itaq
tantùm ipse propè quotidiano dicendi exercit
vtebar, sed etiam nobilissimos adolescentes in
bili quadam cum animi voluptate propter eorum
cellens ingenium more veterum assiduè declam
audiebam, & eorum dictionem, quantum per mu
poterat, ad illius diuinæ Ciceronis eloquentiæ mo
atque exemplar informabam. Neque tamen in
cæterarũ artiũ ingenuarum studia prætermitt
Nam eodem tempore ab Arunte Bataleo ingeni
mo & acutissimo viro in Dialectica studiosissimè v
De Claris Orator. cebar: quæ, quod ait Cicero, quasi contracta &
cta eloquentia putanda est: & in Mathematicis
plinis Hieronymo Cardano, Philosopho Medico
peritissimo, & nostri temporis Mathematicorum
lè principi dabam operam. Sed cùm propter no
docendi rationem meam maximus quotidie no
simorum adolescentium concursus ad me fieret:
&

& vos, P. C. & cæteri ciues nostri de me iam eam opinionem conceperant, vt mihi rectissimè filios suos committi existimarent: cogitare cœpi. longè mihi & ad famam clarius, & ad erudiendam iuuentutem commodius fore, si publicè docendi prouinciam à Gymnasiarchis nostris mihi demandari procurassem. Quam in spem & cogitationem adductus sum, postquam vir sapientissimus Philippus Saccus, huius publici consilij auctor, & vestri ordinis Princeps, me ad eam prouinciam petendam inuitauit, suamque suffragationem, omnium potentissimam & probatissimam, mihi sua sponte peramanter obtulit. Huius igitur præcipue opera, tum etiam studio atque fauore clarissimi & amplissimi viri Francisci Sfondrati, qui cùm eo tempore Mediolani primarius senator haberetur, & Caroli Quinti Imperatoris consiliarius esset, summum dignitatis gradum obtinebat, magno consensu totius ordinis vestri, cùm vix sextum ac vigesimum annum attigissem, ad Oratoriam artem publicè docendam electus sum. Quo quidem munere duos annos ita perfunctus sum, vt (ne quid arrogantiùs de me dicam) nemo diligentiam aut industriam meam desiderarit. Quin potiùs ita noctes & dies in omnium doctrinarum meditatione versabar, vt non tantùm propinqui atque necessarij mei, sed etiam multi ex vobis, P. C. me sæpissime reprehenderent, quod nimios magnos labores & viribus meis impares assumere non dubitarem. Ardebam enim (vt ingenuè fatear) incredibili gloriæ cupiditate, quam in adolescente nequaquam esse vituperandā sapientes

pientes omnes existimant. Nullum igitur omnino h
em esse patiebar, in quo non aut publicè docerem, a
priuatè mecum ipse meditarer, & vel scriberem, v
declamarem: frequenter autem eodem die hæc omn
faciebam. Interim cùm apud nos maxima esset h
suspicio, quoniam ingentes Gallorum copiæ iã alp
transcenderant, atque in Taurinis consederant, o
nes publici bonarum artium Professores, vt fit in e
moditemporibus, dimissi sunt, & studia literariũ
termissa. Quare cùm iam bienniũ in publico ver
tus fuissem, & meũ in hac vrbe nomen celebrari c
pisset, Mediolano sum profectus: ea tamen cogitat
atque mente, vt, quoniam bellũ non semper fore p
rabã, ad eandẽ publicè docendi prouinciã instruct
atque eruditior aliquando reuerterer. Itaqu
Ferrariã accessissem, & præclarè intelligerem: qu
tã huic meæ professioni vtilitatem vel mediocri
ris ciuilis cognitio posit afferre, propter multos,
passim occurrunt, in probatis auctoribus locos, ex
tima Iurisprudentia decerptos atque delibatos,
latam mihi præclarã occasionem repudiare nolui:
eodem ardore animi, quo reliqua studia compl
solitus fueram, etiam Ius ciuile sum amplexus.
que Andreæ Alciato ciui nostro, Iurisconsultorum
mnium non tantùm huius ætatis, sed etiam veter
penè principi, qui proximis quatuor superior
annis Ferrariæ Ius ciuile professus est, multum
peræ dedi. Sed quia memineram, non idcirco
ris ciuilis studium amplexum fuisse, vt aliquan
consulentibus de Iure possem respondere, sed tam
vt

vt facilius bonos auctores intelligerem : ideo summum etiam Philosophum Vincentium Magium eodem tempore audiebam. Semper enim admirabili quodam ad Philosophiam studio concitatus fui : neque id vnquam studium, cùm abeuunte ætate complexus fuissem, mihi dimittendum esse censui. Erant in manibus eo tempore mihi lucubrationes quædam, quas, vt amicis id à me flagitantibus obsequerer, in lucem emittere cogitabam. Sed incertus animo ferebar, quomodo meum in eis nomen inscriberem. Nam in verborum delectu, quod C. Cæsar eloquentiæ principium esse dicti tabat, adeò diligens & penè dixerim superstitiosus eram, vt nullum omnino verbum, nullam verborum coniunctionem, nullam dicendi formulam admittendam mihi esse censerem, quam non apud veteres Latinos atque probatos auctores inuenissem. Id igitur in nomine meo præcipuè seruandum esse statuebam, ne, cùm Latinæ linguæ candorem & elegantiam profiterer, aliquis mihi barbarum nomen & inusitatum aliquando posset obijcere : atque eò magis, quòd mihi nullo modo conuenire videbatur, vt muliebre nomen cum virili coniungeretur. Quis enim apud antiquos vnquam talem nominis coniunctionem vel legit, vel audiuit, vt quis à viro & muliere nominaretur? Legimus quidem, à belluis quosdam aliquo euentu cognomina fœmineatuliſſe, vt Asinæ, Scrofæ, Merulæ, Lamiæ dicerentur : sed qui à mulieribus cognomen duxerit, neminem omnino legimus. Itaq; cùm de hac re diu deliberassem, tandem nomen illud Maria, quod, vt initio dixi, fuerat aduenticium & à matre additū, Cic. de claris Orator.

mihi dimittendum esse statui. Neque id tamen sine ... ctissimorum hominum consilio: qui, quòd infrà per... cuè demonstrabimus, omnino mihi licere confirma... bant, non tantùm, quod mihi displicuisset, nomen re... diare, sed etiam, quod placuisset, vel prænomen, ... cognomen assumere. Quæres effecit (dicam enim non deriuandi criminis gratia, P. C. sed vt scia... quod factum est) vt ne Marcum Antonium inscri... re non dubitarem: assumpto etiam à patre Maior... cognomine, quod ille, quemadmodum antea dixi... sortitus à vico Maioragio fuerat. Primùm igitur ... Ferrariæ, cùm orationes quædam meæ, defensio... qúe Ciceronis contra Cælium Calcagninum in lucem ... venissent: ex earum inscriptione Marcus Antonius ... Maioragius ab omnibus, qui me norant, vocari cœp... sum. Deinde cùm, quantum mihi satis esse videretur, ... Alciatum audiuissem, & hac in ciuitate, restitu... iam belli tumultu, studia literarum instaurari mu... lexissem, mihi statim redeundum esse Mediolanum ... censui, vt intermissum publicè docendi munus itera... aggrederer. Quod haud ita multò pòst longè ma... iori, quàm antea, stipendio atque existimatione no... stro sum beneficio consecutus. Hoc aduersarijs m... adeò molestum atque graue visum est, vt omni pra... ratione conati sint efficere, ne pristinum locum ... um & dignitatem recuperarem: deinde cùm præ... ter opinionem illis euenisset, vt vos, P. C. me ta... liberaliter, tamqúe benignè reciperetis, nunquam ... apud ciues Mediolanenses de fama atque doctrina ... mea detrahere cessarum: donec tandem, cùm alius ...

Suprà O... gat. 8.

nihil criminis, quod aut verum esse aut verisimile videretur, excogitare potuissent, hanc immutati nominis actionem in me suscitarunt. Hic est exactæ vitæ meæ cursus, P. C. hæc studiorum meorum ratio, hoc duorum & triginta annorum, quibus hactenus vixi, spacium: in quo nulla fraus, nullum notabile vitium, nulla insignis malicia reperitur. Illud vnum ab aduersarijs, in omnem vitam meam studiosè cupideq; perquirentibus, grauiùs est reprehensum, quod in nomine meo Mariam in Marcum permutarim. Quod quidem per se, nullo adiuncto scelere, nullo dolo, nulla fraude, quàm leue sit atque ridiculum crimen, puto vestrum penitus ignorare neminem. Intelligo, P. C. totam aduersariorum accusationem tres in partes distributam fuisse: & in huius facti mei reprehensione, vnam earum, quòd contra leges atque instituta maiorum, alteram, quòd contra omnium consuetudinem, tertiam, quòd contrà decus atque honestatem sit, esse versatam. Quibus singulis ordine mihi respondendum esse arbitror: vt si fortè aliquid oratione sua se perfecisse existimant, hæc illis opinio detrahatur: & iam tandem intelligant, aliud esse verè atque iustè accusare: quod in hominem innocentem minimè facere potuerunt: aliud improbè atque maledicè conuiciari, quod vnum in tota sua accusatione consecuti sunt. Ac mihi quidem in hac prima parte non admodum laborandum esse video. Quoniam, etsi contra leges hoc à me factum aduersarij dixerint, nullam tamen penitus neq; diuinam neque humanam legem proferre potuerunt,

qua cautum sit, ne nomen immutare liceat: sed tùm à quibusdam Iurisconsultis se audiuisse dixerunt, à legibus, ne quis sibi nomen mutet, prohiberi. Qu quidem in re cùm summam, atque, vt ipsi Iurisprude tes vocāt, crassam ignorantiam, tum etiam maxima leuitatem ostendunt: qui cùm apud tales viros, qua les vos estis, P. C. iudicium exerceatur, sperent e eo, quod ipsi aliquando vel audiuerunt, vel, quod ei verisimilius, se audiuisse commenti sunt, non atten ex eo, quod re vera lege sancitum inuenitur, vos le gum peritissimos & religiosissimos obseruatores iudi caturos. Quamobrem ita cum eis agam, si quo mod conuenire possum, vt hac de causa statim decidatur. Si lex vna vel ciuilis, vel diuina, vel pontificia reper tur, quæ sine fraude mutare nomen prohibeat, nih mihi prosint exempla doctorum hominum, quæ plur ma sunt, nihil antiqua consuetudo, quæ vim leg obtinet, nihil denique vita, ad hunc vsque diem b nestè acta: me confestim damnate: me quoq supplicio dignum existimate. Sed si verba tantùm inania fundunt accusatores, si tantùm ea dicunt quæ non modò non auctoritatibus aut rationibus con firmant, sed ne confirmare quidem laborant: potes tisne vos ista sapientia, ista religione, ista iustitia, P C. animum inducere, vt ea credatis, quæ hostili a nimo, sine vllis testibus, sine legum auctoritate, sin ne vlla firma probatione, contra me isti falsa crimi na, quasi venenata tela, conjciunt? Noui vestram in telligentiam, vestram fidem, vestram æquitatem. Nih lo modo feretis, vt is vestro iudicio damnatus abeat,

quem

quem non certo aliquo crimine, sed tantum calumnia quadam, & falsa Iuris interpretatione circumuenire aduersarij cupiunt. Nam quæ tandem sunt istæ leges, contra quas à me factum esse dicitis accusatores? vbi scriptæ sunt? vbi reperiuntur? ciuilesne sunt? an pontificiæ? an diuinæ? generales, an municipales? Equidem cùm & ipse diu multumq; totum Iuris ciuilis & pontificij Corpus percurrissem, & vtriusque Iuris peritissimos homines consuluissem, nullam vnquam legem, nullum senatusconsultum, nullum plebiscitum, nullam principum constitutionem, nullum magistratuum edictum, nullum prudentum responsum aut reperi, aut esse audiui, quo speciatim cautum sit, ne quis sibi nomen immutet. Quod si vos esse dicitis, cur non quamprimùm profertis? cur non in medium adducitis? Legimus quidem Athenis lege cautum fuisse, ne quis sibi maternum nomen imponeret, neve fœminæ familiarum cognomina vel celebritatem susciperent: sed quid hoc ad causam nostram? Nam etiamsi grauissimis pœnis & sanctionibus apud alias nationes mutare nomen lege prohibitum esset: non tamen apud nos ideo damnari quisquam deberet, nisi nostræ etiam vel ciuiles, vel pontificiæ leges prohiberent. Nunc verò cùm nullam neque nostram, neque externam legem inuenire possitis, qua mutatio nominis impediatur, quid est, quòd hoc nomine me tam impudenter vrgeatis, vt contra leges à me factum fuisse clamitetis? Sed quid in leuiculis istis calumnijs vestris commoror? Quid si leges nostræ nominis mutationem non modò non prohibent, verùm etiam apertè conce-

dunt? Quid si, quod vos contra leges esse dicitis, ego luce clariùs à legibus ipsis permitti docuero: quæ erit causa, quò minùs improbissimi calumniatores esse videamini? Quid ergo? Vos nullam legem, quæ prohibeat, afferre potuistis: ego verò contrà, quæ permittat & concedat, & licere palàm testetur, afferre possum. Negatis? At iam efficiam, vt vel inuitissimi fateamini. Recita Diocletiani atque Maximiani legem, quam Iustinianus in suo Codice comprobauit, & perpetuò deinceps ratam esse voluit. Recita. Lex Diocletiani & Maximiani: Sicut initio nominis, prænominis, cognominis recognoscendi singulos, impositio libera est priuatis: ita eorum immutatio innocentibus periculosa non est, Mutare itaque nomen, vel prænomen, vel cognomen sine aliqua fraude licito iure, si liber es, secundum ea, quæ sæpe statuta sunt, minime prohiberis, nulli ex hoc præiudicio futuro. Audistis P. C. quàm clarè, quàm apertè, quàm dilucidè nomen, vel prænomen, vel cognomen mutare lex concedat, modò liber sit is, qui nomen mutat, & id sine aliqua fraude faciat? Quin eadem lex ostendit, hoc non semel esse tractatum, sed sæpe statutum fuisse: cùm ait: Secundum ea quæ sæpe statuta sunt. Quàm autem apposita, quàm venusta, quàm pulchra, quàm vera similitudine legislator vtitur, ne fortasse aliquis de hac re dubitare posset, & leuitatis aut inconstantiæ crimen timeret, si nomen sibi mutare voluisset! Hæc, inquit, est in arbitrio atq; in potestate nostra, vt quandocunque nobis placuerit, nomen immutemus: quæ admodùm enim initio nominis impositio cuilibet

Lib. 9. tit. 25. de mutat. nom. l. vnic.

ra est, & quodcunque voluerit siue pater siue alius quiuis, puero nomen imponere potest: ita quilibet cùm adoleuerit, si fortè sibi nomen, vel à parentibus vel ab alijs impositum, minimè placuerit, sine vllo periculo, modò sit innocens, potest illud immutare. Quid hac sententia clarius? quid apertius? quis huius legis verba potest aliter interpretari? quis in alium sensum detorquere, quis exceptione aliqua contrahere? cùm ipsi legislatores vnam tantùm eam exceptionem addant, Extra quam si quis fraudis gratia faciat. Quo in loco Iurisconsulti hoc fraudandi gratia fieri sentiunt, cùm sigillatim, & in vna tantùm aut altera re nomen mutatur, non autem cùm generatim atque in rebus omnibus. Cùm igitur hanc vnam fraudis causam legislatores excipiant, nemini dubium esse potest, quin alias omnes admittant. Vnde Baldus, legum interpres acutissimus, totius legis huius summam ita paucis explicat: Mutatio nominis non fraudulenta, libero homini est permissa. Quod etiam Alciatus noster quarto Disiunctionum suarum libro comprobat. Quæ cum in memoriam reuoco, nullum causæ meæ patronum desidero. Nam etiamsi nihil de hac re lege cautum fuisset: tamen id mihi licere contenderem. Quæ enim legibus minimè prohibentur, omnibus ea concedi videntur. Nunc verò cùm lex ipsa palàm testetur, & apertè clamet, Licere cuilibet homini libero mutare nomen: quid est, cur ego dubitare debeam, quin omnium sententijs victor in hoc iudicio discessurus sim? Nam quòd quidam huius legis interpretes ita sentiunt, viri boni esse officium, ad effu-

giendam fraudis suspicionem, vniuersæ multitudi
nunciare, se pristinum nomen immutare velle, ve
dicto proposito se in posterum alio nomine vsurum, pr
te facere: id tametsi non legis præceptum sit, sed tu
tùm ipsorum interpretum consilium, tamen à me di
ligenter obseruatum est, qui non prius me Marcum
Antonium Maioragium appellaui, quàm essent scri
pta mea typis æneis excusa & passim peruulgata, qu
bus facilè possent omnes intelligere, me deinceps eo n
mine semper vti velle. Quamobrem aut lex dam
nanda est, quæ nomen mutare permittit, aut ego leg
sum absoluendus. Sed quis tam audax, tam tem
rarius, tam furiosus esse potest, qui legem eam m
probandam esse censeat: quæ iam annos mille ducen
tos atque amplius, ex quo fuit à Diocletiano & Ma
ximiano lata, deinde à Iustiniano comprobata, sem
per valuit, quam nemo vnquam reprehendere ausu
est, cuius auctoritate freti multi doctissimi homin
nomina commutarunt, cui nihil vnquam, ex quo fa
it edita, neque abrogatum neq; derogatum fuit, qu
tam clara, tam perspicua est, vt cùm aliæ pleræq
leges varios sensus admittere posse videantur, hu
nullum alium sensum, nullam interpretationem pro
sus admittat? Quòd si lex valet, si firma est, si ra
quis non intelligat, à me legitimè nomen immuta
potuisse? Quod enim ex lege fit, id etiam iustè fie
existimant: alioquin à iustitia leges discrepare
quod ne dictu quidem fas est. Ergo sequitur, vt ho
à me iustè factum sit. Ridet accusator meus Fabi
Lupus, maximus (vt ipse sibi videtur) veterator, at
tionum

tionem se sperat inuenisse, qua me differat. Nam reliqui minùs aliquantò mihi sunt infensi: hic vnus vrget, instat, quiescere non patitur, sanguinem meum sitit, me viuum exorbere concupiscit, immiti quodam atque efferato animo, tanquam ictus aper in me ruit. Audiuit, vt opinor, nominis mutationem Iure ciuili cuiuis homini libero permissam esse: quare multis exemplis & argumentis conatus est ostendere. Non omnia, quæ Iure ciuili permittuntur, homini Christiano esse concessa, quoniam multis in rebus Pontificiæ leges à Ciuilibus plurimùm discrepent. Qua in re supra modum eius exultauit oratio, atque ita sese iactauit & extulit, vt vocem illam suam odiosam atque vlulantem ea ratione se vendibiliorem posse facere speraret, perinde quasi noua quædam & ante hunc diem inaudita diceret, quæ neque vos, P. C. neq; quisquam alius literarum studiosus potuerit vnquam aduertere. Quid ais, bone accusator? qua in re legem à me citatam damnas? quid habes contra illam dicere? quid est, quòd eam improbandam censeas? Multa sunt, inquis, Iure ciuili permissa, quæ tamen à diuinis legibus & pontificijs penitus abhorrent. Audio. Sed quæ tandem ista sunt? Potesne inter ea nominis mutationem commemorare? Nihil minùs, Quid ergo? Permittunt, inquis, leges ciuiles esse in ciuitatibus lupanaria: permittunt fœnora centesimarum, besium, & semissium: permittunt, adulterum cum filia nupta deprehensum interficere: nemo tamen vir bonus scortari, fœnerari, occidere, iustum esse dicet. Quid præterea? Permittunt leges, oppressos ære alieno pauperes in car-

cere emori: permittunt, vt, qui vxorem non habet, c
concubinam habere liceat, & alia nonnulla, quæ
mo vir probus laudare posit. Sunt ista vera. Qui
negat? Sed quid ad causam & quæstionem nostram
Habetne similitudinem aliquam mutatio nomin
cum meretricia consuetudine, cum fœnore, cum cæd
cum pellicatu? Quis tam rerum ignarus, tam amen
tam stupidus est, quin intelligat, hæc toto, quod aiunt,
diametro discrepare? Iam videlicet te auctore &
dice, si puella sibi nomen immutarit, in tam graue cr
men incidet, quàm si concubina alicuius fuerit, au
meretriciam vitam instituat: si quis religionis gr
tia nouum sibi nomen assumserit, æquè peccabit, ac
fœnerator aut homicida factus fuerit. Quis hæc tam
absurda, tam à communi sensu aliena, tam à ratio
ne abhorrentia sine stomacho potest audire? Quis non
videt, argumentorū inopia te illa conquirere, quæ non
modò tuam accusationem non adiuuent, sed etiam
plurimùm infirment? quæ nihil aliud quàm hostilem
atque iniquum animum tuum ostendant? Speras
talibus viris iudicantibus, istam similitudinem tuam
te probaturum? poterúntne isti iudicare, tam grauiter
ter ab eo peccari, qui sibi nomen mutet, quàm ab eo
quiscortetur, fœneretur, occidat, concubinam ha
beat? Vide, ne sint ista tua decreta Stoicorum, qui
non minùs eum peccare censebant, qui gallum gallinaceum, quàm qui hominem occidisset, qui cauleam
alterius horti fregisset, quàm qui Deorū immortalium
fana spoliasset. Salue noue Stoice, Zenone temperantior, Catone seuerior. Sed tamē quæso te, nisi molestum
est,

est, priùs quàm ista tua tam firma ratione condēnor, vt mihi pauca quædā respondeas. Cupio enim ex te intelligere, vtrū diuinis atque pontificijs legibus scortationes, fœnora, cades, pellicatus prohibeantur, nécne? Quid hoc, inquies, ad rem? Nihil fortasse: veruntamen credo te responsurum esse, quod nullo modo negare potes, talia omnia iure pontificio nominatim esse prohibita. Sed quid de nominis mutatione, eodémne modo cautum est? Prô summe Deus, quantam hominibus cæcitatem improbitas atque nocendi studium inducit! Nescit omnino quid respondeat: quid fingat extemplò, non habet. Videt enim apertissimè, quæ modò cōmemorata fuerunt: à diuinis legibus & pontificijs esse reprobata, nominatimq; de singulis cautum esse, ne cuiquam scortari liceat, ne liceat fœnerari, atque ita de cæteris: cùm tamen interim nusquam aut in Sacris literis, aut in pontificio iure, aut in ijs, quæ sanctissimi homines ediderunt, Operibus nomen mutare prohibitū sit. Hac enim diligentia sapientissimi viri maiores nostri, qui ius pontificiū condiderunt, quod vulgò Canonicum vocant, vsi sunt: vt non tollere ius ciuile, sed emendare quodammodò viderentur. Itaque factum est, vt quæcunque viderent à fide persuasioneque Christiana nihil abhorrere, ea firma atque rata omnia esse voluerint: quæ verò vel in minima quidem re à diuina lege dissentire intelligerent, ea vel prohibenda penitus, vel corrigenda saltem esse censuerint. Scortationes igitur & fœnora, & pellicatum, & eius generis cætera, quæ semper annexam turpitudinem habent, quamuis ciuili iure con-

re concederentur, procul tamen à Christianis mor-
bus abesse oportere statuerunt: nominis autem muta-
tionem, quæ nihil honesti bonisq; moribus obesse pos-
sit, non modò non prohibuerunt, sed etiam cuiuis li-
beram permiserunt. Quare tantum abest, vt Chri-
stiani mutationem nominis damnandam esse censu-
ant, vt etiam nescio quid religionis habere iudicent;
nam cum vitæ rationibus etiam nomen mutare fre-
quentissimè solent, & nullam Vestalem virginem,
nullum Monachum, nullum summum Pontificem fie-
ri patiuntur, nisi mutato nomine, quemadmodum a
lio loco docebimus. Cùm igitur apertissimè consta
nominis mutationem & à Ciuili iure, & à diuinis a
que pontificijs legibus cuilibet esse concessam: quid e
quòd amplius aduersarij mei tam indoctè, tamq; im
peritè clamitent, hoc à me contra leges esse factum
Dixi de legibus, quæ mihi satis huic causæ facere v
debantur. Sequitur, vt quod secundo loco mihi obi
cerunt accusatores, hoc à me factum esse contra co
nium consuetudinem, apertè refellamus. Non enim
hac in re satis mirari possum istorum, ignorantiam a
cam, an impudentiam singularem. Qui tanquam no
uum & inusitatum, & ante hunc diem inauditum
in me reprehendant, quod & antiquis illis tempor
bus, & patrum nostrorum memoria frequentissimè fi
ri solebat, & hoc etiam nostro tempore sæpissimè fit
eruditis viris. Nam per Deum immortalem, quæ
est ista consuetudo vestra, quam mihi opponitis ac
satores? doctorúmne, an imperitorum hominum
Si imperitorum, vno vobis in hac parte verbo satisf
ciam.

ciam, Literato viro, quid imperita multitudo sequi soleat, non admodum esse curandum. Quid enim absurdiùs aut ineptiùs dici potest, quàm, cùm de aliqua re disceptatur, quærere, quid baiuli atque operarij, non quid homines doctissimi de illa senserint? Nō est enim consilium in vulgo, non ratio, nō diligentia: sed omnia præsenti, suoq3 sensu iudicat, parum admodum sentiens præteritum aut futurum: putatq3 nihil omnino rectè fieri, nisi quod vulgarem omnium consuetudinem sequitur. Aparentum enim suorum vestigijs, etiamsi plerunq3 pessima sunt, vel vnguem, quod aiunt, latum discedere scelus existimat. Itaq3 summa quadam atque immensa religione, vel anili potiùs superstitione iampridem inueteratos apud se mores, quamuis inepti sint atq3 ridiculi, sibi seruandos esse censet. Quòd si quis non modò aliter faciat, sed etiam contrà sentiat, eum statim improbum, nefarium, factiosum appellat. Neque sanè ex eo, quod plures faciunt, consuetudo vim debet accipere. Nam si hoc fiat, omnia rectè atque honestè viuendi præcepta subuertentur. Quotus enim quisque est, qui studijs honestis, & pertinentibus ad benè beateq3 viuendum delectetur? Quantò plures & hoc tempore sunt, & semper antea fuerunt, quibus turpia, quàm quibus honesta placeant? Quam multa sunt in populari vita vulgiq3 consuetudine ridicula, inepta, superstitiosa, vana, sordida! quæ si quis reijciat & contemnat, eúmne aliquid contra hominū consuetudinem moliri aut facere dicetis? Non equidem adhuc vos eò dementiæ peruenisse existimo. Non igitur imperitorum populariumque consuetudo proban-

da

da est. Quòd si de sapientum doctorumq; hominum consuetudine verba facitis, rectè quidem Consuetudinis verbum vos interpretari iudicabo, sed quæ vis eius vocabuli, non percipere conuincam. Equidem ita video maioribus nostris, eruditissimis atque sapientissimis viris, placuisse, vt eam consuetudinem, quam sequi atq; obseruare debemus, non quemlibet inueteratum morem aut vsum esse censerent: sed eum, qui neque ab honestate: neque à legibus abhorreret, quem omnium voluntas sine scripto longo tempore comprobasset, qui denique naturæ ipsi humanæ congruere videretur. Quamobrem Fabius Quintilianus, vir vt doctissimus, ita etiam probatissimus, Ego, inquit, consuetudinem sermonis vocabo consensum eruditorum, sicuti viuendi consensum bonorum. Quibus ex verbis intelligi potest, duplicem ab eruditis viris laudabiliter poni consuetudinem, alteram sermonis, alteram vitæ. Quemadmodum etiam omnis nostra laus atque gloria, cùm ab eleganti doctoque sermone, tum à rectis bus præclarè gestis prouenire solet. Sed vitæ consuetudinem à bonis atque honestis hominibus esse petendam. Talis enim quisque fieri & haberi solet, qualibus ij sunt, quorum consuetudine delectatur. Sermonem autem, à doctis atq; elegantibus viris. Nam hi apte, distincte atq; ornatè dicendi rationem tradere nobis possunt. Quid ergo? Contra quam ex his duabus me consuetudinem feciisse arguitis, Accusatores? Vitæne, an sermonis? De vitæ meæ consuetudine nihil hoc loco amplius: quoniam satis ostendi, nihil contradicentibus vobis, me bonorum hominum semper studiosum atque

Inst. Orat. lib. 1. c. 12.

atque imitatorem fuisse : neque vnquam tale aliquod flagitium admisisse, de quo meritò condemnari possem. Restat vt de sermonis consuetudine videamus. Prô Dij immortales ! quantum in hac parte voluptatis, quantum oblectationis ex aduersariorum meorum oratione percepissem, P. C. si quieto animo fuissem, cùm eos tam ineptè, tam confusè, tam impolitè loqui audirem! Vix mehercule risum continere poteram, cùm in mentem mihi veniret eorum arrogantiæ. Qui cum se solos non tantùm in hac ciuitate, sed in toto penè terrarum orbe scire putent, cùm se bonarum literarum Professores & inscribant, & appellari velint : cùm dicendi præcepta quotidie discipulis suis inculcent, & optimi Rhetores haberi studeant: in iudicio publico & quæstione legitima, hoc concursu hominum literatissimorum, hac tanta frequentia, cùm res agatur apud vos, P. C. qui propter singularem prudentiam & egregiam eruditionem in hoc consilium publicum delecti estis, in summa omnium expectatione tantas verborum sordes effuderint, tam incultè atque rusticè dixerint, tantam denique, vt vno verbo dicam, barbariem ostentarint. At in qua causa? Quam annum integrum atque amplius commentati sunt. Nam anno superiore cùm Ferraria Mediolanum redijssem, & à vobis in pristinum locum restitutus fuissem, eos intellexi, iam accusationem hanc in me præparare. Sed audebúntne isti mihi sermonis consuetudinem obijcere? Audistis, quo eloquentiæ genere Macrinus iste Niger delectetur. Equidem existimo, tanta ex hac frequẽtia neminẽ inuenirí, qui intelligere potuerit,

rit, quid diceret, adeò perturbata, adeò rudis, adeò in
digesta, atque à consuetudine Latini sermonis abhor
rens fuit eius oratio: tamen vos qui acutiores esti
P. C. & nos, qui causam dicimus, de nominis mut
tione voluisse eum nescio quid dicere suspicamur, tu
metsi nihil ferè intelleximus. Te verò, Fabi Lupe, ap
pello, qui mihi præter cæteros accusatores visus es
hac parte ceruiculam iactare, tuoq; lugubri voci vi
latu tantùm audientium aures obtrudisse, vt cùm nu
lum garriendi finem faceres, & eadem sæpiùs inc
cares, credo vt emendares collegæ tui vitium, qui
nemo prorsus intellexerat: te tandem senatus Pri
ceps tacere iusserit, atque nobis etiam dicendi locu
relinquere. Vtram tandem existimas propiùs a
illam veterum Latinorum dicendi consuetudinem a
cedere, meámne dictionem, an locutionem tuam
Quàm enim mihi nil arrogo: quippe qui longissimo s
nè me videam interuallo veterum illorum vestig
subsequi: non tamen esse te tam impudentem exis
mo, qui præsentibus his talibus viris, sordidam istam
cutionem tuam audeas huic, qualiscunque est, ora
ni meæ præponere. Cùm præsertim ego tot vigili
laboribus hanc modicã mihi dicendi facultatem co
pararim: tibi verò semper, quod satis constat, ma
Bacchus, quàm Minerua, magis Venus, quàm Mi
sa, magis Silenus & Genius, quàm Mercurius &
pollo placuerit. Hinc igitur accidit, vt ab eruditor
consuetudine sermo tuus penitus abhorreat: meus a
tem, nisi me fortasse ipsum, resq; meas plùs, quàm
satis est, amo, se talem audientibus offerat, vt omne
facil

facilè iudicare posſint, in bonis auctoribus me diu diligenterque esse versatum. Nam vsque eò politæ orationis ab adolescentia studiosus fui, vt nuper etiã nomen meum, quia nescio quid barbarum præ se ferre videbatur, immutarim. Hic te volumus; inquiunt accusatores: hoc defende non esse factum contra omnium consuetudinem. Imò verò nihil mihi facilius est, quàm apertis rationibus & exemplis ostendere, non tantùm hoc non esse contra consuetudinem; sed etiam ex cõmuni consuetudine factum. Modò mihi id concedatis, quod non nisi impudentissimè negare potestis, Omne nominũ & totius sermonis arbitrium apud eruditos homines & esse debere, & semper fuisse: vt quicquid viri scientia clari cõmuniter sentiant, id ab alijs ratum haberi debeat. Neque enim nomina naturalia sunt, vt non immutari data occasione facilè posſint; sed tantùm quædã rerum notæ sunt, vt non difficulter excellenti doctrina viri iam videre posſint, quod cuique rei nomen magis conueniat. Pythagoras sanè maximam eius fuisse doctrinam atque sapientiam dicebat, qui nomina primò rebus imposuit. Nam quamuis plurima reperiantur nomina, quæ rerum vim & naturam exprimant, vt apud Platonem in Cratylo Socrates copiosè disputat: omnia tamen ab eruditorum hominum institutione profecta sunt. Quod cùm ita sit, nemini dubium esse potest, quin eruditorum consensus in nominibus imponendis cõmunis consuetudo vocanda sit. Quæramus igitur primò recentiũ atque doctissimorũ hominum exempla; deinde etiam veterum, qui vel sibi ipsi nomen immutarunt,

Arist. de Interpret. ca. 1. & 2. & li. 1. Sophist. Elench. c. 1

vel ab alijs nouum nomen oblatum libenter arripe-
runt: vt tandem aliquando desinant aduersarij e
re me accusare, quæ nunquam ab aliquo sapiente
improbata. Quis hoc nostro tempore bonarum lite
rum Professor Baptista Egnatio clarior est? Qui iam
pridem Venetijs vtramque Linguam ita profitetur, v
ei plurimùm elegantiores literæ debeant, qui non al
ter, atque olim Cato ille Censorius, cùm annum iam
octogesimum excesserit; tamen in solitis suis labori-
bus, atque in publico docendi munere perseuera
Hunc igitur in iuuentute sibi nomen immutasse con-
stat, neque tamen ea de causa quisquã eum vnquam
accusandum aut reprehendendum esse censuit. E
quæ mutatio fuit illa? Dij boni, quàm longè petita
quàm à priore nomine diuersa! Cùm enim ante
Ioannes de Cipellis vocaretur, postea Baptista Egna-
tius vocari voluit. Quantopere fremerent aduersarij
mei, quàm sese iactarent, quàm me statim exter-
nare se posse confiderent; si talem in nomine meo mu-
tationem inuenissent; qui propter vnam immutatam
in eo syllabam, tantas turbas commouent, & in me
tam tragicè vociferantur! Quid de Fabio Vigili, vi-
ro non tantùm doctissimo, sed etiam sanctissimo di-
cam? Qui propter egregias virtutes suas dignus est
habitus, cui Spoletinus Episcopatus à Paulo Tertio
Pontifice Maximo demandaretur. Is enim cùm ante-
tea Fabianus vetulæ diceretur, postea se Fabium
Vigilem vocari iussit: quo nomine nunc etiam ab o-
mnibus appellatur. Ecquid igitur ea de causa digni-
tatis amisit? ecquid ideo minùs Pontifici gratus fuit?

Imò

Imò verò tantò posteà gratior euasit, quantò sibi gratius nomen adoptauit. Iam verò Pierius Valerianus, vir in primis eruditus, & in summo precio atque honore propter Sacerdotij dignitatem doctrinamque non vulgarem habitus, Petrus Valerij priùs dicebatur. Quid, Phædrus ille Volaterranus, tam clarus Orator, cuius omnes actionem præcipuè mirabantur, quem Sodoletus in suo de Philosophia libro contra Philosophiam ipsam disputantem inducit, an non antea Thomas Ingeramius dicebatur? Ecquis vnquam tantam in eo nominis mutationem vel leui reprehensione dignam censuit? Quid Politianus, vir ita facundus & oratione politus, vt non sine causa nomen illud asciuisse sibi videatur, an non Angelus antea de monte Pulciano fuit? Quid, Domitius Calderinus nonne sibi nomen hoc finxit, cum antea Dominicus de Caldarijs esset? Quid, Ianus Parrhasius, nónne priùs Ioannes Paulus de Parisijs dicebatur? Doceant igitur aduersarij, si possunt: aut hæc quæ proferimus, exempla vera non esse, aut eorum aliquem, qui sine fraude nomen sibi mutarint, qui sanè quàm plurimi fuerunt & recentiores & vetustiores, ea de causa vocatum in iudicium fuisse. Quod si probare potuerint, quò minùs secundum eos litem detis, & contra me sententiam feratis, P. C. non recuso. Sed quid cesso doctissimi atque eloquentissimi viri exemplum in medium afferre, quem ego libenter auctorem secutus sum, qui (vt arbitror) eadem de causa, qua ego, cùm idem nomen haberet, repudiato vetere nouum assumsit? M. Antonius Flaminius, qui sua elegantia dicendiq; venustate doctorum omnium

in se ora conuertit, cùm puer esset, & Bononiæ sub patre suo ludi magistro literis operam daret, quemadmodum à multis fide dignissimis accepimus, & præsertim ab hoc nostro ciue Francisco Minutio Calui, qui maximam cum Flaminio familiaritatem habet iam inde à pueritia cœptam; Antonius Maria dicebatur. Hic postea cùm in literis plurimùm profecisset, & Bononia Romam transmigrasset, se Marcum Antonium appellauit. Quæ res illi nunquam dedecori, sed magno semper honori fuit. Nam eius pater Ioannes Antonius, cùm esset Imolæ natus obscuro loco, se in Flaminiorum gentem inseruit, & Antonius Flaminius dici voluit: vt non tantùm propter literas, sed etiam propter nominis dignitatem clarior fieret: quod alijs etiam plurimis ante se concessum fuisse intelligebat. Et meritò. Nam si Romani, prudentissimi viri, Candidatis suis, (vt in Historijs habemus) quo tempore prehensare volebant, magistratusque petere, sibi nomina patriciorum, & nobilissimarum familiarum adoptare concedebant, quò gratiores essent ad populum, & facilius, quem peterent, magistratum assequerentur; qua in re de Reipubl. administratione atque salute agabatur: quantò magis nobis Musarum Candidatis concedendum est, nomen illud, quod elegantius visum fuerit, assumere; cùm præsertim hac in re nemo damnum à nobis possit aut detrimentū accipere? Quare lepidè Pŏponius Lætus, vir summa eruditione atq; dicendi elegantia clarus, cùm à Paulo Secundo Pontifice Maximo, cuius consuetudine familiariter vtebatur, molli quodammodo

brachio

brachio reprehenderetur, quòd mutato nomine, cùm antea Bernardinus diceretur, se Pomponium Lætum vocari iuberet: quid hoc, inquit, ad te Pontifex Maxime? an si me Fœniculum appellari voluissem, id reprehenderes? Risit ad hanc responsionem Pontifex; neque illum impediendum esse censuit, quò minùs suo sibi arbitrio nomen adoptaret. Cùm igitur propè innumerabilia sint eruditissimorum hominum exempla, qui suo arbitratu noua sibi nomina finxerint, quos nemo tamen vnquam non solùm in iudicium vocauit, sed ne grauiùs quidem reprehendit: neque satis aduersariorum meorum insciti admirari, qui hæc tam clara, tam aperta, tam vsitata pro nefario scelere mihi obijciant; cùm præsertim hoc non tantùm à literatis hominibus, sed etiam à plerisque alijs quotidie fiat. Quis enim nescit, eos, quos appellamus Monachos, cùm in religiosorũ conuentus & cœnobia transmigrant, vetera nomina deponere, & alia noua sumemere? Quòd si mutatio nominis esset improbanda, quis eo tẽpore, quo maximè religioni se addicit, aut sibi nouum nomen eligeret, aut à religionis Antistitibus pristinum nomen suũ immutari pateretur? Hos idem puellæ faciunt, quæ more Vestalium virginum perpetuam Deo castitatem vouentes, monasteria, quæ vocant, ingrediuntur. Nam aut ipsæ sibi permissu præsidum suarũ nouum nomen eligunt, vetus repudiant, aut à præsidibus oblatum recipiunt. Quid, Pontifices Maximi suntne eo nomine contenti, quo die suo lustrico fuerant insigniti? Minimè verò. Nam cùm Pontificatũ ineunt, aliud confestim sibi nomen assumunt. Et-

quisquam adhuc dubitabit, quin accusatores isti me apertè calumnientur, & falsò dictitent, contra omnium consuetudinem me mihi nomen immutasse! Cùm & pleriq; literati viri, & quicunque religionis gratia nouas viuendi rationes suscipiunt, nouos sibi amictus inducunt, & ipsi deniq; Pontifices, à quibus tota religio nostra fulciri creditur, sibi nomen immutare soleant. Profectò non hæc tam perspicua, tamq; peruulgata negarent, nisi eos vel malicia, vel inuidia cæcos omnino redderet. Nam in eo quoq; me non sane leuiter accusant, quòd gentis ac familiæ meæ nomen dimiserim, & Maioragij cognomen assumserim. Tamque insipientes atque ignari rerum esse videntur, vt quod ego modestiæ gratia feci, putant arrogãter à me factum. Existimant enim, Maioragium à me fictum esse cognomen à maiore, quod eis maior esse velim: quorũ opinio quàm ridicula sit atq; inepta, vel puero perspicuum. Sed vt facilùs consilij mei rationem intelligatis, P. C. breuiter, vnde familia nostra duxerit originem, explicabo. Quo tempore Longobardorum rex Desiderius apud maiores nostros in hac Cisalpina Gallia rerum potiebatur, tres fuerunt fratres, ipsius regis propinqui atq; necessarij, quippe qui ex eius sorore nati fuerant: quorũ primus Amphortius, alter Fusius, tertius Catus vocabatur. Hos, ipse rex, non tantũ quia propinqui erant, sed etiam quia singulares eorũ virtutes & in bello & in pace fuerat expertus, maximis honoribus prosecutus est. Et præter alias dignitates atq; egregia munera, quibus eos affecit, totum etiam tractum illum, qui inter Nouocomum & Leucum extenditur,

ditur, & sursum versus vsque ad Larij diuortia, largitus eis est : quo tractu continetur ea, quæ plebs Incimi dicitur, & tota Brigantij montis regio, vino clarissima, totaq; vallis Asinia, atque etiam aliæ nonnullæ regiones. In quibus locis considentes tres illi fratres, honoris gratia sunt ab ipso rege Comites appellati. Quod nomen non ita pridem eo tempore cœperat esse dignitatis; cùm apud veteres Latinos in ea significatione nusquam reperiatur. Hinc igitur factum est, vt horum trium fratrum posteri sint Comites nominati. Vnde postea familia Comitum longo tempore Mediolani floruit, atque etiam hodie multis nobilissimis & eruditissimis viris floret. Sed vt ad tres illos fratres reuertar : Amphortius, qui ex illis natu maximus erat, Maioragium vicum extruxit, atque in eo turrim, cuius adhuc in domo mea paterna, post septingentos atque amplius annos, quædam extant vestigia atque fundamenta; hic nostri generis auctor fuit; atque ab hoc Amphortij Comites maiores mei dicti fuerunt. Fusius autem & Catus nonnullos alios vicos cum turribus ædificarunt : vnde etiam hoc tempore multi sunt in eis locis, licet obscuri atque ignobiles, qui Comites Fusij, & Comites Cati vocentur. Ab his maioribus orta Comitum familia, complures habuit claros atque illustres viros : qui, vt arbitror, nominis ambiguitatem vitantes, ne re vera Comites esse crederentur, & ea dignitate potiti, quam non haberent; non se Comites, sed vel de Comite, vel de Comitibus inscribebant. Verùm cùm hoc locutionis genus à consuetudine Latini sermonis abhorreret;

Supra orat. 8. pag. 143.

primò vir eruditißimus auunculus meus, qui permul-
tos annos Mediolani magna cum gloria publicè doc-
it, cùm elegantiæ ſermonis admodum ſtudioſus eſſet,
non amplius ſe de Comitibus, vt cæteri faciebant, ſed
Petrum Comitem cœpit inſcribere. Vidi ego nonnul-
las eius lucubrationes, ſanè perquam eruditas, cũ hac
inſcriptione: Petri Comitis. Hunc imitati ſunt eius
fratres Iacobus & Aluiſius, atque etiam pater meus
Iulianus, qui horum ſororem Magdalenã, matrem me-
am in matrimonio habebat. Nam hi omnes ſe perpe-
tuò Comites inſcripſerunt. Quos deinde ſubſecuti
Primus & Antonius Aloyſij filij, conſobrini mei, per-
gunt etiam nunc eodem ſe modo inſcribere. Verùm
ego, cùm hoc nomen Comitis hoc tempore ambiguum
eſſe viderem, & ab omnibus, quibus familia noſtra
nota non eſt, pro dignitate capi intelligerem: ſtatui
mihi eſſe dimittendum: cùm præſertim Maioragij co-
gnomentum haberem adhuc à patre hæreditarium.
Ne id fortaſſe mihi aliquando accideret, quod Pri-
mo Comiti conſobrino meo contigit. Qui cùm in
Germaniam ea de cauſa profectus fuiſſet, vt Eraſmi
conſuetudine per aliquod tempus frueretur, priu-
quam ipſum Eraſmum conueniret, ad eum literas de-
dit, quibus aduentus ſui cauſam declarabat, quarum
in extrema parte nomen ſuum, vt fit, ita ſubſcripſe-
rat: Tui ſtudioſiſsimus Primus Comes Mediolanen-
ſis. Hanc cùm Eraſmus ſubſcriptionem vidiſſet, ere-
didit ſtatim magnum aliquem adeſſe Principem, ſui
viſendi gratia. Quare licet admodum ſenex & infir-
mus eſſet, tamen quo ſtudio, quoque apparatu potuit,

obui-

obuiam consobrino meo longè processit: Sed pòstquam homunculum vnum, nullo comitatu, nullo seruorum grege stipatum, & bene quidem literatum, sed nullo elegantiori cultu vestitum reperit: errorem suum ridere iucundissimè cœpit: & tamen eum sibi multò gratiorem aduenisse, quàm si magnus Princeps fuisset, multis audientibus testatus est. Eadem ratione deceptus aliquando fuit in nomine meo vir insignis ac literatus Sebastianus Gryphius. Cùm enim ad eũ literas dedissem, & me Comitem inscripsissem, ille mihi tanquam alicui Principi respondit, & clarissimum Comitem non semel appellauit. Itaque cùm hoc aduertissem, & exemplo quàm plurimorum & doctissimorum hominum me familiæ nomen prætermittere posse intelligerem: statui nomen illud Comitis omnino mihi dimittendum esse. Sunt enim innumerabiles penè literati viri, qui relicto familiæ nomine, vel à regione, vel à loco, vbi nati sunt, sibi cognomen assumserunt. Vt Erasmus penè diuino vir ingenio, qui de re literaria nostro tempore plurimùm bene meritus est, à vico, vbi natus erat, se Roterodamum appellauit. Vt Antonius Nebrisensis, qui primus apud Hispanos literas illustrauit: ita Petrus Marsus, Antonius Volscus, Raphaël Volaterranus, Antonius Minturnus, infinitiq; alij. Quod aduersarijs meis nouum videri mirũ est, in hac præsertim ciuitate, in qua plurimæ familiæ nomen à vicis, vnde traxerunt originem, seruant. Vnde enim Andreas Alciatus, Iurisconsultorũ facilè Princeps, nomen habet? an non ab Alciato vico, qui non amplius quinque millia passuũ à Maioragio distat? At-

que hoc ego nomine nonnunquam gloriari soleo, qui
mihi fortuna dederit, vt incunabula generis exo
dem penè loco cum Alciato traxerim. Quid Fann
norum nobilißima gens? quid Cusanorum? quid La
pugnanorum? quid Legnanorum? quid Card
rum? quid Briuiorum? quid plurium aliarum, quae
diolani clarißimæ sunt? an non omnes à vicis, qu
agro Mediolanensi omnes extant etiam hoc tempo
nomen habent? Quis non igitur vehementer admir
tur, tam insipientes atque amentes istos accusato
esse, vt se vobis hoc persuadere posse sperent, contr
omnium consuetudinem esse factum; qui tanta ip
prudentia sapientiaque præditi, vt non tantùm qu
in communi consuetudine sit, verùm etiam quid o
nino fieri oporteat, aut liceat, omnium optimè cogn
catis. Hoccine igitur vobis præter omnium consue
dinem videri potest, quod à tot eruditis viris, à tot r
ligiosis, à tot summis Pontificibus, à tot clarißimis
milijs frequentißimè fieri consueuit? At dicet fort
quispiam, hoc esse nouum, & à veterib. minimè fac
tatum! Quod etsi concedam, non tamen ideo vinc
aduersarij, contra consuetudinem esse factum. Quan
am ex quo tempore nostra persuasio fidesq; Christ
na vigere cœpit, etiam hæc mutandi nominis consue
do cum ea inualuit. Nam & ipse Christus, auctor
parens nostræ salutis, nonnullis ex discipulis suis nom
Marci 3. na mutauit: & postquam ipse in æternam domum s
am concessit, eius legati, quos Apostolos vocamus, a
ferè omnibus, quos Christo & sacris eius initiasset,
nomina mutabant. Quare tam prisca, tam iniqua, tam

vetu

vetus hæc consuetudo videri potest, quàm persuasio nostra, quàm fides Christiana. Sed quid dissimulare opus est? Quasi verò mihi probare difficile sit, mutandorum nominum vetustissimam esse consuetudinẽ, quemadmodum & ex sacris Hebræorum libris, & ex historijs intelligi facilè potest: nisi mihi satis esset ad victoriam, ostendere, nequaquam à Christianorum moribus hanc mutandi nominis rationem alienam esse. Sed tamen illud non prætermittam, multis de causis apud veteres illos Romanos, diligentissimos nominũ obseruatores, pristinum immutari nomen consueuisse. Primò enim quoties peregrinus aliquis ciuitate donabatur, & ciuis Romanus fiebat, is arbitratu suo nomen Romanum, quod sibi magis placuisset, eligebat. Sic Archias Poëta posteaquam ciuis Romanus factus est, A. Licinius dici cœpit. Sic Antipater Historicus ciuitate donatus, L. Cælij nomen assumpsit. Sic Demetrius Mega in Romanam ciuitatem ascitus, P. Cornelius factus est. Sic innumerabiles alij ius Romanæ ciuitatis adepti, quæ gratiora sibi fuissent, nomina capiebant. Deinde illam etiam apud Romanos fuisse consuetudinem obseruauimus, vt cùm plebeius aliquis equestrem dignitatẽ adipisceretur, nouum sibi, repudiato vetere, nomen adoptaret. Quin apertè Plutarchus ostendit, apud Romanos licuisse cuilibet volenti mutare nomen, cùm de Cicerone sic in eius vita scribat: Cùm primas dignitates Reipub. cœpisset attingere, & ab amicis suis crederetur id nomen aut omnino vitaturus, aut in aliud commutaturus, iuuenili quadã audacia dixisse traditur, Se certaturum splendidius Scauris atq; Catulis

lis nomen Ciceronis efficere. Nã qua ratione
didissent amici, sibi Ciceronem fuisse nomen mut
rũ, nisi fuisset apud Romanos ea mutandi nomina
suetudo? Quid, illud an non apertissimũ est, om
qui se in adoptionem alicui dabant, noua semper
optantium nomina sumere solitos, vt Scipio Aemi
nus, Fabius Rutilianus, Cæsar Octauianus, plur
alij fecerunt? Quid, in adeundis hæreditatibus
non obseruatum fuisse legimus, vt sæpenumero eu
quo fuissent hæredes instituti, nomen acciperen
M. Brutus Q. Cæpionis nomen assumpsit, vnde p
Q. Cæpio Brutus fuit appellatus: sic Pomponius
ticus propter Q. Cæcilij hæreditatem, Q. Cæci
Pomponianus à Cicerone dictus fuit. Quin eti
sæpissimè fiebat, vt qui testamenti factionem h
rent, cùm aliquem sibi ciuem hæredem eligerent,
um iuberent nomen immutare. Quod ad Attic

In Epist. ad Attic. li. 7. ep. 8.

scribens, his verbis ostendit Cicero: Dolabellã vi
Liuiæ testamento cum duobus cohæredibus esse im
ente: sed iuberi mutare nomen. Est πολιτικὸν
σχῆμα, Rectúmne sit nobili adolescenti mutare
men, mulieris testamento. Quid præterea, nónne
ti sibi ab alijs oblata nomina libenter arripuerunt,
sertim si noui homines fuissent, & aliquid hon
aut gloriæ nomen illud nouum allaturum videret
Vnde enim Cato ille maior, vir insignis omni virtu
genere, nomen habuit? an non ex prudentia atq;
ditate sua? Cùm enim esset prorsus ignobilis, & m
suo paterno Tusculano Priscus vocaretur, à M. Va
rio Flacco Romã deductus, non ita multò pòst ob
mu

miam virtutẽ Cato cognominatus est. Nam Romani (quod ait Plutarchus) eum, in quo multarum rerum vsus atque scientia sit, Catonẽ nominant. Quod quidem nomen adeò sibi libenter adoptauit, vt se non alio nomine postea passus sit vnquam appellari. Quid Valerius Publicola, nónne libenter honoris gratia sibi oblatũ à populo Romano nomen arripuit? Quid Plato, cùm priùs Aristocles ex aui nomine vocaretur, an non cùm propter egregiã humerorũ latitudinem, & frontis amplitudinem ab ijs, qui cum eo versabantur, Plato cognominatus fuisset, tam cupidè nomen illud amplexus est, vt nunquam postea dimiserit? Quid Theophrastus Eresius, cui Tyrtamo nomen antea fuerat, nónne cùm eum ob diuinam elocutionem præceptor eius Aristoteles Theophrastum appellaret, sibi postea tanquam propriũ nomen illud asciuit, & in Operibus suis inscribere non dubitauit? Quid Homerus, cùm antea Melesigenes diceretur, an non, postquam cœcus factus est, & ducis indigeret, Homerus dictus est? Iones enim & Cumæi captos oculis, Homeros vocant, eò quòd ducibus egeant: hoc igitur nomen, reiecto, priore, semper postea tenuit. Quinetiam nonnullis clarissimis mulieribus hanc nominis mutationem vehementer placuisse legimus. Mater enim Euandri illius Arcadis, quæ Latinarum literarum auctor & inuentrix fuisse dicitur, cùm antea Nicostrata vocaretur, postea propter diuinandi scientiã, & diuinorum carminum interpretationem, Carmenta fuit appellata. Tanaquil autẽ sapientissima fœmina. Tarquinij Prisci coniux, postquã Romã venit, maritumque suum Re-

In vita Catonis Maioris.

Regem vidit, nomen etiam Romanum habere volu-
it aque Caia Cæcilia dicta est. Quod autem præter-
tendi gentis atque familiæ nominis antiquissima cu-
suetudo sit, declarant omnes ferè Græcorum appel-
tiones, in quibus, vel à regionibus, vel à ciuitatibus a-
oppidis sibi nomen assumunt. Cùm tamen credibile s
in suis regionibus ac ciuitatibus, suarum familiarum
nomina singulos ab alijs habuisse distincta. Sic Aris-
teles Stagirites inscribitur, Plato Atheniensis, Eu-
des Megarensis. Theodorus Cyrenaicus, Pythagor
Samius, Gorgias Leontinus, Pindarus Thebanus, Pi
tacus Mitylenæus, Thales Milesius, Chilo Lacedæm
nius, Bias Prienensis, Periander Corinthius, Cleo-
lus Lyndius, Solon Atheniensis, alijque innumer
les. Quin etiam apud Latinos eiusmodi sunt insig
tiones, vt T. Liuius Patauinus, Apuleius Madau
sis, Lucanus Cordubensis, Silius Italicus, Auson
Burdegalensis. Multa præterea consultò, P.C. ne vi
ar magis aliorum exemplis, quàm rationi confida
Docet enim nos ipsa ratio nihil referre, non tam
quo singuli homines, sed etiã quo quæque res nom
vocetur: modo tale nomen imponatur, vt per illud
ea, quam significare volumus, intelligi possit. Sum
nim ab ipsis hominibus excogitata nomina, non
sanè de causa, nisi vt per ea res inter se discernantur
nam qua ratione, nisi nomine rebus addantur, hæ
illa distingui atque separari poterit? Sed tamen qui
ties inter homines de rebus ipsis conuenit, nihil op
tet (vt apud Platonem ait Socrates) de nominibus
se solicitos: quoniam nullum alium nobis vsum nomi-

In Cratylo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

na præstant, nisi vt per ea res intelligamus: quæ cùm à nobis perceptæ fuerint, posſimus eas, quocunque nobis placuerit, nomine vocare. Quid enim prohibet, quò minùs inter se conuenire posſint homines, vt quem nunc equum (exempli gratia) vocamus, postea bouem appellent, & contra, quem nunc bouem, equū postea nominent? Cùm enim homines ipsi nominum formatores fuerint, & noua semper nouis rebus nomina imposuerint, etiam arbitrio suo possunt ea, quoties sibi placuerit, immutare. Quòd si post homines natos & primā nominum impositionem, veteres illi statuissent, nulla esse mutanda nomina, certè nunquam tanta linguarum varietas accidisset: sed ijsdem nominibus Hebræi, Græci, Latini, cæteræq; nationes omnes vterentur. Nunc cùm vnaquæque natio suo arbitratu sibi nomina fingat, idq; licere omnes arbitrentur, fit vt non tantùm in diuersis prouincijs, sed etiam in eadem regione, atque adeò ciuitate, res vna varijs nominibus appelletur: tantumque in hac nominum mutatione consuetudo valet, vt non tantùm homines, belluæ, plantæ, res vniuersæ, quæ ad vsum hominum accommodantur, sed etiam flumina, montes, regiones, vrbes, vetus nomen amittant, & nouum accipiant. E quibus exempli tantùm gratia nonnulla commemorabo. Tyberim fluuium, ab antiquis Albulam dictum fuisse legimus. Padum, scribit Plinius, à Liguribus Bodincū olim appellatū fuisse. Quem antiqui Rubiconem vocabant, vulgò nunc Pisatellum dicunt. Quem Lirim veteres, nos Garilianum. Quid, an non vulgò nunc Mongi-

Nat. hist: lib. 3. c. 16.

Mongibellus mons ille Siciliæ dicitur, quem Aetnã ve-teres appellarunt? Nunc Caput Solis vocant, quod o-lim Zephyriũ promontorium. Colonã verò, quod a-às Laciniũ. Quid, regiones ideinne ſeruant perpe-nomen? Minimè verò. Nã Italia quot nominibus a-pellata fuit? modò Oenotria, modò Heſperia, nunc Au-ſonia, nunc Saturnia, nunc Latiũ. Quid, Italiæ popu-vbi Samnitũ hoc tempore, vbi Sabinorũ, vbi Veien-um, vbi Volſcorũ nomen? cùm tamen adhuc eædẽ re-nes, ſed alijs nominibus ſuperſint. Iã verò ciuitat-in Italia plurimæ, ſicut alibi paſſim, nouũ nomen ſorti-tæſunt. Papia nunc eſt, quod olim Ticinũ fuit. Qu-Caſtelli ciuitas vulgò dicitur, olim Tiſernũ fuit. Qu-Vaſtũ hodie vocant, apud antiquos Iſtoniũ voca-tur. Populonia dicebatur aliàs, quod nunc Plumbi-Cornetũ vulgus appellat, quod Ptolemæus Caſtrũ n-uum. Traiectũ nunc eſt, quæ iampridẽ Minturnæ fu-rant. Sed quid hæc pauca perſequar, cùm & in ipſa-talia, & in alijs prouincijs omnibus, omnia ferè ve-ra nomina ſint penitus immutata? Rectè enim Po-quidam cecinit:

Auſonius. ſed pro nominibus, marmorib

Mors etiam ſaxis nominibuſq; venit.

Videntur enim homines ſemper hac nominũ v-rietate magnopere delectati, non tantùm in ſuorũ n-minum mutatione, ſed aliarũ etiam penè omniu-rerum: vt nihil omnino reperiatur, quod idem pe-petuò nomen apud omnes nationes conſeruare poſſ-videatur. Quæ cùm ita ſint, P. C. vobis iã aperti-ſimè conſtare poteſt, non eſſe hanc nominis mutatio-nem contra omnium conſuetudinem, quod aduerſari

nimis imperitè mihi obiecerunt. Cùm & doctorum hominum, & religiosorum, & Pontificum, & omnium denique, quibuscunque visum fuerit, hunc esse morem, & semper fuisse docuerim, vt & suo sibi arbitrio nomen immutarent, & ab alijs oblatum, quod gratum esset, arriperent. Quam quidem consuetudinem nulla sit ratio, quæ rectè possit improbare: cùm aliud atq; aliud, prout hominibus placuerit, res singulæ nomen accipiant. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare nominis mutatio sit & à legibus concessa, & à communi consuetudine comprobata. Restat, vt etiam de honestate atque decoro nonnulla dicamus. Quod cùm fecero, perorabo. Hoc enim tertium fuit eorum, quæ mihi accusatores obiecerant. Cui quanquam ex ijs, quæ iam dicta fuerunt, satis responsum esse videri possit: (nihil enim contra decorum est, quod ex communi consuetudine, legibus ipsis concedentibus, fiat) tamen ne quid omnino dubitationis in cuiusquam animo relinquatur, etiam huic parti respondebo. Opponunt mihi grauissimum honestatis atque decori nomen, quo fieri non potest, vt non vehementissimè commouear. Etenim id vnum semper ab ineunte adolescentia summo studio conatus sum, vt nihil vnquam aggrederer, quod aliquo modo turpe atque indecorum esse videretur. Quòd si mutatio nominis contra decorum atque honestatem esset, vani fuissent omnes conatus mei, vani labores, vana omnis industria. Quid enim mihi vita prodesset honestissimè atque decentissimè acta, si nomini meo turpitudinis atq; dedecoris nota inusta esset sempiterna? Verùm vt in

alijs, quæ iam aperte refutauimus, ita etiam in hac parte me accusatores iniustè calumniantur. Quid enim turpitudinis habet, quid indecori, Nominis mutatio? Num quia res iniusta sit atq; impia? Sed quæ iniustitia, quæ impietas hac in re esse potest? Deorúmne religio, mutando nomine, violatur? generísne humani societas offenditur? Estne hac in re aliqua aut libidinis aut auaritiæ, aut vllius improbitatis suspicio? Estne aliquid eiusmodi, quod animum à virtute alienum ostendere possit? Nihil sanè horū non solùm dici, sed ne fingi quidem potest. Cur ergo indecorum? An quia sapientes & eruditi homines ab eo facto refugiant? Immò verò iam à nobis copiosè demonstratum est, plurimorum hominū, qui doctrina atq; sapientia excelluerunt exempla reperiri, qui sibi nomina commutarunt. Quod autem sapientum exemplo fit, id etiā omnes rectè fieri existimant. Quos enim imitari debemus, nisi doctos & sapientes viros? Quorum nobis vitā, quorum facta atq; dicta proponenda putemus, nisi eorum, qui, quod pulcherrimum factu atq; dictu est, optimè calluerunt? Quòd si rectum est clarissimorum hominum exemplo sequi: profectò erit etiā decorum atq; honestum. Quod enim rectè fit, id vt honestè quoq; decoreq; fiat necesse est. Cur hoc (inquam) indecorum? An fortasse quia lege prohibitum est? At hoc etiam ostendimus, tam à diuinis, quàm ab humanis legibus apertè concessum esse. Quod autem iure conceditur, id iustum esse nemo non intelligit. Nam quæ legum esset vtilitas aut vsus, si, quæ sunt iniusta, nominatim concederent? Ergo sequitur, vt idem etiam decorum sit. Quid ad hæc contrà

trà dici potest? Vel enim hoc factum meum iustum est, vel iniustum. Sed iniustum non esse (propterea quòd & ab eruditis atq; sapientibus viris vsurpetur, & à legib. permittatur) ostensum est. Restat igitur, vt iustum esse necessariò cõcludamus. Idne igitur vos, P. C. quod iustum est, contra honestatem atque decorum esse iudicabitis? Profectò nunquam cadet in istam sapientiam vestram tam iniquum iudicium. Quis enim non videt, hæc argumenta luce esse clariora? Sed quibus tandem rationibus aduersarij nominis mutationem, contra decus atque honestatem esse probare conati sunt? Primum (opinor) hoc eorum est argumentum: Is, quem veteris nominis pœnitet, omnes in leuitatis atque inconstantiæ suspicionem inducit. Nihil autem inconstantia atque leuitate turpius, aut magis indecorum videtur. Qua in parte possum id ego dicere, quod olim vulpes, cùm in cuiusdam artificis domum esset ingressa, pulchramque capitis imaginem intueretur: O quale caput (inquit) sed cerebrum non habet! Nam qua ratione probatis, aduersarij, eum in leuitatis atque inconstantiæ suspicionem incidere, quem veteris nominis pœnitet? Quæ causa est, cur ea suspicio suscitari debeat? Cur inconstans aut leuis existimandus est, qui dolet eare, quam immutatam esse cupiat, cùm præsertim eam mutare concessum sit? Eadem ratione dicetur leuis, quem ignobilitatis, quem paupertatis, quem morbi, quem vitiosorum parentum, quem denique status sui pœnitet. Quod si verũ sit, erunt inconstantes omnes, qui sua virtute familiam nobilitare, rẽ familiarẽ augere, valetudinẽ tueri

vitia parentum occultare, dignitatis acquirere cõten-
dunt. Quo quid absurdiùs dici potest? Cur autem ma-
gis inconstans esse videatur, qui nomen, quàm qui ve-
genus mutat? Eorum enim omnium, quæ à parentib
accepimus, vna ratio esse debet, vt ea vel æquè conser-
uari debant, quamuis minimè grata sint, vel æquè mu-
tare liceat. Quòd si debent omnia conseruari, profectò
leuis & inconstans erit, quicunq; eorum aliqua mu-
tauerit. Quo fiet, vt in eodem statu sit vnicuiq; perpe-
tuò viuendum, neque quisquam ignobilis & obscuro
loco natus, vnquam emergere atque in luce versari
possit: sed etiamsi aut felici ingenio, aut prospera fo-
tuna adiuuetur, tamen ei necessariò delitescendum
sit. Quòd si hæc absurda sunt, & pleraq; mutare lice
eorum, quæ à parentibus accepimus, omnesq; laudo-
tur, qui se suamq; familiam quotidie reddere conan-
tur illustriorem, quiq; semper in melius vitæ suæ ratio-
nes promouent: cur is constans appellandus est, qu
cùm industria sua, labore, diligentia iam emergere
cœperit, & omnia ferè, quæ à maioribus suis accep-
rat, immutarit, nomen etiam commutare velit? Qu
enim est propriè leuis & inconstans appellandus, a
hoc nomen in quẽ peculiariter cadit? Opinor in eum
qui nequaquam in vna recta sententia persistit, sed
modò hoc, modò illud concupiscit. Qui verò, re multum
deliberata & perpensa, tandem statuit nouum sibi no-
men adoptare, quo posteà per omne vitæ spacium
vtatur, quis eum leuem aut inconstantem iustè posse
appellare? Non hercle magis quàm qui rurinatus, aut
in aliqua humili atq; abiecta patria, tandem eam de-
serat

deserere constituit, atq; in florentissima ciuitate viuere. Quòd si nemo leuem eum existimat, qui nobilissimæ ciuitatis ius acquirere contendit, & pristinam penitus patriã deserit: cur is leuis habeatur, qui pulchrum sibi nomen quærit, vetus repudiat, cùm præsertim ea fuerit antiquissima consuetudo, vt qui noui ciues fierent, etiam noua nomina sumerent? At mutatio nominis grauitatem non habet! Immò verò tantam habet, quantam etiam mutatio patriæ vel ciuitatis. Quare Cato Censorius, cùm ex Tusculano Romanus ciuis esset factus, etiam ex Prisco (sic enim priùs vocabatur) factus est Cato. Quòd si grauitatem non haberet mutatio nominis: cur sibi Pontifices nomen immutarent? cur Christus quibusdam discipulis suis nouum nomen imposuisset? cur eiusdem legati quoscunque sacris initiassent, eis nomen etiam mutare voluissent? cur etiam nostro tempore quoties alienigena Christianus fit, pristinum nomen repudiat? Sed iterum insurgit, atq; eloquio tonat accusator Fabius. Omnes (inquit) qui sibi nomen mutant, parentem primum mandatum contemnunt atque despiciunt, parentum prima munera parui pendunt, parentum voluntatem irritam faciunt Quis has tam acres exclamationes non vereatur? quis hæc eloquentiæ fulmina non pertimescat? Equidem toto corpore perhorrescebam, cùm illud Parentum repetitoties audirem: itaque, quò me verterem, nesciebam. Videbar enim videre, tam acri lugubriq; accusatoris vociferatione à mortuis excitatos adesse cum flagello parentes meos, qui me grauiter increparent, & verbera minarẽtur, nisi pristinum

nomen resumerem. Hoc certè tanti ponderis e
quanti illud, quo me nuper idem accusator grauiss
mr insectatus est. Cùm enim nubilo cœlo pluuioq
mihi domo exeundum esset, & toga domi relict
pallio breuiori in publicum prodijssem, vt primu
iste vidit, summa voce multis audientibus exclam
re cœpit, me decorum non seruare, nimis inhon
stè gerere, sibi cæterisque collegis dedecori esse, fo
re vt breui me leuitatis eius pœniteret. Iudicem
videlicet hoc iam tum mihi minabatur. Itaque m
ror, cur hoc tantum crimen relictæ domi propter plu
uiam togæ, in accusatione sua non inseruerit, & n
non tantùm nomen, sed etiam vestes & habitum m
tasse coarguerit. En virum dignissimum, qui mo
bus præficiatur. Quid in grauissimis criminibus eum f
cturum existimamus, qui leuissima tam acriter ins
ctetur? Sed illud mihi Iuuenalis in mentem ven
surpare:

Satyr. 2. Vltra Sauromatas fugere hinc libet, & glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.

Indocti primùm. Nam si mihi liberet accusa
facilè possem ea de aduersarijs meis proferre, testim
nijsq; comprobare, quæ certè nobis, P. C. longè grau
ra & maiori pœna digna, quàm nominis & togæ m
tatio viderentur. Sed habeant per me totum vitæ su
spacium multis flagitijs inquinatum, solutum ac libe
rū, nihil à me de grauissimis vitijs peccatisq; suis audi
ant. Neq; enim id facere possum, à quo me primò n
tura deduxit, deinde consuetudo remouit, postremò

voluntas auocauit. Satis est mihi tam castè atq; integre viuere, vt nemo iustè me accusare possit, aut si accuset, apertè calumniari videatur. Quomodo autem cæteri viuant, quos emendare ego atq; in rectam viam reducere non possum, non admodum mihi curandum esse censeo. Sed ad rem redeamus. Quodnam est hoc parentum mandatum, quod à me contemptum & spretum dicis, Fabi? Solentne parentes filijs suis præcipere, ne nomen mutent? Certè si ita est, grauiter peccant, quicunque sibi nomen mutant. Parentum enim voluntati, quæ non iniqua videatur, semper obtemperare filij debent. Verùm quid alijs accidat, nescio, mihi certè nunquam parentes mei, ne nomen immutarem, præceperunt: itaque non intelligo, cur à me parentum mandatum neglectum fuisse dicas. Sed quid, si viuo patre, & consentiente & approbante, nomen mutaui, erisne tamen tam improbus, vt affirmes, à me contemptum fuisse parentum mandatum? Tertius enim hic annus est, ex quo quædam Opera mea, sub eo nomine, quod mihi adoptaui, typis excusa & peruulgata sunt. Pater autem meus anno superiore meis in complexibus animam egit: contra cuius voluntatem atque nutum, quoad vixit, non modò quicquam non feci, sed ne facere quidem tentaui: quem ita diligenter obseruabam, vt parentem decet: ita vehementer amabam, vt eum qui, licet in tenuissima re familiari versaretur, nulli tamen vnquam sumptui pepercit, vt me bonis in artibus atque disciplinis eruditum aliquando videre posset: ita cum eo consilia omnia mea communicabam,

vt ne latum quidem (quod aiunt) vnguem ab eius se-
tentia mihi descedendum putarem. Hoc igitur ille n-
men approbauit, huic mutationi consensit, hoc me n-
mine sæpiùs appellauit. Adsunt testes ex municipio
meis plurimi, summa virtute, fide, religione viri, qu-
bus hoc notissimum est, qui sæpe hoc à patre audierunt
qui de honore atq; dignitate mea soliciti sunt, qui s-
sponte Mediolanum ad hoc iudicium testimonium d-
cturi venerunt. Hos, si vobis placuerit, P. C. testes au-
dietis: quamuis hoc minimè necessarium esse videatur.
Neq; enim legislatores, qui nominis mutationem per-
miserunt, hanc exceptionē addiderunt: Extra quam
si parentibus minimè placuerit. Itaq; crediderim, n-
à parentib. quidem impediri filios legitimè posse, qu-
minùs aliqua probabili de causa, si visum eis fuer-
nomina mutent. Quāuis illud ego magnopere laudo
atq; approbem, nihil sine parentum consilio, dum v-
uunt, à filijs esse faciendum: sed postquam illi morte
obierint, tū cuiq; liberum atq; integrum esse, quod v-
tæ genus sequi, quod nomē habere velit. Præclaris enim
ingenijs sæpissimè accidit, vel imperitia, vel ignobilita
te parentum, vilia atque abiecta nomina sortiantur.
Qua potissimùm de causa factam existimarim, vt no-
mina, quæ minimè grata fuerint, mutare lege conce
sum sit. Quòd si parentes pulchra filijs suis nomina fi
derent imponere, magnum certè illis ornamentum ad
iungeretur. Tria sunt enim, quib. si fortè priuati sum
magno studio parentes acquirere filijs debent: Patri
Nomen, Artes. Quisquis igitur obscuro loco natus pa
ter, claros habere filios concupiscit, primò nobilem,
quam

quam incolat, sibi ciuitatem eligat, quoniam non tam frequenter familiæ, quàm ciuitatis nomen quæritur. Vt non sine causa Seriphius quidam obiecisse Themistocli dicatur, Non illum sua, sed patriæ gloria splendorem assecutum: cui tamen ingeniosè Themistocles ita respondit: Nec hercle, si ego Seriphius essem, ignobilis, nec, si tu Atheniensis esses, clarus vnquam fuisses. Hoc ergo in potestate patris primum est, vt, quam velit, filio patriam paret: deinde vt elegans atque egregium nomen eidem imponat, quæ certè res magnum plerisque decus & ornamentum afferre solet: Postremò, vt ingenuis eum artibus erudire contendat, quæ præcipuè in re splendoris omnis & gloriæ principium est. Quòd si quis fortè parentum culpa priuatus his rebus fuerit, in eius est arbitrio atque potestate situm, si voluerit, vt & patriam, & nomen, & artem commutet: neque vlla lex, aut vlla ratio reperitur, quæ illum iustè possit impedire. Sed vrgent aduersarij valida quadam (vt ipsi existimant) & quasi cornibus armata argumentatione: Qui nomen (inquiunt) familiæ mutat aut prætermittit, is vel claro illustriqúe loco natus est, vel certè obscuro atque ignobili: si claris est parentibus ortus, nominis mutatione genus & nobilitatem contemnere videtur, & à maiorum suorum lumine in tenebras decurrere: si autem obscuris & humilibus, seipsum eadem nominis mutatione prodit, & ignobilitatem suam coram omnibus confitetur. Hoc Chrysippeum esse Barones isti putant, atque huiusmodi, vt non modò à me, sed ne à Carneade quidem, si reuiuiscat, vllo modo dissolui possit. Itaque Cic. de Senectur.

diu atque ad nauseam vsque sunt in hac parte com-
morati, totaque nugarum plaustra super hac vnaq-
tione fuderunt. Sed videamus quid ea valeat, cum
ponderis sit. Claro loco natus, nominis mutatione
(aiunt) obscurior. Quomodo quæso? Num quia v
lius & abiectius sibi nomen adoptet? Quis autem ad
stupidus est, vt hoc faciat? Quisquis enim sibi nom
mutat, elegantius & splendidius quærit, non aut
sordidius & obscurius. Qua ratione ergo sit obscurio
nam etiamsi clarius & nobilius sibi nomen assum
Quis tam rerum ignarus est, vt hoc affirmare aude
Clarus erat Pauli Aemilij filius, datus est in adopti
nem Scipionum familiæ, nomen mutauit, postea Sci
pio fuit appellatus. Quid? eáne de causa contem
sisse nobilitatem suam videtur, eáne de causa à m
iorum lumine in tenebras decurrisse? Proh Deum
que hominum fidem, quantum stuporis, quantum
peritiæ præ se ferunt istæ aduersariorum rationes
Nobilissimus erat Octauius, eum C. Cæsar Dict
adoptauit, nouum nomen sumpsit, Cæsar poste
ctus fuit, hac aduersariorum meorum argumen
tione factus est scilicet ignobilior, genus suum conte
psit, tenebricosus quidam euasit. Hæccine sine
quisquam audire potest? Quot homines clarissim
periuntur, & apud veteres, & apud recentiores,
relicto familiæ suæ nomine, se in duas aut tres clar
res familias insinuarunt? Sed ne Historiam conte
re videar, vno tantùm summi hominis exemplo co
tentus ero, qui nostra memoria vel omnium erudit
rum celeberrimus fuit. Aldum enim audio, virũ illum,

cui tantum & Latinæ & Græcæ literæ debent, Bassianatem fuisse, qui tamen prima ætate, cùm iam floresceret, se Romanum primò scribere cœpit. Vidi ego permultas eius epistolas, in quibus ita nomen suum inscribebat: Aldus Romanus. Deinde non ita multò pòst, Manutiorum familiæ nomen assumpsit, & se longo tempore Aldum Manutium Romanum inscripsit. Postremò cùm Alberti Pij Carporum Principis amicissimus esset, etiam in eius familiam se insinuauit, & tandem Aldus Pius Manutius Romanus factus est. Hæc autem ideò commemoro, non vt aliquid de tanti viri fama detraham, quem semper omnium maximè sum admiratus: sed vt apertissimè doceam, hanc semper fuisse doctorum hominum sententiam, vt nequaquam contra decorum esse censerent, & suum & familiæ nomen vel mutare, vel penitus relinquere, & alia noua sumere. Nam ipsius Aldi filius, iuuenis cùm summa eruditione, tum orationis elegantia præstans, hoc tempore duobus parentis nominibus relictis, tantùm se Paulum Manutium inscribit. Quod autem aduersarij dicunt, qui sit obscuro loco natus, mutatione nominis ignobilitatem suam coram omnibus confiteri: non satis (vt ingenuè fatear) intelligo, quid sibi velint. Nam qua ratione mutando nomine ignobilitas ostenditur? An quia tantùm ignobiles mutare nomen soleant? Ad hoc falsum esse ne aduersarij quidem ipsi negabunt: cùm plurimi nobilissimi viri nomina mutasse legantur. Deinde quomodo coram omnibus ignobilitatem confitentur? Vtrum coram eis, à quibus cognoscuntur, an

quibus

quibus ignoti sunt? Si coram eis, à quibus cognoscu-
tur, nullam ignominiam aut dedecus affert ignobilita-
tis confessio, quin potiùs arrogantes haberentur, qui
nobiles esse dicerent. Itaque multi præstantissimi
viri generis etiam nouitate gloriati sunt, quòd à se ge-
nus suum, cùm antea fuisset obscurum, illustrauis-
pisset. Si coram eis, quibus ignoti sunt, hoc erit non
stri simile. Quis enim eum ignobilem esse credit, qui
ne natum quidem nouit? Quare quod in hac par-
te reprehendant, nihil omnino esse video. Sed te
men id concludam, quod, quicunque bene sentiu
verissimum esse mihi facilimè concedent, cùm in
bus ferè omnibus, tum multò magis in disciplinis
que literis, parum admodum, aut nihil ad glori
& honorem prodesse, quo quisque genere natus
dicatur. Vt enim quisque doctissimus & laborio
mus est, non vt generosissimus & nobilissimus, ita
amplitudine atque celebritate nominis maxime
cellit. Quid enim obfuit ad æternam gloriam Soc
ti, quod statuarij filius esset? quid Euripidi, quòd
litoris? quid Demostheni, quòd fabri ferrarij? q
Virgilio, quòd figuli? quid Horatio, quòd liberti
quid plurimis alijs, quorum nomine nihil hoc tem
re clarius? Desinant igitur aduersarij de genere
ba facere, quod vtrum clarum an obscurum sit,
hil nobis Musarum cultoribus omnino curæ esse
bet. Concedant tandem id, quod inficiari non p
sunt, siue quis nobilis sit, siue ignobilis, honestè at
decorè, si voluerit, immutare nomen posse. Cùm anno
superioribus in Ferrariensi Gymnasio Iuri ciuili op

ram darem, mihi fuit arctißima familiaritas & consuetudo cum Bartholomæo Ferrino, viro cùm morum integritate, tum eruditione certè singulari atque admirabili: cuius morte (nam anno superiore in Regiensi legatione mortuus est) nihil mihi iampridem acerbius euenit. Is igitur, vt mihi narrabant eius familiares, cùm esset obscurißimo loco natus, tamen propter excellens ingenium, breui tempore cœpit emergere, notusque pluribus fieri: donec eius fama impulsus Hercules Atteſtius Ferrariæ princeps, eum accersiuit, & Scribam suum à secretis esse voluit. Sed cùm eum admodum pauperem esse videret, cuiusdam ferrarij mercatoris ditißimi filiam, quam ille vnicam habebat, in matrimonium ei collocauit. Itaque cùm iam hac ratione ditior & clarior factus fuisset, vnaque cum socero, qui venale ferrum habebat, habitaret, se Ferrinum à soceri ferro cœpit appellare, suæque familiæ nomen supprimere. Quæres illi non modò nulli dedecori fuit, sed maximum etiam ornamentum attulit. Nam ipse princeps Hercules, eo nomine tantopere delectatus est, vt eum posteà nunquam alio quàm Ferrini nomine vocauerit, quem secuti quicunque eum norant, Ferrinum appellabant. Atque ita factum est, vt non ita multò pòst nullum esset in ea ciuitate clarius nomen, vt etiam nobilißimæ familiæ nouo homini Ferrino cedere viderentur. Potéstne igitur quicquam contra honestatem atque decorum esse, quod sæpißimè maximum honorem & dignitatem afferat? Hac sunt, P.C. rationes, hæ causæ, quibus adductus

ego

ego putaui nequaquam crimini mihi dari posse, s
quod non placebat, nomen immutassem: quod & a
eruditis virisfieri, & à legibus concedi, & ab bone
state atque decoro non abhorrere intelligebam. Nu
igitur percrata causa, nihil aliud superest, P.C. u
vt vos orem obtesterque per eam, quam erga me iam
pridem ostendistis, humanitatem atque benignitate
vestram, per aquitatem atque clementiam, qua
omnibus iudicijs vestris vti consueuistis, per summa
religionem atque incredibilem sapientiam, quam
vobis omnes admirantur: ne in hoc iudicio, nullo me
scelere, sed tantùm aduersariorum improbitate co
flato, dignitatem eam, qua me vestra sponte dec
rastis, & amplissima beneficia, quæ in me conte
stis, grauiore sententia deformare atque obscura
velitis. Si me in hoc iudicium non crimen aliqua
quæstionis proprium, non aliquid eiusmodi, quod su
lege seiunctum, aut ab honestis vitæ rationibus ali
num, sed accusatorum inuidia, nocendique cupid
tas vocauit: nolite quaso committere, vt quem v
immortali penè beneficio nuper affecistis, eundem ho
tempore maleuolorum iniquitate circumuentum, om
ni dignitate atque honore spolietis. Si me à puerit
deditum ijs disciplinis fuisse non ignoratis, quibus
struimur ad honorem, ad gloriam, ad dignitatem
si bonorum hominum industriam, continentiamq
semper imitari conatus sum, si cùm primùm mihi pot
ætatem licuit, adhortandis, docendis, concitandis a
ingenuas artes iuuenibus, de Republ. nostra, quem
facultas mea tulit, quàm plurimùm bene mereri stu
dui,

dui, si denique ea, quæ nisi vigilantes homines, nisi sobrij, nisi industrij consequi non possunt, labore & diligentia consecutus sum: obsecro vos, Iudices, ne patiamini potiùs exteras nationes, laborum meorum fructus, quàm iuuentutem vestram percipere. Mihi quidem hæc patria longè vita mea charior est, vt optimo cuique ciui esse debet. Sed si quid in hoc iudicio (quod Dij omen auertant) decretum à vobis fuerit, quod famam aut existimationem meam aliquo modo lædere videatur, omnino mihi maximo quidem cum dolore atque gemitu, sed quodammodò necessariò patria discedendum erit. Neque enim exultantes hac victoria inimicos meos, & quotidie mihi insultantes, vllo modo pati potero: neque in hunc tam mihi iucundum atque gratum conspectum vestrum prodire vnquam amplius ausim: denique ciuium, amicorum, familiarium, cognatorum consuetudinem, congressum, oculos euitare contendam. O tristem & calamitosam diem illum, quo mihi à domo mea, ab aris atque focis, à domesticorum amplexibus, à patria denique recedendum erit! O spem fallacem, & manes cogitationes meas, quæ in hoc medio vitæ spacio franguntur & corruunt, quæ in hoc amplificatæ nuper dignitatis curriculo antè sæuissimis tempestatibus obruuntur, quàm portum conspicere possint! Nam quid ijs dicam, qui me frequentes interrogabunt, cur hoc potissimùm tempore in hac, quam nobis Dij immortales bonitate sua concesserunt, pacis tranquillitate, in hac studiorum ac liberalium artium instaura-

ratione, cùm reliqui nostri Professores omnes in p
stinum locum restituti sint, ego solus à patria disc
serim. Poteróne seueritatem vestram accusare, P. C
quos omnes æquissimos & clementissimos esse scim
Poteróne cuiquam probare, me nullo scelere, nullo f
gitio, nullo, ne mediocri quidem, crimine condemn
tum, sed aduersariorum potentia, gratia, libidine, v
bis auctoribus oppressum, in eam calamitatem dec
nisse? Quisquámne credet, vnam tantùm in nomi
meo syllabam immutatam, tantopere vestros animo
commouere potuisse, vt ea de causa me notandum
famia censueritis? Vbi igitur vestra iampridem p
ctata & cognita fides, P. C. vbi religio? vbi miseri
dia? Nihílne poterit apud vos innocentia mea, n
amicorum preces, nihil cognatorum lachryme, n
tra inimicorum improbitatem, sæuitiam, crudel
tem? Quid ergo? Vitæ integritas vbi consistet, si q
vos locum non inuenerit? Quid erit, quòd quisq
in hac ciuitate laboris, industriæ, diligentiæ suæ p
mium aliquod se speret assecuturum, qui me, q
tempore vigiliarum mearum fructus aliquos per
re debebam, tam leui accusatione prostratum ac
abiectum videat? Nolite per Deos immortales, P.
hanc tantam atque exoptatam aduersarijs meis
ferre lætitiam, vt me nunc primùm vestris benef
floreſcentem, asperiore sententia, tanquam tur
aliquo aut subita tempestate, peruertatis. Conser
te ciuem patriæ amantissimum, vobis deditissimum
bonarum artium studiosum, quem si hoc iudicio (q
spero & opto) sententijs vestris absolueritis, addi
etiam

ctum & obstrictum perpetuò vobis ac liberis vestris habebitis. Facite, vt eosdem vos in conseruanda tuendaq; dignitate mea cognoscam, quos iam in tribuenda atq; amplificanda magno cum gaudio cognoui. Sic enim fiet, vt mihi posthac duplo magis elaborandum esse statuam: primùm vt eo, quod mihi demandastis, munere, quàm fieri potest optimè, perfungar: deinde vt vobis, qui me conseruandum esse censueritis, & aduersariorum maleuolentiæ atque inuidiæ restiteritis, pro virili parte quàm gratissimum esse ostendam. Quibus ex laboribus meis, mihi credite, P. C. efficiam, vt omnis iuuentus nostra fructus vberes diuturnosq; percipiat.

PRO DECRETO ALPHONSI AVALI ET Senatus Mediolanensis, In Aleatores.

ORATIO XI.

MAximè lætandum nobis esse arbitror, Viri Mediolanenses, maximasq; Deis immortalibus agendas gratias, quòd hunc sapientissimum inuictissimumque Principem Alphonsum Aualum, hos prudentissimos atque integerrimos Patres Conscriptos, hunc

denique omni virtutum genere cumulatum, Sena
Principem Philippum Saccum, huic nostræ ciuitat
summæ Reipubl. præesse voluerint. Omnes enim
quorum patrocinio vniuersa ciuitas nostra deman
ta est, non publicarum tantùm rerum, communium
fortunarum, quod eorum proprium esse videtur,
ram sibi suscipere satis esse iudicant: sed mores etia
nostros rectè informare, vitam honestè instituere
mentes à prauis erroribus ad sanctissimæ religion
cultum reuocare studeant. Qua quidem re nihil nob
omnibus aptius, nihil laudabilius, nihil sanctius imm
niri posse existimo. Nam ad vitæ tranquillitatem, &
imperij perpetuitatem nulla res est accommodatior,
quàm effrenatas improborum hominum cupidita
sanctissimarum legum freno coercere. Nihil
summam æquitatem præstantius, quàm benefi
iusta præmia, malefactis meritas pœnas constituer
Nihil denique propiùs ad illam cœlestium immorta
tatem accedere potest, quàm ita homines sub imp
rio contineri, vt omnia fugiendæ turpitudinis, &
statis adipiscendæ causa sibi facienda esse statuan
Ac mihi quidem cum cætera omnia, quæ clarissim
hic Princeps noster ex sapientissimi ordinis senato
sententia nuper decreuit, rectè instituta esse vide
tur: De blasphemis puniendis: De cohibenda fe
minarum ambitione, ac nimis precioso cultu: De
uanda in templis reuerentia: tum illud multò recti
mè sancitum in Aleatores & cuiusque generis Lu
res; Ne cuiquã expositis pecunijs omnino ludere lic
at. Iam enim longè lateq; flagitium hoc aleæ atq;

nium ludorum ciuitatem nostram, vt pleraſque etiam alias, occuparat. Quāplurimæ domus erant, & ignobilium, & nobiliſsimorum hominum, in quibus aleatorum conſociatos greges ferè quotidie videbamus. Nullum erat diuerſorium, nullum hoſpitium, nullus angulus, in quo non conglobata multitudo vel ad aleam, vel ad aleæ ſpectaculum conſideret. Ibi tum illa fiebant, quæ damna aleatoria ferè comitari ſolent, diſsidia, contentiones, maledicta, periuria, cædes. Sed iam tandem cœpit hominum perditiſsimorum temeritas & audacia coerceri, poſtquam huic tanto flagitio grauiſsima Senatus auctoritas interceſsit. Qui quidem ordo, Viri Mediolanenſes, vt facilimè poteſtis intelligere, nihil aliud niſi de communibus commodis, & de patriæ noſtræ ſalute cogitat, nec aliter ciues vniuerſos tuetur & cuſtodit, non modò ab omni calamitate, verùm etiam crimine, quàm vigiles & accurati paſtores à luporum incurſibus & ferarum laniatu greges ſuos. Quare nimis inſipientes & iniurioſi eſſe videremur, niſi quicquid nobis ab hoc ordine ſanctiſsimo præceptum fuerit, id domi ſtudio, cura & diligentia perficeremus: cùm præſertim id omne ſit in maximam noſtram vtilitatem & laudem redundaturum. Quæ quidem ratio me potiſsimum impulit, vt coram vobis hodierno die, pro decreto, nuper in Aleatores auctoritate Senatus interpoſito, verba facerem: vt cùm apertè cognoueritis, quàm tetrum & execrandum ſit hoc Aleæ flagitium, tùm facilùs ſtatuatis, quantum vobis enitendum ſit, vt rectiſsimis atque honeſtiſsimis & Senatus &

Principis nostri institutis obtemperetis. Atque vt a ipso sceleris huius nomine primùm oratio mea proficiscatur, ne qua fortasis in vocabulum cadat ambiguitas, ludum omnem in fortunæ varietate positum, & qui non vrbano ingenio, ciuilique more, sed casu & fraude tractari solet, Aleæ nomine comprehendi intelligimus. Qui quantum ab homine Christiano & a probo viro sit alienus, vel inde facilimè cognosci potest, quòd religionem, fidem, caritatem cæteraque bonas artes penitus euertit. Qua enim ratione fieri potest, vt qui frequenter Aleæ vacat, is religiosè vitam suam instituat, quæ semel captum hominem totum ad se rapit, nec de honestate sinit aut iusticia quicquam cogitare? Neque verò qui fidem seruare, singulosque homines, sicuti diuinæ leges præcipiunt, tanquam se ipsum diligere studuerit, vllo modo conabitur Aleæ quemquam irretire, & fortunis ac patrimonio spoliare. Vir enim probus atque intelligens honestis tantùm rationibus & artibus, non fraude, non dolis, non Aleæ lucrum quærit. Ista est perditorum hominum & impiorum conditio, quos neque diuini Numinis horror, neque existimatio populi, neque leges vllæ coërcere possunt, quin omni corporis & animi contentione, per fas & nefas pecunias accumulare studeant. Sed videamus quæso breuiter, quibus de causis adducti plerique homines hoc turpissimum vitæ genus amplectantur. Sic enim facilius, vt opinor, ei remedium inueniemus. Nam vt in curandis corporibus primus ad bonam valetudinem & salutem gradus est morbi cognitio: sic etiam in animis nullum

nullum vnquam vitium rectè sanari poterit, nisi causæ priùs illius indagatæ reuellantur. Itaq; mihi sæpe multùm ac diu cogitanti, quid sit, quòd cùm omnes ferè homines inhonestum Aleæ ludum esse iudicent, eo tamen vitio plurimi tam facilè transuersi rapiantur, illud in mentem venire solet, vt existimem, duabus maximè de causis id euenire, nempe quod in eo vel lucrum vel vtilitatem appetant. Quòd si rationibus & argumentis apertissimis euicero, neutram ex his omnino causam neque tutam, neque honestam esse, quin potiùs ambas non tantùm turpes, sed etiam pernicioſas, & Christianæ religioni maximè contrarias, quis erit tam amens, qui tam detestabile vitium ambobus, quod aiunt, pedibus non esse fugiendum existimet? Primùm igitur si quis lucri causa se ludere dixerit, eum ego grauissimis verbis accusare atque insectari non dubitabo, quòd insatiabili lucri cupiditate ius omne diuinum atque humanum peruertere audeat: deinde eundem etiam stultitiæ coarguam, quòd inde lucrum speret, vnde sæpissimè detrimenta maxima proueniant. Tu igitur cùm intelligas, ab homine probo non esse magni faciendas omnino pecunias, neque quicquam magnopere curandum, nisi quod ad comparandam animi quietem atque beatitudinem vtile esse videatur, sic teipsum prosternes atque abijcies, vt propter pecuniarum auiditatem nullum quæstum turpem putes? quotidie fraudes, decipias, auferas, eripias, socios expiles, & denique turpissimo viuendi genere deditus, nullum dedecus, nullam infamiam verearis? cumque sæpe vel legeris, vel audiueris, nihil tam parui tamq;

angusti esse animi, quàm amare diuitias; earum tam cupidus, tantoque amore incensus esse videberis, vt etiam contra omnia iura diuina atque humana te ipsum aleæ lucri causa tradas? Obsecro te quicunque es dictator, non aliquando in te descendis? non te ipsum respicis? non cogitas quàm turpem personam sustineas? non tibi venit in mentem, nullū conuicium atrocius inueniri posse, quàm si quis aleator appelletur? Quis vnquam asperiùs inuectus est in aliquem hominem, quæ Cicero

In Phil. 2. *in M. Antonium? Qui cùm eius impurissimā vitam & mores maximè detestabiles execrari vehementissime studeret, summum ei visum est opprobrium ita dicere: Domus erat aleatoribus referta. Idem Cicero*

In 2. Catil. *cùm Catilinæ socios & coniuratos asperrimis atq; atrocissimis verbis insectaretur. In his, inquit, gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes impuri, impudiciq; versantur. Videtisne quàm gloriosum & insigne nomen sit aleatorū, qui inter execrandos patriæ proditores, & scelestissimos homines ab Oratore sapientissimo numerentur? Quin etiā apud Næuium, vt Festus attestatur, cùm nescio quis in eū, cui maximè iratus fuerat, acriter inueheretur, & conuicys incesseret; Pessime, inquit, audax, ganeo, lurco, aleo. Quasi nullum potuerit grauius conuicium inuenire, sic aleonem vltimo loco nominauit. Quod in Mamurrā Catullus quoq; scribens obseruauit, cùm ita inquit: Quis hoc potest videre, quis potest pati, nisi impudicus, & vorax,*

Cap. 1. *& aleo? Aristoteles omniū Philosophorum facilè princeps, cùm in libro de Moribus quarto de liberalitate verba faceret, aleatores maximè infames esse ostendit.*

dit. Eos enim cum furibus & latronib. connumerans, illiberales esse dixit, & in turpi ac sordido lucro versari: propterea quòd omnia quæstus causa faciant, & probra sustineant; nec non ab amicis, quibus dare oportebat, lucrari studeant. Quis autem nescit antiquis legibus apud Romanos interdictam fuisse aleam? Nam in Pandectis caput extat, De Aleatoribus; vbi non tantùm lusores ipsi puniuntur, sed etiam illi, qui fortè quempiam ludere compulerint. Quin etiam in secunda Ciceronis Philippica Licinium Lenticulam M. Antonij collusorem lege, quæ est de Alea, condemnatum fuisse legimus: quem idcirco hominem omniũ nequissimum Cicero appellat, quòd non dubitaret vel in foro alea ludere. Horatius quoque vetitam fuisse legibus aleam indicat eo versu: Lib. 3. Od. 24.

Seu malis vetita legibus alea.

Cùm igitur apud eos homines, qui à vera sapientia & probata religione procul aberant, tanta esset aleatorum ignominia: quid apud Christianos fieri par est, qui in veritatis luce versantur? Sed quid hæc ego commemoro? Nónne ipsa nobis ratio manus injcere quodammodo videtur, & iubere, vt diligentissimè perpendamus, quantum flagitij sit ex alea lucrum sperare, quod in cæteris etiam rebus non omnino magnificere debeamus? Nihil est enim tam sublimis & excelsi animi, quàm diuitias contemnere; & cogitare, nos ad multò maiora quædam atque excellentiora, quàm ad istas terrenas fecis quisquilias natos esse. Vilescit profectò animus, & hominis præstantia deprimitur; qui ad hoc solùm procrea-

creatus est, vt cœlum suspiciat, & assiduè contemplentur, quemadmodum affirmare solebat Anaxagoras, cùm relicta cœlestium atq; diuinarum rerum cognitione, sese ad ista infima, caduca & fragilia fortunæ membra demittit, & nullare, nisi pecuniarum multitudine recreatur. Itaque quò magis diuitijs & auaritiæ studuerit, tantò vilior atque demissior efficitur. Quæ cùm ita se habeant, cogitate quæso, Viri Mediol. quantopere contemnendi sint & improbandi leuissimi isti homines, qui lucrandi gratia ludum aleæ sequuntur. Qui tantùm abest, vt animum suum erigant, & se maiores diuitijs præstent, vt etiam ita se demittant, vt turpissima quæque pecuniæ causa & facere, & pati paratissimi esse videantur. Quid enim dicam quo studio, qua cura, qua solicitudine ludent? vt nec cibi nec somni recordentur? vt totas sæpissimè noctes vigilent? vt lucem tenebris, & tenebras luci copulent, & tandem ab aleæ sessi, non satiati recedant? Quod si quis eos fortasse cogeret honestæ alicuius rei gratia paulò diutiùs aut vigilare, aut à cibis abstinere, Deûm atq; hominum fidem implorarent, & se nullo modo ferre posse clamarent. Tanta est eorum peruersitas atque malitia. Ludendi verò gratia facilè omnia patiuntur: nihil est quod eos ab Aleæ remorari possit; non fames, non sitis, non frigus, non calor, non denique somnus omnium sensuum quies placidissima. Ludo soli student, dormientes de ludo somniant, vigilantes in ore frequentissimè ludum habent. Vndiq; socios magna cum diligentia conquirunt, quibus cum ludant: nec vllo quam æquè sibi placere videntur, atq; cùm talos, tesse-

ras,

ras, lusorias chartas, & cætera ludendi instrumenta pertractant. Cùm interim neq; publicas, neq; priuatas res curent; tempusq;, quod omnium rerum pretiosissimum est, vt Theophrastus est auctor, in otio nefario consumant. Iacent neglectæ res domesticæ; nulla familiæ cura; nihil eos mouent coniuges, nihil liberi, nihil patriæ caritas. Hæc & reliqua huiusmodi lucra sunt, quæ solent ex Alea prouenire. Vt interim eos prætermittã, quibus malè res in ludendo succedit: qui cùm aleæ furore incaluerint, vno iactu patrimonium omne profundere non dubitabunt. Neq; enim, (vt ait Satyricus Poëta) loculis comitantibus itur

Ad casum tabulæ, posita sed luditur arca, Iuuen. Satyr. 1.

Et quamuis maximè contraria fortuna esse videatur: non ea tamen de causa perterrentur; sed inconsulta quadam spe recuperandi, quæ iam profuderunt, quantò rem aduersiùs euenire viderint, tantò magis inflammantur: donec, vt ait ille,

Nequicquam fundo suspiret nummus in imo. Persius Satyr. 2.

Tum verò, tanquã ore fulmineo spumantes apri, nulli neq; Deorum neq; hominum parcunt; impias atq; horrendas blasphemias euomunt; totam domum ac familiam magno tumultu complent; nullis affabiles, nullis amici: plerunq; etiam ad manus veniunt, & vnà cum pecunijs vitam quoq; miserabiliter amittunt: vt verissimè dixerit Horatius:

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram; Lib. 1. Epist. 19.
Iratruces inimicitias, & funebre bellum.

Quæ profectò intelligitis, Viri Mediol. quàm ab omni humanitate sint aliena. Sed quoniam illud etiam

nonnihil ad rem pertinere videtur, intelligere quibus principijs, aut quo auctore profecta fuerit Aleæ: fideligenter attenderitis, paucis verbis explicabo. Philostratus in Heroicis à Palamede Nauplij filio censet in bello Troiano repertam fuisse aleam, qua milites in otio delectarentur, cùm longa obsidione Troiam premerent. Herodotus historiarum pater, vt eum Tullius appellare solet, Lydos populos aleam, & omnia ferè ludendi instrumenta, præterquam talos inuenisse primos tradit. Sed quanquam à grauissimis auctoribus notatam fuisse Lydorum impuritatem vitæque turpitudinem non ignorem; vt, qui nihil aliud, quàm intemperantiæ atque libidini studerent, tam pernitiosæ rei facilè auctores credi possint: tamen maioris apud me Platonis auctoritas, qui Socratem in Phædro loquentem facit; & ait, circa Naucratem Aegypti nobilem vrbem fuisse dæmonem quendam, cui dicata sit auis, quam Ibin vocant, Dæmoni autem ipsi nomen Theuth, primum Mathematicas disciplinas inuenisse, talorumq; atque alearum ludum: deinde profectum ad Aegyptiorum regem, qui Thamus vocabatur, atque illi suas artes demonstrasse, dixisseque illas distribui deinceps cæteris Aegyptijs oportere. Quis igitur non intelligit hanc pessimi Dæmonis fuisse fallaciam, qua miseros mortales lucri atque voluptatis illecebris irretitos teneret. Nam quòd etiam numeros, & Geometriam, & Astrologiam Theuth inuenisse dicitur, quæ honestæ atque vtiles artes esse videntur: id ea de causa factum esse putandum est, vt honestatis atq; vtilitatis specie facilius homines deciperet.

Lib. 1. de legibus.

peret. Solet enim astutissimus ac fallacissimus Dæmon, quod pernicioſum ac mortiferum est, ea calliditate occultare, vt honestum ac rectum esse videatur. Planum igitur & perspicuum est, aleæ ludum pernicioſissimi Dæmonis inuentum esse, quo tot hominum millia implicantur, quo plerique ita afficiuntur, vt nihil aliud omnino curent, & se ludendo felices ac beatos existiment. At obijciet fortasse aliquis: Quid? an non aliquando multum in alea lucrari contigit? Fateor equidem. Verùm id primùm in dubio est. Nullo enim modo fieri potest, vt aleæ ludus omnibus æquè feliciter eueniat: deinde lucrum illud quale æstimari debet, quod ex tam infami arte, & tam turpi flagitio nascitur? Nisi fortè quis existimet, lenoniam artem, aut meretriciam esse laudabilem: propterea quòd interdum accidat, vt ingentem pecuniarum numerum inhonestissimo corporis abusu meretrices acquirant: vt de Rodolphe Aesopi fabulatoris conserua legimus, quæ magnificam in Ægypto Pyramidem ex congestis meretricio quæstu pecunijs construxisse dicitur. Sed nemo sanæmentis, quod ab omni iusticia sit alienissimū, id honestū esse aut laudabile iudicabit. Itaque cùm liquidò constet minimè iustam esse aleam, imò sanctissimis legibus improbatam: qui per eā lucrāri studuerit, is profectò turpitudinis infamiā subterfugere nullo modo poterit: cùm præsertim ex Theologorum omnium sententia, quæ per aleam quis acquisiuerit, ea nequaquā iustè possit in vsum suū retinere, sed aut priori domino, si cōmodè fieri potest, aut mendicis largiri oporteat. Quid igitur stultius, quàm animū ad Aleam appli-

applicare? in qua vel tibi summa cum indignatione, summa cum ignominia sunt amittendæ pecuniæ, vel si quid lucratus fueris, id omnino tibi reddendum est, si modò iustè religioseq; viuere volueris. Sed per Deum hominumque fidem, quæ nostra est ista tam effrenata cupiditas? quid petimus? quid optamus? Nunquámne prudentum hominum cogitationem ad punctum temporis suscipiemus? Quid ex istis pecunijs, quibus tantopere inhiamus, nobiscum morientes auferre poterimus? O mentem Cimmerijs tenebris obscuriorem! Nefas est plurimam in congerendis pecunijs ætatem insumere, quamuis honestis artibus eas acquiramus, & tam multi reperiuntur, qui nullam scelerum speciem lucrandi gratia refugiant! qui pecuniarum siti flagitiosam aleam persequantur! in quam deceptiones, fraudes, doli suboriuntur! Hoc enim ludentium proprium est, vt quacunque ratione fieri potest, socios fraudent ac decipiant: quod quidem nihil à furto atque latrocinio differre, quis est, qui non intelligat? Quicquid enim alienum iniuste, siue clandestina malitia, siue aperta vi rapimus, atque retinemus, id sine dubitatione furti atque latrocinij appellatione comprehenditur. Quare videte, Viri Mediolanenses, dubitandum vobis sit, quin sint grauissimè damnandi, dementiaque notandi nomine, qui lucri causa tam perniciosum vitæ genus eligendum sibi esse statuunt, vt totos dies in Alea consumant, quæ omnem religionem & fidem violat, caritatem tollit, inimicitias & odia concitat, & amentes & blasphemos reddit homines, fraudulentos & rapaces efficit, rerum suarum negle-

neglectores, alienarum appetentissimos, quæ virtutum omnium obliuionem & scelerum memoriam atq; cupiditatem inducit, quæ diuinum atq; humanum ius omne peruertit, quæ denique, si sors aduersa fuerit, patrimonio spoliat, si prospera, grauissimo crimine conscientiam inficit, nisi per eam quæsita restituas. Age verò, quæ voluptas in Alea esse potest? Hoc enim alterum eorum fuit, propter quæ aleam expeti solere diximus. Quæ (inquam) voluptas in ea re poest esse, quæ tot malorum causa est? Túne igitur, vt aliquantulum voluptatis acquiras, nihil Deum immortalem, nihil homines, nihil leges, nihil iura vereberis? Te tam ingenti, tã tetro vitio voluptatis gratia trades? Quid si nulla est in alea voluptas? Quid si mœror potiùs ac tristitia? támne obstinatè tamen operam dabis, vt in aleæ vitio consenescas? Væ vobis, ait Christus, qui ridetis, quoniam flebitis. Lucæ 6. Vix nobis in rebus honestis multùm licet gaudere, ne fortasis in superbiam atque arrogantiam incidamus: & tu in alea, hoc est in vitiorum omnium sentina quadam, & scelerum lerna lætaberis? An tibi periuria, maledicta blasphemiæ, tumultus, inimicitiæ, vulnera, cædes, quæ ab alea frequentissimè proueniunt, voluptatis loco ponenda esse videbuntur? Vidi ego nonnunquam, qui multò essent amicissimi, primò voluptatis gratia cœpisse inter se ludere, deinde paulatim incalescente vincendi cupiditate, non priùs à ludo destitisse, quã ad manus venientes mutuis vulneribus conciderint. Hi sunt Aleæ fructus, hæ voluptates, quas insani homines tam studiosè, tam cupidè, tam impotenter appetunt. Hæc aleam iucunditas, hæc volu-

voluptas, hæc delectatio consequi solet, firmissimarum societatum disiunctiones, amicitiarum sanctissimarum violationes, rixæ, odia, dissidia, furores, multaque huiusmodi cætera: quæsi cui voluptates esse videntur, eum ego non tantùm communi sensu carere, sed omnino demonem ac furiosum esse iudico. Quem verò ista non commouent, nec ab aleæ vicio retrahunt, debere eum non iam hominem, sed immanem potiùs bellua existimare: qui nihil in posterum prospiciens, ad tantùm quod adest, quodque præsens est, toto animo rapiatur, & breuissimæ ac falsæ voluptatis gratia res maximè laudabiles & honestissimas deserat. An fortasse quispiam hominum grauissimorum exemplo, qui sæpenumero lusisse reperiuntur, animi sui vitium excusare conabitur: vt de Portio Catone, & Octauiano Augusto scriptum legimus: qui animi relaxandi gratia, post grauissimas occupationes taxillorum ludo sese oblectare soliti traduntur. Quod etiam de Archyta Tarentino memoriæ proditum est, quem cum pueris suis ac seruis ludos agitare consueuisse permulti scripserunt. Quin etiam Heraclitus Ephesius, vir alioqui tristissimus, optimè astragalis lusisse perhibetur. Quintus Scæuola, vir grauissimus ac sapientissimus, & propter egregiam iuris ciuilis prudentiam celeberrimus, remisso à negocijs animo, corporis exercendi, & se recreandi gratia suauissimè pila ludere solitus est. Multosque præterea clarissimos & amplissimos homines accepimus, cùm à grauioribus negocijs respirassent, aliquo lusu fatigatum animum relaxare solitos. Sed hæc ludorum

Mantua. li. 1. Syluan.

nera, quæ colligendi animi, vel exercendi corporis causa parantur, neq; nos omnino reijcimus. Sumus enim homines, & præclarè intelligimus, nullam esse tantam animi vim, quæ perferre continuum laborem possit. Illos verò penitus ludos detestamur quibus expositis pecunijs plerique solent auidissimè ludere: propterea quòd omnes sanctissimæ religioni nostræ sunt inimicissimi. Quæ quidem pessima ludendi consuetudo, tanquam pernicioſa quædam contagio, sicut initio diximus, domos præcipuè nobilium & potentissimorum hominum arripuit, vt non iā vernæ solùm ac famuli, sed ipsi patres familiarum, quod maximè ignominiosum est, totos plerunque dies & bonam noctium partem in ludendo conterant. Hinc filij, qui maximè dociles ad vitia solent esse parentum imitatores, priùs ludere sciunt quàm explanatè loqui: & cum nutricis lacte paterna vitia statim imbibunt. Nam verè Satyricus Poêta dixit: Iuuenal. Satyr. 14.

Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.

Ita enim est hominum ingenium, vt

Velociùs & citiùs nos,

quod ait idem Poêta, Satyr. 14.

Corrumpant vitiorū exempla domestica, magnis
Cùm subeant animos auctoribus.

Quid, quòd à parentibus filij non solùm non reprehenduntur, verùm etiam, quod summopere deplorandū est, ab eisdem vltrò ad ludū inuitantur? Itaque prauam istam consuetudinem in naturam ita sibi conuertunt, vt quamuis postea cupiant, aleam tamen relin-

relinquere non possint. Et quisquam mirabitur tam paucos esse adolescentes, qui rebus honestis & ingenuis artibus animum applicent, cùm à teneris annis indulgentia parentum effœminati, ludisq; cuiusq; generis dediti, nullam aliam credant esse maiorem voluptatem, nullam vitam beatiorem quàm continenter in alea versari! Quid vnquam egregium atq; excelsum ab eo iuuene sperare poterimus, cuius animũ semel hoc infecerit insatiabile ludendi desiderium? Iam per diuersoria, per lustra, per ganeas, cum perditissimis hominibus cupit euolare: iam paternas facultates dissipare: iam cum vilissimis scortis & lenonibus impurissimis vitam ducere: iam quotidie vota facit, vt tandem nimiùm viuax pater efferatur, vt scilicet ingeniùs ei liceat alea quicquid habet facultatum effundere. Hinc ad furta, ad latrocinia, ad infandas scelera consumto patrimonio conuertuntur: nullum eos dedecus, nulla pœna refrenare potest: nullum est scelus tam audax, nullum tã atrox facinus, ad quod post alea impelli non facillimè possint. Quæ licet apertissima sint, tamen tanta est hominum improborum insolentia, quàm paucissimis persuaderi posse videantur. Quod equidem mirari desino, cùm ad eos respicio, quibus religionis & honestatis cura demandata est, qui populum ignarum, & imperitã multitudinem diuinis legibus ac institutis erudiendi curam susceperunt. Hi enim maiorem partem non solùm alios non reprehendunt, verùm etiam, quod indignissimum est, ipsi totos plerosque dies ac noctes in ludẽdo sunt occupati. Sed de hac ciuitate nostra nihil dubito, quin breui tempore

res sit in melius commutatura, cùm tam religiosum & Christianum Principem habeamus, & tam prudentissimum Senatum, qui vitia seuerissimè vindicet, & virtutes amplissimè remuneretur. Neq; enim cuiquam dubium esse potest, quin, vt cætera omnia, quæ nuper instituta sunt, ita etiam hoc sapientissimè decretū sit. Ne ludendo pecunias exponere cuiquam liceat: cùm omnem aleam honestati maximè contrariam esse liquidissimè constet. Hæc enim, vt docuimus, efficit vt plerique mortales diuinum cultū deserant, humanam societatem violent, obliuione iusticiæ capiantur: hæc leges, iudicia, fidem, amicitiam, probitatem euertit: hæc dedecus & ignominiam affert maximā: hæc priuatas domos exhaurit, patrimonia dilapidat, homines falsos fieri cogit: hæc ad omne flagitium, ad omnem turpitudinem impellit: hæc denique hominem dementem, perfidum, furiosum reddit, vt: non aliter atq; immanissima bellua, nullos neq; Deos, neq; homines vereatur. Quamobrem vos, Viri Mediol. per eam, quam colitis, religionem, per Christianam fidem, per salutem vestram atq; omnium ciuium, per totius Reip. nostræ tranquillitatem oro atq; obtestor, vt Aleatorum petulantiæ vestram opponatis auctoritatem, & mihi credatis, id quod ipsi videtis, istam aleæ libidinem omni religioni atque iusticiæ maximè repugnare. Facite igitur vt domus vestræ nulli omnino pateant aleatori, liberos vestros procul à tam pestifero morbo relegatè, neque fidem eis vllam præstandam esse censeatis, quos aleæ deditos esse noueritis. Hos non aliter vobis cauendos esse censeo, quàm qui patriæ, parentibus, aris atq; focis bel-

lum inferunt, atque eò magis, quò se occultiùs amici-
tiæ nomine vobis insinuant. Nam malos atq; scelest
homines, qui se palàm hostes profitentur, facilè cau-
do vitare possumus: hoc verò aleatorum occultum q
intestinum malum frequenter opprimit, antequā pr-
spici atq; explorari potuerit, hominemq; penè ad inf-
niam pertrahit, priusquam se ab illo captũ esse pr-
deat. Itaq; ne quæso tam horrenda, tam turpia, ta
execranda flagitia, quæ iam ab alea nasci demonstra-
uimus, in hac vestra religiosa ciuitate cõmitti patiam-
ni. Cohibete tandem istorum furentiũ hominum impe-
tus, nefarios q; conatus, qui se se in familiaritatem ve-
strã omni studio conantur insinuare, vt vos aut liber
vestros ad aleam alliciant. Expellite, profligate, exte-
minate de ciuitate vestra tantam ignominiam. Nõ
uite per Deum immortalem tantam labem & infam
am in vestro nomine inueterare. Cõmune est hoc ma-
lum, cõmunis metus, cõmune periculum: serpit ista co
tagio, & quotidie magis imualescit, nisi quamprimum
medicæ manus adhibeantur. O scelerum omnium m
dagatrix alea! quò miseros mortales sui penitus obli-
tos, consiliorum inopes, cœcos amantes, assiduè rapta
in quæ probra semel à te captos præcipitas? Nullum
est vitium, mihi credite, Viri Mediol. quod ad se mag
animos attrahat atq; alliciat, nullum quod hominem
perditiorem efficiat, nullum quod magis fortunas, fa-
mam, honestatem profundat, & omnino dissipet. Qua
cùm ita sint, omnem penitus aleam, perinde ac pesti-
lentiam quandam atrocissimam nauibus & quadrigis,
vt dici solet, & remis ac velis non solùm ipsi effugere
debe-

debemus, verùm etiam insectari, & ab alijs, quantum per nos fieri potest, auertere ac propulsare: sapientissimoq3 & mitissimo Principi nostro Alphonso Aualo, & integerrimo Senatui, atq3 in primis ornatissimo Senatus Præsidi Philippo Sacco maximas & agere, & habere gratias, atq3 eorum fidelissimis & amantissimis consilijs, iustissimisq3 decretis obtemperare: quippe qui nos ciues suos, vt optimi patres, mansuetissimè corrigunt, & vt bene beateq3 viuendi viam ingrediamur, omni cura atq3 diligentia prouident. Hæc ego, viri Mediol. cùm honestatis & religionis amore commotus atq3 inflammatus, quam ab istis amentissimis Aleatoribus prosterni atq3 pessundari videbam, breuiter simpliciterq3 pro consuetudine mea dicere coactus sum; tum vt prudentissimi Ordinis Senatorij, & sapientissimi Principis decreta, quæ iam partim introducta sunt, partim breui tempore diligentissimè confecta promulgabuntur; à vobis libentissimis animis accipienda, & accuratissimè seruanda esse censeatis. Quam pridem orationem meam confido vobis probatam esse omnibus, & in meliorem partem acceptam. Vos pro vestra fide, religione, sapientia prouidete, ne quid ob sanctissimarum legum & decretorum violationem detrimenti patiamini. Quantò enim clementiorem obedientes & subditi Senatum Principemq3 nostrum experiuntur: tantò seueriorem & infestiorem pertinaces & superbi sentient.

ADVERSVS EOS QVI ORNANDAE ORATIONIS STUDIUM, & DICENDI ELEGANTIAM VITUPERANT.

ORATIO XII.

SVnt quidam homines, ornatissimi Auditores, tam agrestibus & impolitis auribus, vt omnem orationis ornatum, & sermonis elegantiã, tanquãrem inanem & superuacaneã omnino negligendã esse existiment, eumque satis esse disertũ ac eloquentẽ affirment, qui sensa mentis apertè quoquo modo atque intelligenter explicare dicendo valeat: ea verò, quæ orationis ornamenta nominantur, nihil aliud esse dicant, quàm quasi calamistros quosdã, & fucati medicamenta candoris ac roboris, quæ omnẽ orationis vim, & grauitatẽ, & constantiã infringant, & prorsus effœminent: multaque alia in hanc sententiã fallaciter & captiosè disputent: vt totũ hoc nostrũ, cui iãpridem dediti sumus, exornandæ orationis studiũ, quantũ per eos fieri potest, & deprimant, & inutile ac vanũ esse ostendant. Itaque statui hodierno die verã vobis omnis elegantiæ candidatis & cultoribus, quoad facultas mea tulerit, istorum hominũ falsam & absur-

absurdam opinionem verissimis & firmissimis rationibus, exemplis, argumentisq; refutare. Ne fortasse qui iuniores adhuc, & rerum humanarum imperitiores sunt, eorum auctoritate verbisq; persuasi, rem omnium præclarissimam & honestissimam derelinquant. Vos quæso nostram hanc disputationem contra barbaros homines, rudis & incompti sermonis amatores, & omnis politioris disciplinæ atq; humanitatis expertes, patientissimis & æquissimis auribus attendite. Ac mihi quidem illud in primis maxima dignum esse reprehensione videtur, quòd isti, qui de orationis ornatu sententiam suam tam graui supercilio proferunt, vel tã imperiti sunt, vt quod inter virtutes orationis & vitia discrimen sit, non satis intelligant, vel si fortasis intelligunt, iniquo atq; inuido animo, quod ipsi aut propter insolentiam neglexerunt, aut propter inertiã assequi minimè potuerunt ab eo cæterorum etiam hominũ industriam retrahant. Cùm enim orationis ornamenta calamistros & fucum appellent, nonne perspicuum est, eos nimis imperitè flagitioseq; rem pulcherrimam turpissimo nomine dedecorare? Quis non intelligit, in mulieribus, vnde hæc nomina transtulerunt, alium esse laudabilem, honestum, decorumq; ornatum, alium calamistratum & fucatum? An fortè vobis aut pudica matrona, aut casta virgo, quæ præstanti sit corpore, & liberali atque honesta facie, cùm preciosis vestibus, auro, argento, gemmis, vnionibus, armillis, annulis, cæterisque huiusmodi ornamentis excolitur, calamistrata & fucata esse videbitur? Nihilne ergo inter meretriciam lasciuiam, & matronalem cultum

virginalemqúe ornatum interest? nihil inter calan-
stros & baccata monilia? nihil inter fucata medica-
menta, & exornatam venustatem. O stultitiam ho-
minum atque insipientiam, qui tantarum rerum dif-
ferentiam repugnantiamqúe non videant! Iam cre-
do, isti, qua temeritate atque importunitate sunt,
quem paulò comptiorem esse virum conspexerint, eum
penitus effœminatum esse clamitabūt; si liberaliorem,
prodigum appellabunt; si fortiorem, dicent esse teme-
rarium. Sed nequaquam animum inducere possum,
vt existimem istos esse tam insipientes & rerum igno-
ros, vt non intelligant, aliam esse comptam & orna-
tam orationem, aliam esse lasciuientem, affectatam
& quodammodo pictam. Verùm quia summa iampri-
dem ipsi barbaria sunt infecti; quod spinosum, exile, ja-
iunum, languidum, eneruatum, incultum dicendi ge-
nus semper secuti sunt, & pecudum suillíq; generis mo-
re glandes multò magis quàm fruges adamarunt, ne-
que posthac vllo modo sperant ex illo barbarico cœno
se linguam suam vnquam educere posse: nobis ideo vo-
bisq;, ornatißimi Iuuenes, hanc elegantiæ laudem, &
styli dignitatem, & expolitæ orationis gloriam insti-
dent, secumqúe ad eadem luti volutabra, deformem-
qúe sermonis habitum, atque impuritatem loquendi
deducere contendunt. At, si Dijs placet, ijdem ipsi
sordidi, rudes & inculti homines, se Mercurium
non in lingua, sed in pectore habere gloriantur! Qui
in re duplici nomine sunt odiosi: vel quòd intoleran-
li arrogantia se solos esse sapientes atque intelligen-
tes opinantur, nos autem, qui dicendi venustatem as-

lepo-

leporem sequimur, tanquam inanium tantùm verborum sectatores irrident: vel quòd eloquentiæ Deum atque parentem Mercurium sibi similem, hoc est, infantissimum esse mentiuntur. Quis enim est, qui nesciat, apud Græcos tritum esse vulgi sermone prouerbium, quoties rem inauditam & penitus incredibilem significare volunt, vt Mercurium infantem esse dicãt? Prodeat quæso Mercurius iste vester è sordido pectore, exeat ex ore lutulento, deformato habitu, verborum illuuie squalidus & prorsus informis. Quis eum vt eloquentiæ patrem agnoscet? cui gratus erit? quis esse Mercurium existimabit? à quo non statim contemnetur? quis non eum irridebit tanquam aliquem histrionem, & fictum ex Plauti scena cum seruili schema Mercurium? Ita ista vestra seruilis sapientia barbariæ sordibus infuscata, locum apud ingenuos ac liberales animos, & apud teretes elegantium hominum aures, vbi consistat, nullum habere potest. At contrà si quis non in pectore tantùm, vt vos insulsè falsoque iactatis, sed etiam in ore Mercurium habeat, vt ea, quæ rectè ac sapienter intelligit, aptè, distinctè ac ornatè proferat; quid hominum aut auribus, aut mentibus iucundius accidere poterit? Quis cantus ornata oratione dulcior? Quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? Quid admirabilius, quàm res splendore illustrata verborum? Sed nimirum illud verissimum est, quod Heraclitus aiebat, Asinum stramenta malle, quàm aurum. Stolidis enim ac barbaris hominibus magis ea placent, quæ rudia sunt, & scabra, & impolita, quàm quæ emendata, & exculta &

planè perfecta sunt. Non capiunt crassæ & obtusæ aures compositam & modulatam orationem. Midam Phrygiorum rex, vt ad fabulas veniamus, insulsum atque ineptum Marsiæ tibicinis strepitum suauissimis Apollinis carminibus prætulit, vnde meritissimo iratus Apollo traditur asininas illi aures affinxisse: quales iam inde ab ineunte ætate nostros aduersarios semper habuisse crediderim. Quid enim causæ dicemus esse, cur isti liberalem atque ingenuam eruditionem & differendi elegantiam tantopere damnent, vt neq; ipsi ornatè dicere aut scribere studeant, neque aliorum elaboratam expolitamque orationem admirentur, nisi quia deprauatos animi sensus habent, vt illis non aliter atque scarabeis, continenter in oleto viuentibus, alabastrus vnguenti plena puteat? Vetus est proverbium: Nihil graculo cum fidibus: quoniam longè magis odioso garritu cum sui generis auibus, quàm harmonia musica graculus delectatur. Huc etiam illud pertinet: Nihil cum amaracino sui. Quamuis enim, quod ex amaraco fit, oleum laudatissimum & odoratissimum sit, suillo tamen generi venenum est, cui videtur id demum olere suauissimè, quod cæteris grauissimè redoleat. At isti quò vitium suum aliqua ratione celare valeant, ideo se dicendi venustatem & orationis ornamenta refugere clamant, quòd ea sint quasi quædam voluptatis illecebra, lenocinium quoq;, quo populariorum animi capiantur, & errore decepti, vt hamo pisces, ita blanda oratione suauique sermone in falsam sæpenumero persuasionem inducantur. Quales verò stolidi atque insipientes homines exculta oratione

mis dulcedine atque iucunditate, non fraudibus & dolis improborum capiantur. Non habet hoc in se vitium copia dicendi, & suauitas orationis, vt quenquam decipiat, aut in errorem inducat, præsertim si recta intelligentia, & definita moderatione animi gubernetur. Non est hoc politæ orationis crimen, sed eorum, qui cæteris etiam bonis plerunque ad perniciem vtuntur, vt alio in loco dicemus. Isti verò qui ieiunam & exilem, & incomptam orationem magis, quàm vberem & exaggeratam, & venustam, diligunt, perinde faciunt, ac si rusticanam vitam potiùs, quàm ciuilem, sordidatam vestem, quàm elegantem, illuuiem corporis, quàm mundiciam, res denique potiùs odiosas ac molestas, quàm gratas & iucundas amplectantur. Sed auctoritatibus etiam causam istam suam tam ridiculam & absurdam confirmare conantur. Aiunt enim grauissimos homines Theologos, Philosophos, & Iurisconsultos nihil de exornanda oratione penitus cogitare: verùm potiùs huius nostræ concinnitatis & elegantiæ esse contemptores. Qua in re primùm eos apertè mentiri dicimus. Quamuis enim recentiores Iurisconsulti, vt Azones, Bartoli, Baldi sint incompti ac planè barbari, quòd eo tempore vixerint, quo bonarum artium studia minimè vigebant: tamen antiquis illis Iurisconsultis, quorum adhuc leges & responsa in Pandectis leguntur, nihil politius aut limatius inueniri potest, vt satis appareat, eos non minùs eloquentiæ, quàm Iuris ciuilis fuisse studiosos. Quid de Philosophis dicam? An fortasse quia Auerroës & Albertus barbari sunt, ideo Plato etiam, & Aristote-

ſtoteles, & Theophraſtus in eodem numero cenſendi ſunt? Iam Theologi veteres non ruſticè locuti ſunt, ſed quantum eorum facultas tulit, ornamenta dicendi ſcriptis ſuis adhibuerunt. Quis enim Baſilio ſublimior? Chryſoſtomo dulcior? Hieronymo vehementior? Deinde illud oppono: quamuis aliqui Philoſophi Theologiq; noſtra hæc dicendi ornamenta nõ ſequantur, non ideo tamen eſſe à nobis, qui manſuetiores atque elegantiores Muſas colimus, relinquenda. Quæ enim inuidia eſt, ſi hac in re nos neque Philoſophi, neque Theologi eſſe volumus? Eadem ratione licet eiam pleraſque res alias eximias & præſtantes contemnere, quoniam eas Philoſophi Theologiq; vilipendunt. Proiciamus opes, aurum, gemmas, precioſas veſtes, mundiorem omnem ſupellectilem, quoniam ſine his rebus plerique Philoſophi vitam agunt. Negligamus rem familiarem, deſeramus artes ingenuas, in ſolitudine viuamus, nudis pedibus ambulemus, bardocuculos induamus, quoniam hæc nonnulli Theologi faciunt. Quòd ſi hæc in communi vita degenda ridicula ſunt & inſulſa, cur potiùs in contemnenda ſermonis elegantia, quàm in cæteris rebus, & actionibus à ciuili vita remotis Philoſophos ac Theologos imitari debemus? Quis non intelligit, rationem hanc iſtorum eſſe abſurdiſſimam, nullumque pondus aut momentum habere? Non enim illud à nobis quærendum eſt, an aliqui in ea ſint hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis, cùm plurimi ſint, qui res omnes egregias ac præſtabiles ob animi demiſſionem quandam refugiant, & magnopere cõtem-

nant:

nant: sed vtrum vtilis sit an perniciosa, honesta an turpis, iucunda an odiosa hac exornandæ orationis disciplina de qua certè, nisi planè agrestes atque inhumani sumus, dubitare nullo modo possumus. Ac iucundam quidem & suauem esse negare non audent, quoniam hoc esset planè sensui repugnare, sed esse vtilem & honestam. Id verò pernegant, imò contrà perniciosam & fugiendam esse asserere non dubitant: Quoniam (inquiunt) multi iuuenes in discendo splendorem & elegantiam verborum consectantes, plerunque rerum obliuiscantur, & in expolienda oratione occupati, bonarum artium studia derelinquant: qua ratione fiat, vt qui hac dicendi varietate copiaque delectantur, dum compositam orationem, & ornatam, & artificio quodam atque expolitione distinctam efficere student, omnem maiorum rerum scientiam & sapientiam negligant. Quæ cùm isti dicunt, studio ducti maledicendi, non satis aduertere videntur, se non ipsam orationis venustatem atque elegantiam improbare, sed eorum studium & inanem laborem, qui solam eam, relictà rerum scientia, consectantur. Nam certè nihil tam furiosum est, vt etiam L. Crassus de atteſtatur, quàm verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia nec scientia. Quòd si quis rerum cognitioni, quod optimo quisque ingenio facere debet, elegantiam hanc, & politam dicendi rationem adiunxerit, quid in homine præstantius aut diuinius inueniri poterit? Audebúntne etiam infantissimi homines eum orationis ornatum vituperare, qui rebus

Cic. libr. 1. ad Orat.

bus iam cognitis & planè perceptis, summa quadam cum aurium atque animi iucunditate adhibetur? Ne debúntne veteres illos scriptores, tam Græcos quàm Latinos, in quibus præter variam & multiplicem rerum scientiam, ineſt etiam ſumma quædam & incredibilis orationis elegantia, condemnare? Nimirum ego iſtam perfrictam frontem & os durum videre minùm velim, quo procaciter eos vituperant, qui nulla penitus eloquentia ſatis commendari poſſe videantur. Atqui ab iſtis ego hominibus libentiſsimè peterem, vt eos, qui ornatè dicunt, improbandos eſſe cenſeant, eos autem, qui cæteris in rebus ornatè aliquid efficiunt, magnopere laudent? Nam ſi omnino quæ accuratè ſtudioſeque poliuntur, eos offendunt, multò plura atque maiora in operibus ipſis ornamenta, quàm in oratione reperientur. Deinde illud abſurdum eſſe omnino videtur, ſi eos latet, nos ideo & Deos immortales ornatè colere, & pietatem adamare, & iuſtitiam exercere, & cæteris virtutibus incumbere, non vt agreſtiores & impolitiores habeamur: ſed vt ornatiores & humaniores exiſtimemur. Quo enim cultu, quo ſtudio, qua cura templa Deorum immortalium, aræ, foci, loca omnia ſacra, vaſis precioſis, veſtibus, inſtrumentis cuiuſque generis, auro, argento, ebore gemmis, vnionibus exornantur? Quid ædificia? quid ludi? quid magnifici apparatus, nonne quanto ſunt ornatiores, tantò magis cõmendari ſolent? Quid, omnis vitæ cultus cum elegantia & copia quantopere delectat? Quid artes, ſcientiæ, virtutes, quibus ad humanitatem informari ſolemus, nonne vt maxima

ſunt

sunt animi ornamenta, sic etiam appellantur? Atqui nemo est, quin artifices omnes eò magis esse laudandos existimet, quò politiùs opera sua conficiunt. Quin ipsum totius mundi conditorem Deum vel hac vna de causa mirandum in modum suspicimus, quod vniuersum cœli complexum tanto variarum rerum ornatu compleuerit. Vnde & consensu gentium, vt Plinius ait, quem Κόσμον Græci nomine ornamenti appellauerunt, cum etiam nos à perfecta absolutaque elegantia Mundum nominauimus. Cur ergo quod in alijs rebus & actionibus omnibus maxima dignum esse laude iudicatur, id in oratione sola, quæ mentis interpres est, & hominis maximè propria, tanquam res improba vituperatur? Quòd si venustam & elaboratam orationem ideo damnandam esse statuunt, quòd ea quidam & priuatim & publicè parum iustè vtantur, & fallaci blandaque persuasione multos decipiant, cur non eadem ratione pulchritudinem, diuitias, fortitudinem, & nonnulla alia bona vituperant: quandoquidem plurimi sæpe reperti sunt, qui per ea & sibi, & ciuibus suis plurima detrimenta importarunt? Sed minimè videtur æquum esse, neque propter impudicos homines pulchritudinem, neque propter insolentes ac proteruos diuitias, neque propter sicarios & percussores fortitudinem improbare, neque omnino ad res ipsas, hominum peccata transferre: sed illi potiùs damnandi sunt, qui rebus per se bonis, addita animi peruersitate, malè vtuntur, & quibus rebus facilè quamplurimis hominibus prodesse possent, eis ad ciuium suorum perniciem abuti non dubitant. Sed

Nat. Hist. lib. 2. ca. 4.

ex

ex istis aduersarijs nostris ornatæ locutionis vitupera-
toribus aliqui sunt paulò moderatiores, qui malè
ctis quidem abstinent, verum similitudine quadam
dicendi elegantia dignitatem eleuare atque immi-
nuere contendunt. Aiunt enim, in oratione leporem
& elegantiam nihil aliud esse, quàm in arboribus flo-
res & folia: quare qui elegantiori stylo dant operam
eos, neglectis fructibus, tantùm flores & folia consec-
tari dicunt, qui autem, posthabito dicendi lepore,
rebus ipsis attendunt, eos aiunt solidos & maturos
fructus decerpere. Qua quidem similitudine parum
cautos iuuenes in fraudem inducunt, & efficiunt, vt
ornandæ orationis studium deserant: cùm non intel-
ligant, non tantùm vnum esse, sed varia & multipli-
cia orationis expoliendæ genera. Sunt enim quædam
in oratione ornamenta, tanquam flores ad ven-
statem accommodata, quæ maximam tamen affe-
runt in dicendo voluptatem, & audientium ani-
mos atque aures ita alliciunt, & ad sese trahunt,
vt formosi atque odorati flores oculos & nares affi-
cere solent: quædam foliorum frondiumque simili
sunt, quæ non tantùm arbores ornant, sed etiam fru-
ctuum sunt integumenta, vt eos à caloris & frigo-
ris offensione tueantur: quædam sunt vt in corpore
vestimenta, quibus res antè acutè inuentæ, & pru-
denter dispositæ, eleganter ac politè vestiuntur at-
que exornantur, vt auribus & animis maiori cum di-
gnitate suauitateque percipiantur: sunt aliquas fo-
lis instar in tota oratione sparsa, quæ dictionem vni-
uersam condiunt, & multò iucundiorem efficiunt,

qua

quæ alioquin esset fatua atque insipida, quales spoliati sale plerique etiam precioſi cibi ſolent esse: quædam denique sunt quasi lumina, quibus tota illustratur oratio atque admirabilis efficitur. Sunt autem & verborum & sententiarum hæc, quæ dicimus, lumina: quibus tanquam stellis & insignibus in ornatu suauissimè distinguitur omnis oratio. Non ergo tantùm qui flores & folia sectantur, sed qui distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè & rebus, & verbis dicunt, & in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt, ij sunt, qui ornatè dicunt, qui clamores & admirationes efficiunt: ad quos audiendos concursus vndique fieri consueuerunt. Veniant igitur irrisores huius suauis & illuminatæ orationis, tenebricosi homines, qui clarissimum lumen oderunt: & iam vel ipsi iudicent, vtrum se horum alicuius, vel Auerrois, vel Alberti, vel Scoti sectatoris, vel aliorum eiusdem generis scriptorum, qui ieiunitatem in dicendo, qui spinas, qui sordes: qui barbariam, qui tenebras, qui infantiam sequuntur, an Platonis, Aristotelis, Demosthenis, Ciceronis, & aliorum ornatissimorum auctorum, quorum omnes copiam, suauitatem, puritatem, elegantiam, lumina, varietatem admirantur ac suspiciunt, similes esse malint. Ac mihi quidem isti, qui ornatam orationem improbant, tantùm aberrare videntur, vt non aduertant, se rem eam damnare, quæ bonorum omnium, quæ à natura homini data sunt, aut certè quamplurimorum causa fuit. Nam cæteris in rebus homines nihil ferè à bestijs differunt: verùm & velocitate & robore,

re, cæteriſqúe corporis commoditatibus longè humiliores & infirmiores ſunt: vna fuit oratio, quæ victu belluino ſegregauit, quæ poſtea ſtudio atque induſtria ſapientiſſimorum hominum expolita atq; ornata, effecit, vt qui ea ſcitè vterentur, quantùm teri homines beſtijs præſtent, tantùm ipſi cæteris minibus antecellerent. Itaque poſteaquam ſapien viri graui & polita oratione vti didicerunt, tum vr incolere cœpimus, tum naturale ius & ciuile deſcri mus, tum artes excogitauimus, tum denq; res omn & priuatam & publicam vtilitatem continentes, uenimus. Hæc (inquam) oratio ſuauis & elegans illa agreſtis & barbara, de rebus iuſtis & iniuſtis, honeſtis & turpibus, de vtilibus & pernicioſis legu ſtituit. Hæc vrbibus iam conſtitutis fidem colere, ciam retinere, labores communis cauſa commod cipere docuit. Hæc eſt domina rerum & regina ratio, qua facinoroſos homines inuadimus, virt præditos laudamus, nocentes condemnamus, innoc tes abſoluimus, prudentes exornamus, imperitos cemus. Hæc eſt illa, quæ ſola res honeſtas atque les perſuadere poteſt, qua conſolamur afflictos, deducimus perterritos à timore, qua geſtientes c primimus, qua cupiditates iracundiaſqúe reſting mus, qua denique quicquid eſt in omni vita rectu ac laudabile, gubernamus. Hæc illa eſt vehemens incitata oratio, quæ cùm rapidè fertur, ſuſtineri nul modo poteſt, quæ adoleſcentes acriter à vitijs revoca & ardenter ad virtutem cohortatur, quæ ſeniores la guentes excitat, & ad Reipubl. gubernationem atte

tiores

tiores efficit: qua Imperatores in bello milites suos ad patriæ defensionem, & victoriam acquirendam alacriores reddunt: quæ populos ad religionem, ad cultum Deorum immortalium, ad patriæ pietatem, ad communem vtilitatem tuendam inducit: quæ conciliatrix est humanæ societatis: quæ denique semper vel in otio, vel in negocijs maximè propria est humanitatis atque sapientiæ. Nam excellens & expolita oratio excellentis & expoliti animi certissimum est indicium. Vetus est illud; Qualis vir, talis oratio. Nam omnis mentis habitus ex ipsa oratione, tanquam è speculo, perspicitur: vt qui sordidam & incultam orationem adamant, ij sordidi & inculti omnino esse videantur, qui verò politæ atque elegantis orationis studiosi sunt, ij quendam animi candorem, & præstantiam, & ingenuitatem præ se ferant. Atque hoc sanè non in singulis tantùm hominibus, sed in populis etiam ac nationibus intueri facilè possumus. Vt montani homines & summarum Alpium incolæ feram atque horridam naturam suam sermone ipso declarant. Et si quis paulò diligentiùs aduertat, in Germanorum locutione barbariem quandam & asperitatem semper esse sentiet; in sermone Gallorum stoliditatem; in verbis Hispanorum iactationem, in oratione Italorum veram nobilitatem. Quid, veteres Attici nonne vt erant ingenio acuti, celeres & præstantes, ita etiam oratione maximè limati, suaues & elegantes erant? Vnde Attici sales, & Attica eloquentia prouerbio celebratur. Itaque si quis eo tempore, quo Athenis ingenuarum artium studia florebant, politiùs & eleganti-

tiùs loqui cupiebat, is Atticam linguam imitari omni studio diligentiaq; contendebat. At contra Thebani agreſtes & indocti, ruſticanisq; moribus homines ſermone etiam incompoſito & impolito naturæ ſuæ vim declarabant, vſque eò, vt qui tardi atque hebetis ingenij probra notaretur, is Bœoticum animum, Bœoticaq; ſe locutionem obtinere diceretur. Quemadmodum igitur acumen ingenij, honeſti mures, vitæ integra laudabilis eſt: ita etiam dicendi varietas, compoſita ratio, ſermonis elegantia eſt amabilis, vt qui verborum ſplendorem, & orationis lumina vituperat, is animi tenebras, & mentis cæcitatem laudare videatur. Et quidem oratio, quod antea diximus, apertiſſimum eſt ac certiſſimum animi ſimulachrum. Hac de cauſa prudentiſſimi quique viri ſemper huius rei ſtudioſiſſimi fuerunt. Neque quiſquam vnquam aut in quendo, aut inſcribendo magnam laudem meruit niſi qui politè & ornatè vel ſcripſit vel locutus eſt. Quanta enim eſt Platonis elegantia? quæ dicendi maieſtas? quæ vbertas? quæ copia? quæ iucunditas? Iouem ſum aiunt, ſi loqui vnquam voluiſſet, non melius aut ornatiùs fuiſſe locuturum. Quis Ariſtotele preſtantior atque politior? quis eodem, cùm opus eſt, eloquentior? quem orationis flumen aureum fundere Cicero verißimè dixit. Quis Theophraſto dulcior? quem ob diuinitate loquendi nomen inueniſſe conſtat. Quis Xenophonte iucundior? quem propter eximiam dicendi ſuauitatem veteres Apem & Muſam Atticam appellarunt. Quid horum omnium (vt verè dicam) magiſter Socrates, nonne totius iudicio Græciæ, cùm prudentia,

Acad quæſtion. li. 4. Quint. lib. 10 inſt. orat. ca. 1. & Plin. Secundus in præfat. hiſtor. nat. & Cic. in oratore ad M. Brutum.

dentia, & acumine, & venustate, & subtilitate, tum verò eloquentia, varietate, copia, quam se cunque in partem dedit, omnium facilè fuit Princeps? Iam verò nihil est, quod de Isocrate & Demosthene dicam, qui hac præcipuè ornatè dicendi laude claruerunt. Quorum alter intra domesticos parietes cùm officinam dicendi instituisset, aluit eam gloriam, quam nemo postea est consecutus: alter in Reipubl. luce versatus, tantùm & ornatu verborum & sententiarum luminibus excelluit, vt omnium, quicunque nati sunt, oratorum iure optimo Princeps habeatur. Quin etiam heroicis temporibus iam in maximo honore ac precio fuit ornata oratio. Nam plurimum laudis in dicendo Vlyssi tribuit Homerus: & Nestorem ita commendat, vt ab eius ore melle dulciorem fluere dicat orationem: ipse verò Poëta tam ornatus est, vt planè orator esse videatur. Sed quid exemplis in re minimè dubia opus est, cùm nullus omnino scriptor apud eruditos & vrbanos homines in precio sit, nisi sit idem elegans & politus? Vt enim alios omnes præstantissimos auctores, tum Græcos, tum Latinos, qui nomen suum in orbis terræ memoriam sempiternam disseminarunt, & elegantissima conscripserunt opera, dimittamus, cur Cicero præter cæteros tanto opere celebratur? nisi quia dono quodam prouidentiæ, sicut ait Fabius, genitus esse videtur, in quo totas vires suas eloquentia experiretur: qui tam clarus, suauis, ornatus, grauis & iucundus est, vt nihil prorsus addi posse videatur: in quo tam absoluta & perfecta est omnis dicendi ratio atque elegantia, vt quicquid in omnibus

Iliad. 3.
Iliad. 1.
Lib. 10. Institut. Orat. cap. 1.

cæteris auctoribus vel ingenio expolitum, vel industria elaboratum, vel artificio excultum reperitur, totum in vno Cicerone longè speciosius & splendidius appareat. Proh Deûm atque hominum fidem! fieri potest, vt tam peruersa mente quisquam inueniatur, vt cum ei Ciceronis in mentem venit, cuius ornamenta dicendi splendoremq; orationis omnes admirantur, quo nemo scripsit vnquam limatius atque ornatius, tamen sermonis elegantiam, & expoliendæ orationis studium damnare audeat? Sed iam valeant illi nescio qui humiles ac demisso homunculi, vrbanæ cultusq; dictionis inimici, ex hara producti, non è schola qui verborum sordibus oblectantur, & nihil eximium, nihil ciuile, nihil magnificum sentire, nedum eloqui possunt: qui tam alienata mente sunt, vt non intelligant, se ista sua linguæ petulantia & procacitate, quæ vobis dicendi elegantiæ studiosis maledicunt, omnibus præstantissimis scriptoribus, tam Græcis, quàm Latinis maledicere. Vos autem, ornatissimi Iuuenes, qui veram laudem & dignitatem quæritis: neglecta barbarorum inscitia, nostrum hoc bene dicendi studium amplectimini: quod semper viris magnopere placuit, quod omnia, quæ prudenter mente concepta sunt, audientium auribus mirifica cum iucunditate repræsentat: quod non modò summam orationi gratiam in dicendo, sed etiam scriptis immortalitatem elargitur. In hoc vno reliquorum omnium studiorum fructus est collocatus. Quid enim prodest rectè sentire, & prudenter intelligere, si quæ rectè sentias, & prudenter intelligas, politè eloqui nō possis? Quàm indecorum est, rei

res egregias & præstantes barbara & incondita oratione proferre? Vt si quis in cœnoso & putrido loco gemmas atq; vniones conseruet, aut venustissimo corpore fœminam laceratis atque immundis centonibus induat, faciemq; liberalem & honestam atramento lutoq; commaculet. Sed profectò nimium indocti atq; agrestis est animi, politæ orationis dulcedinem suauitatemq; non degustare. Qui autem liberaliter educati atq; instituti sunt, quales, vt verè dicam, vos estis, egregij Iuuenes, non minùs eleganter dicere, quàm rectè facere totis viribus elaborare debent: vt clarissimorum hominum cùm facta, tũ orationem imitantes, parem aliquando laudem & gloriam assequi meritò possint.

DE CONTEMNENDIS OBTRECTATORIBUS ad Mediolanenses.

ORATIO XIII.

CVm multũ in rebus, viri Mediolanenses, eos, qui studijs optimarum artium dediti, res egregias & excellentes expetunt, magno atque erecto animo esse oportet: tum in eo præcipuè, vt maleuolorum &

obtrectatorum voculas, quamuis ab eis assiduè vexentur, contemnant, ac pro nihilo ducant. Hoc enim commune est omnibus ijs, qui labore atque industria sua in aliquo laudis genere florere incipiunt; vt statim de inuidis eorum fama quasi à turbine aliquo quatiatur & labefactetur. Qua in re qui adeò timidi atque pusilli animi sunt, vt perterreantur, & ab incepto desistant: ij nihil vnquam egregium, nihil laudabile præstare poterunt: qui verò tam generosa, tamq; excelsa mente præditus est, vt quamuis vndique maledictorum aculeis inceſſatur, nihilominus tamen, quod rectè instituit, iter persequitur, & ad honoris atque dignitatis arcem enititur, is verè magnus & omni laude dignus vir existimandus est. Neque enim maioris fortitudinis atque constantiæ est, aduersarium non frangi calumnijs, neque debilitari; quàm assiduos perpeti labores, aut in arduis rebus nunquam animo defatigari. Sed tamen aliqui magno ingenio viri reperiuntur, qui plurimo quidem suis in actionibus omnibus studio, cura, labore, diligentia vtantur, sed adeò calumnijs atque maledictis inimicorum moueantur, vt si qua in re præter spem atque opinionem de fama sua detrahi fortè sentiant, maiorem in modum discrucientur. Quo quidem in errore atque dolore, quoniam hoc multis bonis accidit, etiam me longo tempore fuisse nihil me pudet confiteri: verùm deinde cùm ratione ipsa, tum sapientiss. morum bonorum exemplo sum ita confirmatus, vt, quod præclarè Poëta cecinit:

Qui

Quid proceres, vaniq; leuis quid opinio vulgi de me sentiat, planè securus sim. Quamobrem rationes eas & exempla, quæ mihi vehementer hac in re profuerunt, statui vobis hodierno die breuiter commemorare: ne fortasse vestrum quenquam improbæ maledicorum voces & calumniæ, quæ quouis gladio (quemadmodum Thearidas quidam dixisse fertur) acutiores sunt, à recta viuendi ratione dimoueant. Quod dum facio, quæso vos pro incredibili humanitate vestra, vt me sicuti facere instituistis, diligenter audiatis. Est quoddam hominum genus, Viri Mediolanens. in laboriosis quidem & honestis rebus atque actionibus iners & ignauum, sed in alienis rebus iudicandis & reprehendendis nimis audax & temerarium. Hi cùm nihil ex sese dignum laude, dignum luce parere possint, cùm nihil nisi abiectum, nisi humile spectent; tamen cùm aliquem nauum atque industrium virum, propter res egregiè gestas in honore ac precio esse vident, adeò cruciantur & affliguntur, vt non ei cibus, non potus, non lux, non vita suauis, nihil denique præterquam maledicere iucundum sit. Itaque summo cum animi liuore, non aliter atque viperæ, modò in hunc, modò in illum acerbitatis suæ virus euomere non desistunt. Horum iudicio si quis eloquentissimus sit, infans habetur, si maxima sit eruditione præditus, imperitus & arrogans appellatur, si constantissimus & fortissimus, imbellis & eneruatus prædicatur. Interdum etiam virtutes ipsas finitimis vitijs inquinare student. Magnanimum enim virum superbiæ

Virg. in Epigr. Vir bonus.

nomine accusant, doctum & eloquentem ostentationis & loquacitatis, religiosum superstitionis, prudentem malitiæ, verecundum timiditatis. Quòd si quis adeò præstans & præclarus sit, vt in omnium ore laudeq; versetur, vsq; eò tamen eum frigidè laudant, vt longè magis vituperare quàm laudare videantur. Hi sunt qui claros & excellentes viros continenter mordent, vexant, lacerant, qui nobilium mensis assidentes, vt aliquid ipsi præter cæteros sapere videantur, quos alij suspiciunt & admirantur, eos miro quodam supercilio despiciunt & aspernantur, qui, arrepta censoria, regula, de doctorum hominum lucubrationibus adeò temerè iudicant, vt quæ rectissimè bonorumq; scriptorum auctoritate posita sunt, ea pessimè barbareq; dicta pronuncient, qui deniq; nulla vnquam in re sibi quèplacent, atq; cùm de alicuius boni viri fama detrahunt. Hos ego penitus ab eis, qui dignitatis atq; honoris viam ingressi sunt, contemnendos ac negligendos esse censeo. Quod ita facilimè facient, si primò cogitent, nequaquam in nostra potestate situm esse, quid de nobis quisq; sentiat ac loquatur, atq; idcirco insipientis esse hominis eare dolere, quam corrigere nullo modo possit: deinde si ita se gerant, vt nulla in re meritò possint vnquam accusari. Illud enim egregiè verè dictum est ab Ouidio:

Fasto 1. 4.

Conscia mens recti famæ mendacia temnit.

Nam qui conscientiæ rectæ voluntatis innitur, is nihil certè calumniarum turbines, aut maledictorum procellas pertimescit: sed illud ex Ennio secum ipse tacitus frequenter insusurrat:

Dum

Dum clauum rectum teneam, nauimq; gubernem, dicat quisque de me quid voluerit. Quis enim nescit, ignauissimo atq; imperitissimo cuiq; licere, non solùm clanculum in eruditissimos & fortissimos viros, sed etiam apertè debacchari, & in quemuis, quocunq; libido tulerit, maledicta profundere? Sed pfectò rectissimè Philemon dixit: Nihil est iucundius, & docto viro dignius, quàm ferre posse conuiciantem, quoniam si ille, cui fit conuicium, dissimulauerit, in ipsum auctorem redundat. Neq; malè Pythagoras de sapiente quodam & strenuo viro, qui mihi conuicia pendebat, ita cecinisse fertur: Quint. lib. 2. Inst. Orat. cap. 18.

Οὐδ' ὅσον μύας συγερῶν ἐμπάζεσθο μύθων.

Verba (inquit) illa cõtumelioſa multò minùs curabat, quàm si à muſca læderetur. Potuitne magis inuicti animi virum oſtendere, quàm hac ſimilitudine? Quis enim in vnius muſcæ morſu vehementer indolet? quis non hoc leuiſsimum eſſe malum, ac propè nullum exiſtimat? Nos igitur eodem modo, cùm falſum aliquod in nos iactari conuicium audimus, non ſolùm nihil dolere, ſed ne quidem illud ad nos pertinere ſignificare debemus. Nam qui dolorem ex calumnijs capit, is ſeſe affinem eſſe culpæ oſtendit: neque ferè quiſquam maledictis multùm iraſcitur, niſi qui prauæ voluntatis conſcientia mouetur. Sed tamen interdum accidit, vt calumniatorum inuidia, cùm nos in aliqua re præclarè geſſerimus, non ſolùm nobis laus & gloria pereat, ſed quod longè peius eſt, etiam eo nomine malè audiamus: quæ certè res non poteſt animũ optimi cuiuſq; viri non mediocriter cõmouere. Verùm huic dolori facilè me-

debitur illud egregium Alexandri Magni dictum, qui cùm audisset, ab obtrectatoribus quibusdam de fama sua detrahi: Regium est (inquit) bene facere, & audire malè. Est enim profectò magni & excelsi animi (quemadmodum censet Aristoteles) nihil omnino calumnijs moueri, atq; iniurias non tantùm æquo animo tolerare, sed etiā prorsus negligere: vnde non sine causa Cicero magnopere Cæsarem in eo cōmendat, quòd nihil præter iniurias obliuisci soleret. At contrà qui calumnias & conuicia pertimescit, is certè magnis in viris habendus non est. Dum enim omni ratione studet inuidiam omnem euitare, atq; omnibus placere, plerunq; fit, vt in eas angustias incurrat, vt de salute atq; Lib. 1. Offi. dignitate periclitetur: quod Callicratida Lacedæmoniorum duci & Cleombroto contigisse testis est Cicero. Longè verò sapientiùs & melius cunctator ille Fabius se gessisse dicitur, qui cùm fractas ab Annibale pop. Rom. opes atq; vires intelligeret, æquo Marte cum eo dimicare nunquam voluit, sed eum per mōtes & aspera loca sequebatur: vnde per contemtionem à nonnullis Annibalis Pædagogus dicebatur. At ille nihil hoc cōuicio permotus, institutum suum sequi perseuerabat: donec tandem patientia sua ferocientem, & iuuenilibus exultantem hostem perdomuit. De quo Ennius:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Cic. de Senectut & lib. 1. Offic. Ergo postq; magisq; viri nunc gloria claret.

Idem Fabius in familiari collocutione frequentissimè dicere solebat: eum, qui conuicia metuat, longè sibi timidiorem videri, quàm qui hostes fugiat. Socra-

tes,

tes, vir Graciæ sapientißimus, etiam vtile esse dicebat conuiciatores audire. Nam si vera (inquit) dixerint, ea corrigere, atque ita meliores euadere poterimus, sin falsa, nihil ad nos ea pertinere facilè declarabimus. Quod etiam fortißimum illum atque sapientißimum Macedoniæ Regem Philippum non fugit, qui se Principibus Athenienſium maximam habere gratiam prædicabat, eò quòd suis conuicijs efficerent, vt ipse quotidie & moribus & oratione melior euaderet: dum eos (inquit) conor & dictis & factis mendacij cõuincere. Idem Rex cùm audisset, maledicum quendam frequenter sibi detrahere, nihil penitus se curare ostendit; cumque amici suaderent, vt illum si minùs extremo supplicio vellet afficere, saltem relegaret, imò verò subridens inquit, Hoc non faciam, ne fortasse apud plures externos ambulans de me malè loquatur. Quòd si magnum inimicis nostris dolorem magnamque tristitiam adferre studemus, illud Diogenis Cynici multò pulcerrimum dictum seruare oportebit. Quem cùm iuuenis quidam interrogasset, quo modo posset inuidos atque obtrectatores suos punire: Si teipsum (inquit) quotidie meliorem præstiteris. Hoc enim certè maximum est inuidis tormentum, hic ingens est cruciatus, hoc summum supplicium, cùm indies vident res nostras melius succedere, nosq; diligentia atq; assiduitate nostra quotidie fieri clariores: hoc illos perpetuò vexat, hoc cruciat, hoc efficit, vt inuidia disrumpantur. Quid, cùm intelligunt, à nobis se prorsus contemni, quo tandem dolore, quo furore, qua rabie concitantur? Quis enim id non vel legit, vel audiuit, quod

quod de Dione Alexandrino, Philosopho Academico memoriæ proditum est? quem conuiciator quidam insecutus, cùm toto die vexasset, neque vllam ab eo vocem elicere potuisset, Nihilne tandem respondes? inquit: at ille, Negry quidem, ait: quo audito, conuiciator tanto dolore affectus est, vt statim abiens se suspenderit. An non hac ratione longè atrociùs inimicum suum punitus est Dio, quàm si rusticorum more tota (quod aiunt) conuiciorum plaustra regessisset? Idem penè cuidam Socratis inimico dicitur accidisse, qui conuicijs non contentus, quæ in Socratem multa conuiciorat, eum etiam calce percussit: cùm autem amici quidam Socratem adhortarentur, vt percussorem in ius vocaret: Ridiculum, inquit: an si mihi asinus calcem impegisset, in ius vocarem? Itaque cùm ille se neglecto penitus à Socrate intelligeret, sibi ipse manum violenter intulit. Hæ sunt inuidorum & maleuolorum furiæ, hæc tormenta, hæc supplicia: quæ multò magis auctoribus ipsis nocent, quàm eis, quibus maledicunt. Vnde verè suauiterq; Poëta quidam Græcus in hunc sensum cecinit:

Plutarch. in Pædag.

Epigr. li. 1.

Ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δ' ὅτι καλὸν ἐν αὐτῷ, Τήκει τῶν φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην

Pessimus est certè, sed habet quædam optima liuor:
Inuidi enim meritò corda oculosq; vorat.

Hoc igitur nos maximè consolari debet, quòd inuidi longè maiorem ex felicitate nostra dolorem accipiunt, quàm obtrectando nobis damnum adferant, & maius ipsi dedecus subeunt, quàm nobis infamiam comparare possint. Sed illud in primis cauere debemus, ne nos ita transuersos itarapiat, vt præsenti maledico respondeamus. Turpis enim illa contentio,

tentio, & non tantùm prudente ac literato viro, sed quouis homine prorsus indigna, cùm maledictis maledicta rependuntur. Hac de causa Demosthenis illud dictum magnopere laudatur: qui cùm ab obtrectatore quodam conuicijs prouocaretur, Non descendam (inquit) in huiusmodi certamen, in quo qui victus fuerit, multò melior est eo, qui vicerit. Et certè tantò leuior & abiectior à sapientissimis viris quisque existimatur, quantò maledictis lacessitus magis excandescit. Aristippus, cùm eum maledicus quidam plurimis conuicijs incesseret, nihil respondebat, sed tacitus ire contendebat: ille autem magna voce clamans, Cur (inquit) aufugis? tunc Aristippus: Quia tibi potestas est malè loquendi, mihi verò non audiendi. Cleomenes Rex Lacedæmoniorum, cùm ei quidam maledicere non cessaret, An ideo de omnibus, inquit, malè loqueris, ne nobis ocium sit de tua malicia loquendi? Sed omnium maximè ciuiliter hoc in genere se gessisse Pericles Athenienſium princeps legitur: quem cùm improbus quidam conuiciator per totam vrbem sectaretur, & magno cum clamore obiurgare, vituperare, despuereq; toto die non cessaret, nihil vnquam ei respondere voluit, sed omnia maledicta summo cum silentio pertulit, quamuis in singulas horas ille maledicendo magis atque magis incalesceret: quin cùm vesperi domum rediisset, & eum ad ianuam vsque maledicus insectatus fuisset, iamq; noctis tenebræ superuenissent, quendam ex seruis suis ad se vocauit, & accepto lumine iussit hominem illum comitari, domumq; deducere. Quare quid constantius aut ciuilius excogitari

potest?

potest? Quis hoc nostro tempore tam mitis, tam clemens, tam constans non dicam Princeps, (nam ne vocem quidem cuiusquam liberam ferre possunt, nedum conuicia) sed quis tam mansetus homo reperitur, qui in tanta conuiciatoris improbitate vel dissimulare, vel tacere posset? Ex hoc intelligi facilè potest, quam animi magnitudine, quo mentis robore præditus ille vir esset, quem non tanta maledictorum multitudo mouere potuit, vt suæ benignitatis obliuisceretur. Fuit hæc quondam in animis veterum illorum constantia atque sapientia, nihil vt iniurijs moverentur, vt longè promptiores ad ignoscendum essent, quàm ad vlciscendum. Pittacus Mitylenæus, cùm in eius potestatem veniisset quidam, à quo grauiter læsus fuerat, eum tamen impunitum dimisit, illud pulcherrimum addens elogium: Veniam vltione multò præstantiorem esse: propterea quòd venia mansuetæ naturæ, vltio verò belluinæ sit indicium. Quod etiam Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, exemplo memorabili maximeque laudando comprobauit. Cùm enim iuuenis quidam Alcander nomine, illum odio inflammato secutus fuste percussisset, & oculum etiam eruisset, nullam ipse quæsiuit vltionem: verùm hominem candrum, publico decreto sibi traditum, tantùm abfuit vt puniret, vt etiam optimis & saluberrimis consilijs & præceptis eruditum ita emendauerit, vt postea vir probissimus & Reipubl. vtilissimus extiterit. Quid hac placabilitate atque clementia diuinius? quid admirabilius? At nos quidem, si quis paulò liberius accusauerit, statim indignamur, dolemus, vltionem que-

quærimus. Cur non potiùs imitamur Paulum illum Tarsensem, nostræ religionis antesignanum? Qui ad Corinthios scribens, ita de se gloriatur: Conuicijs afficimur, & benedicimus, persecutionem patientes, sustinemus, maledictis inceßimur, & obsecramus. Aut si ad perfectionem hanc nostræ mentis imbecillitas peruenire non potest, vt inimicis & obtrectatoribus nostris benefaciamus, saltem eos, clarißimorum hominum exemplo, contemnamus. Nam quis nescit, cuiusq; mentem & linguam esse liberam: & ex hominum numero longè plures esse, qui alios improbare, quàm qui laudare parati sint? An postulamus, vt nostra melior sit conditio, quàm præstantium omnium virorum, qui post hominum memoriam floruerunt, vnquam fuerit? Quis enim vnquam tam eruditus, tam excellens, tam ab omni laude felix extitit, qui obtrectatore caruerit? Quis vnquam tanta sapientia virtute qúe præstitit, qui maledicorum sermones effugere potuerit? Est enim virtuti comes inuidia, eamq; non aliter sequitur, atq; vmbra corpus: itaque nullo modo fieri potest, vt qui virtutem amplectitur, non etiam in inuidiam & obtrectationem incidat: sicuti ambulare in Sole nemo potest, quin etiam vmbram secum trahat. Non defuit Homero, non tantùm Poëtarum, sed etiam doctrinarum omnium principi, Zoilus suus: habuit Plato, ille verè diuinus, obtrectatores plurimos: Aristoteles, Demosthenes, ille Philosophorum, hic Oratorum princeps, maledicorum morsus euitare non potuerunt. Quid M. Tullius Cicero? quem verè Quintilianus ait dono quodam

1. Cor. 4.

Pro-

Inst. Orat. lib. 10. ca. 1.

Prouidentiæ genitū, in quo totas vires suas eloquentia experiretur, qui omnes ex seipso virtutes extulit mortalis ingenij beatissima vbertate, qui vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis finxit, nonne à sui temporis hominibus ita incessitur, vt tumidus, vt Asianus, vt redundans, vt in repetitionibus nimius, vt in salibus aliquando frigidus, vt compositione fractus, exultans, ac penè viro mollior ceretur? Quid P. Virgilij Maronis diuinum illudque mortalitate dignum ingenium? an non obtrectatum adeò patuit, vt nullum eius Opus extiterit, quod Hipponacteo (quod aiunt) præconio fuerit additum. Nā Eclogas Paro quidā tanquam non Latinè scripta irridere ausus est, noto illo & peruulgato versu:

Dic mihi Damœta, cuium pecus, ánne Latinum?

lius absolutum prorsus atq; ex omni parte perfectum Georgicorum opus irrisit, eo carmine:

Nudus ara, sere nudus, habebis frigora febrem.

Quin etiam Carbilius pictor contra diuinam Æneida iustum volumen conscribere non dubitauit. Vt satis apparet, nihil esse tam eximium, quod non cessere atq; violare maledicendi libido audeat. Quòd apud Græcos meretricula quædam, Leontium nomine, contra Theophrastum, hominem in eloquentia tantum, vt à diuinitate dicendi nomen uenerit, scribere ausa est? vnde prouerbium natum esse dicunt: Suspendio arborem esse deligendā. Sed quid hæc commemoro? Quasi verò nesciamus, iam Christum ipsum, nostræ salutis auctorem, impiorum maledictionibus, quoad in hac vita fuit, exposi-

Ex Cic. 1. de Nat. Deor. Et Plin. secūdi præfat. histor. natur. citat Eras. Chil. 1. Cent. 10. adag. 21.

positum fuisse. Nam eum Pharisæi legum violatorem, vini auidum, carnium appetentem, improborum socium atque amicum appellabant: & quæ diuina potestate virtuteq; faciebat, ea malorum Dæmonum artibus fieri clamitabant. Quare si Christo, non tantùm hominum præstantissimo, sed etiam Dei filio, maledicorum lingua non pepercit, quis est omnium, qui se ab ea tutum fore sperare possit? & si ea, quæ diuinitus fiunt, obtrectatoribus non carent; quid illis fiet, quæ natura humana parum cauere potuit? Itaque nemo vnquam sapiens ea re multùm sibi dolendum censuit, quòd à multis sibi detraheretur: quoniam hoc vitari nullo modo posse quisq; intelligit. Semper enim parati sunt, qui obtrectatione alienæ virtutis aut scientiæ famam sibi aucupentur: & ij potissimum (vt ait Plinius) qui veræ laudis expertes sunt. Quæ cùm ita sint, Viri Mediol. non est quòd quisquam nostrum amplius posthac vnquam angatur aut doleat, etiamsi multos esse, qui sibi detrahant, intelligat: modò nos ita caute geramus, ne maledicendi cuiquam occasionem præbere videamur. Immò verò quantò plures esse, qui de fama nostra detrahant, intellexerimus; tantò maiorem animo lætitiam, modò innocentes simus, capere deberemus. Qui enim innocens multos habet obtrectatores, is vt multis etiam virtutibus antecellat, necesse est. Nam nihil habenti nihil detrahi potest: ei verò, qui plurima bona possidet, etiamsi multa detrahantur, tamen semper aliqua supersunt, quibus iucundè frui possit. Clament igitur licet in nos, quantum voluerint, inuidi atque improbi homines, obstrepant,

Matth. 11. Luc. 11.

In Præfat. Nat. Hist. lib. 1.

latrent, debacchentur: nos exemplo sapientissimorum hominum, nihil eos omnino timeamus, vel potius vehementer negligamus: neque vllo modo patiamur, eorum calumniæ nos ab instituto virtutis veræq; nobilitatis cursu revocent. Sed quò magis obtrectatorum improbitas in nos incaluerit, eò nos erectiori animo promptioriq; res egregias & laude dignas amplectamur. Sic enim fiet, vt illi secum ipsi inuidiæ veneno contabescant: nos autem læti, quasi de hostibus assidue triumphantes, in honore atque dignitate quod reliquum est vitæ traducamus.

DE VITÆ ATQVE MORVM DISCIPLINA, ad Mediolanenseis.

ORATIO XIV.

CVm multa diuinitus, Viri Mediolanenses, à vestris maioribus illis sapientissimis viris inuenta atque constituta fuerint, quibus humanum ingenium, quasi rude, & à natura tantùm inchoatum, non autem perfectum, benè atque eleganter expoliretur, tum nihil præclarius, nihil humano generi salutarius, nihil rebus publicis vtilius ea disciplina, in qua de vita & moribus

ribus pertractatur. Hæc enim vna ratio fuit, quæ concilia cœtusque hominum, quæ oppida, quæ vrbes moliri & iure sociare cœpit: quæ dispersos olim homines in agris, & in tectis siluestribus abditos, sibiq; victu ferino vitam propagantes, ex feritate illa ad iustitiam atq; mansuetudinem traduxit: quæ ius humanum atque diuinum constituit, vnde leges exortæ, vnde vitæ tranquillitas, vnde omnis denique humana felicitas atque beatitudo. Ac mihi quidem, Viri Mediolanenses, cùm apud vos hodie, viros omni laude præstantes, de tam excellenti disciplina verba facturus in hunc locum ascenderim, venit in mentem non mediocriter subuereri, ne meis fortasse humeris impar onus temerè suscepisse videar. Quis enim meritis eam artem laudibus prosequi se posse confidat, à qua, tanquam à perenni quodam & lucidissimo purissimoque fonte, quicquid est in hominum vita laudabile, continenter effluit? Omnes enim honestas actiones, propter quas homines solas laudari meritò consueuerunt, quis non intelligit à vitæ morumque cognitione ac disciplina promanare? Nam quis egregiè res gerere valeat, nisi rectè gerendi viam & rationem intellexerit? Neque enim cuiquam dubium esse potest, quin in præclaris rebus agendis intelligentiam præcedere necesse sit, & voluntatem subsequi, quæ studium ac diligentiam ad bene agendum excitet atque impellat. Quamobrem hæc virtutum ac vitiorum cognitio, quæ vitæ morumque disciplina continetur, & sola benè beateq; viuendi rationem docet, tam eximia atq; diuina est, vt eã potiùs admirari, & tan-

quam è longinquo loco ſuſpicere, quàm dignis laudibus exornare valeamus. Sed tamen quoniam hic noſter campus noſter, in quo ſtatuimus hoc anno decurrere, & materia, quam publicè hoc in loco tractare volumus; non alienum à propoſito noſtro viſum eſt, quamuis non plenè veram hanc Philoſophiam laudare poſſimus, nonnulla tamen quaſi argumenti vice coram vobis hodie de illa proponere, quæ ſpecimen aliquod ſummæ iucunditatis atque vtilitatis, quam ex ea conſequi ſtudioſiſſimus quiſque facilè poſſit, apertè prædicant. Quod dum facio, quæſo vos, vt facere inſtituiſtis, diligenter attendite. Socrates ille, qui vnus ex omnibus Apollinis oraculo fuit olim ſapientiſſimus appellatus, Philoſophiæ moralis auctor à pleriſque fuiſſe traditur. Is enim cùm alios philoſophantes de natura & rebus occultis, de cœlo, de ſiderum magnitudinibus, interuallis, curſibus, de numeris montibuſq; ſtudioſe tractare videret, & vnde omnia orirentur, quòue recederent: primus (vt Cicero ſcriptum reliquit) Philoſophiam deuocauit è cœlo, & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit: & coëgit de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærere. Sed hoc certè non ita intelligendum eſt, quaſi ante Socratem nemo bene uſteque viuendi præcepta tradiderit: cùm ante illum plurimi ſapientes viri fuerint, qui pulcherrimas atque vtiliſſimas ad honeſtè viuendum ſententias nobis reliquerint. Nam ab initio generis humani credibile eſt, leges & iura, tam diuina, quàm humana, ſemper viguiſſe: ſed quia Socrates primus ex eorum numero, qui Philoſophi nomi-

Cic. de Senect. & lib. 1. Acad. Quæſtion. pag. 41.

Tuſc. Qu. libr. 5. pag. 230.

nominati fuêre, quorum Princeps & auctor nominis Pythagoras extitit, relictis rebus ab ipsa natura inuolutis, quas supra cognitionem humanã esse censebat, tantùm ea tractare cœpit, quæ ad vitam & mores honestè instituendos attinerent. Illud enim in ore frequenter habebat: Quæ supra nos, nihil ad nos. Hanc verò sapientiæ partem omnium reliquarum honestißimam atque vtilißimam esse iure optimo iudicabat, in qua videbat omnes ferè priscos illos sapientes viros & legislatores omne suum studium, omnem curam ac diligentiam collocasse. Nam etiam antiquißimi Poêtæ, Musæus Athenienſis, Orpheus Thrax, Linus & Amphion Thebani, multa rectè viuendi præcepta tradidisse memorantur. Vnde posteri finxerunt, ab Orpheo & Amphione non tantùm homines, sed etiam feras, & arbores & saxa sono testudinis fuisse commota, quoniam agrestes & duros homines sapientia sua mites & mansuetos reddiderunt. Quam rem Horatius in Arte Poêtica scitè atque eleganter explicat. Post hos etiam Poêtarum princeps Homerus, ad hominum mores honestiùs informandos totam Poêsin suam accommodasse videtur. Nam ab eo Philosophi deinceps omnes (vt Plutarchus atteſtatur) tanquam à copioſißimo ſcientiarum flumine ſententias ſuas hauſerunt. Neque cuiquam dubium esse potest, quin Hesiodus honestè viuendi magister optimus extiterit: cùm in eius Poêmate crebræ, tanquam stellæ quædam insignes, eluceant pulcherrimæ sententiæ, quibus ætas vniuscuiusq; potest ad honestatem informari. Sed nullum vnquam tempus

Cic. libr. 5. Quæst. Tusc. & Acad: 1. pag. 41.

In lib. de Homero.

fuit, quin apud omnes ferè nationes aliqui sapientes viri fuerint, qui honestè viuendi præcepta traderent: vt apud Persas Magi, apud Indos Gymnosophistæ, apud Assyrios Chaldæi, apud Aegyptios Prophetæ, apud Gallos Druidæ. Iudæi verò non ab aliquo mortali homine, sed ab ipso immortali Deo leges suas accepisse perhibentur, quas eorum legislator Moses a Deo acceptas, ad perpetuam memoriam lapideis in tabulis descripserit. Constat igitur, ab Hebræis, qui longissimo tempore religionis Antistites: & veri Dei cultores fuerunt, ad alias gentes ac nationes omnem sapientiam promanasse. Hinc Ægyptiorum mysteria, Chaldæorum prædictiones, Magorum superstitio, Græcorum leges & instituta profluxerunt. In hac gente plurimi Vates, diuino afflati spiritu, multa de animi immortalitate, de futura proborum hominum beatitudine, de Christiana religione, quam nos omnium purissimam & sanctissimam colimus, vaticinati sunt: donec tandem apud eosdem natus est ille, qui pulsis omnium errorum tenebris, ipsam nobis veritatem aperuit, & morte sua, quam pro totius humani generis salute libentissimo animo subiuit, ad cœlestem vitam iter patefecit. O fortunatos nimiùm Christianos, si quam ab immortali Deo gratiam acceperunt, eam omni studio conseruare, & honestis actionibus amplificare contenderint! Nobis enim solis, qui Christi leges & instituta sequimur, à Superis datum est initia, progressiones, absolutionem beatissimæ vitæ videre, amplecti, consequi: vt qui tanto beneficio, quod immensa Dei ipsius be-

nigni-

nignitate cunctis hominibus patet, negligentia sua spoliantur; ij meritissimò sint æternis supplicijs viui mortuiqúe mactandi. Quod enim tam multi celeberrimi viri, summo ingenij acumine, omnia industria, infinitis propè laboribus exquirendo, nunquam tamen inuenire plenè potuerunt, vt viam certam intelligerent, qua, posteaquam corporum vinculis exuti fuissent, in cœlestem domum conuolantes, beati æuo sempiterno perfruerentur; id nobis diuina gratia, Christo auctore, incredibili beneficentia concessum est. Sed prô Deûm atque hominum fidem! quis paulò prudentior sine summo animi dolore possit illud aduertere, multò meliores & sanctiores olim fuisse, qui falsam religionem colerent, quàm nos hoc tempore, qui in veritatis luce versamur? Quot enim apud Græcos quondam viri sapientes, qui omni virtutum genere floruerunt? quod apud Romanos tanta præstantia viri, vt summa cum honestate & religione viuerent? quot in toto penè terrarùm orbe, qui morum innocentia, vitæ integritate, animi sanctitate, iure omnia diuina atque humana diligentissimè custodirent? At hoc nostro tempore quotus quisque est, qui mores suos bene componere, vitia refugere, virtutes amplecti, mentem suam honestis præceptis informare studeat? Cuius rei quid aliud esse causæ dicemus, quàm quòd adolescentes Parentum & Magistrorum negligentia, in virtutum & vitiorum cognitione disciplinaq; nõ amplius exercentur, vt olim fieri consueuerat. Hoc enim in primis, vt ait Socrates, in Repub. bene institutæ curandum est, vt iuuenes honestis instructi

disciplinis, quàm optimi fiant. Vt enim agricolæ nouellas arbores summa cum diligentia colunt, vt tempestiuos edere fructus valeant: ita iuuentutem ad fortitudinem & temperantiam, cæterasq; virtutes instruere oportet, quoniam hoc est totius Reipubl. seminarium. Xenophon ille Socraticus, quem propter orationis suauitatem Apem, & Musam Atticam appellarunt, memoriæ prodidit, apud Persas olim fuisse Gymnasia, in quibus adolescentes æquitatem & iustitiam publicè docerentur. Quid Athenis, an non Academia, Liceum, Porticus, omnium virtutum erant officinæ? quid aliud in illis Gymnasijs tractabatur, quàm quid honestum esset, quid turpe: quod extremum bonorum & malorum, ad quod essent omnia referenda? Romæ verò non tantùm Præceptores ipsi, sed etiam Parentes filios suos ad honestas viuendi rationes instruebant, atq; etiam in conuiuijs clarorum virorum laudes ad tibiam canebant, vt ad eorum imitationem iuuenes excitarent. At hoc tempore tantùm abest, vt schola sit honestatis & temperantiæ, vt etiam plerunque, quod dicere pudeat, ab ipsis præceptoribus & parentibus adolescentes, ad vitia procliues & dociles, nefanda flagitia condiscant. Itaque non mirum est, si res tam priuatæ quàm publicæ in pejus quotidie ruunt: cùm iuuentus domesticis imbuta venenis, non ad honestatem adipiscendam, sed ad libidinem suam explendam, & perfruendas corporis voluptates animum inclinet: quo fit, vt nemo iustitiæ, nemo fortitudinis, nemo temperantiæ laudē assequatur. Ex hac autem virtutis & honestatis contentione,

Val. Max. lib. 2. ca. 1.

patria

patriæ proditiones, rerum publicarum euersiones, cædes, latrocinia, furta, stupra, adulteria, scelera denique omnia proficiscuntur. Nam vt homo, quemadmodum scitè ait Aristoteles, si omnibus suis partibus & numeris perfectus absolutusque sit, multò cæteris animantibus antecellit: ita si leges & iusticiam deserat, nulla ferarum fraus est tanta, nulla malicia, quæ possit cum eius malicia contendere. Cùm enim iniusticia armis instructa maximè sit horribilis, hominique à natura quasi arma quædam data sit prudentiæ ac virtutis, quibus in contrarias partes plurimùm vti possit, nihil eo, si virtute careat, sceleratius esse potest, nihil immanius, nihil denique ad libidinem & intemperantiam abiectius. Hæc igitur viderunt olim veræ certæque religionis ignari: nos Christiani non videbimus? Beatum iudicarunt eum, qui omnibus virtutibus instructus & ornatus esset, quem nullus metus terreret, nullæ ægritudines cruciarent, nullæ libidines incitarent, nullæ futiles lætitiæ exultantem languidis liquefacerēt voluptatibus: nos nō idem iudicabimus? Illi prudentiam, iusticiam, fortitudinem, temperantiam pluris quàm diuitias, quàm opes, quàm omnia corporis & fortunæ bona, facienda esse censuerunt; nos non censebimus? Clamat sapiens ille legum lator Athenienſium Solon: At nos non commutabimus cum virtute diuitias? Celebratur illa Critolai libra: qui cùm in alteram lancem animi bona imponeret, in alteram corporis & externa, tantùm propendere illā boni lancem putabat, vt terrā & maria deprimeret. Quamò igitur diligētius & ardentius

Cic. libr. 5. Tusc. Qu. pag. 238.

nos quibus ipsa veritas clarissimè lucet, honestatem adipisci, turpitudinemq; fugere contendere debemus: cùm præsertim id certum exploratumq; nos habeamus, de quo illi perpetuò magnopere dubitarunt, Animos nostros omnino esse immortales: & post hanc infelicem & calamitosam vitam, aliam esse perpetuam ac sempiternam; in qua illis, qui se optimè gesserint, immensa præmia; illis verò, qui se vitiorum illecebris commaculârint, ingentes pœnæ sint constitutæ. Hac fide atque persuasione inducti, studeamus ea perficere, quorum gratia nos natos esse prudentissimi viri statuerunt. Aiunt enim, Hominem ad intelligendum & agendum esse natum, quasi mortalem Deum: quoniam omnis intelligentia ad aliquem actionis finem semper est referenda. Sed quid potissimùm curare debet homo, vt intelligat? Certè ea ratione primò seipsum, deinde familiam suam, postremò Rempubl. vniuersam quàm optimè administrare sciat. Hic enim triplex est Moralis disciplinæ fœtus, quem qui bene perceperit & obseruarit, is & sapientissimus & optimus appellari meritò poterit. Ac seipsum quidem optimè reget, si quæ de virtutibus ac vitijs ab eruditis auctoribus scripta sunt, & quæ à laudatis viris fiunt, diligenter aduertat, edisca t, memoria teneat, deinde in eis multùm ac diuse exerceat. Parum est enim ea nosse, quæ facienda sunt, nisi quis re ipsa præstare, atque exequi agendo contendat. Vnde bene dictum est, Virtutem esse actuosam, & eius omnem laudem in actione consistere. Neque enim quisquam vnquam ideo magnam laudem

Cic. 1. Off.

est

est assecutus, quòd ea, quæ recta sunt, intelligeret, sed quòd in eorum actione studiosè diligenterq; se exerceret. Hinc Aristidis iusticia, Themistoclis fortitudo, Phocionis temperantia celebratur, non quòd illi præstantes viri virtutes has, quæ & quales essent, intelligerent: sed quòd primus eximiæ iusticiæ, alter fortitudinis, tertius temperantiæ opera præstiterit. Discat igitur, qui seipsum optimè regere concupiscit, primò, quid in quaq; re verissimum sit, quid expetendum aut fugiendum: deinde quid in hominum societate tuendæ tribuendoque suum cuique, & rerum contractarum fide conueniat: tum quid animi excelsi atque inuicti magnitudinem ac robur efficiat atque conseruet: denique in omnibus, quæ fiunt, quæque dicuntur, qui modus & ordo seruandus sit: postremò quibus modis appetitus rationi pareat, quo nihil est ad omnem vitam accommodatius. Eodem modo qui familiam ac domum suam accuratè velit instituere, priùs ea percipiat oportet, quæ de re vxoria, de paterno imperio, de herili potestate, de instrumentis tam animatis, quàm inanimatis, de tuenda re familiari traduntur, in eisque se frequenter exercendo, in vsum & habitum deducat. Omnis enim virtus ex frequentibus fit actionibus: Neque satis est, semel atque iterum bene aliquid agere, vt bene agendi tibi habitum compares: verùm optima intelligentia, constante voluntate, longo tempore, magna exercitatione opus est: & quo res illa, cui studemus, præstantior fuerit, eò etiam maiori ingenio, & diuturniore labore semper indiget. Vt qui bene Rempub. velit administrare, quod

terti-

tertium in Morali Philosophia docetur, cum non tantùm longo rerum vsu magnam sibi prudentiam comparasse oportet, sed omnibus etiam alijs virtutibus instructum esse, vt reliquos omnes & consilio regere, & constantia tueri, & aequitate conciliare, & vitae integritate, quocunque voluerit, impellere possit. Necesse est igitur, vt ius ciuile perdiscat, leges cognoscat, omnem antiquitatem percipiat, senatoriam consuetudinem, iudiciales controuersias, disciplinam Reipublicae, iura sociorum, fœdera, pactiones, causas imperij teneat. Hæc enim vna est sapientia, quæ reliquis omnibus humanis rebus antecellit: de qua ita apud Ciceronem

Cicer. de Somn. Scipion.

Scipio superior: Nihil est enim illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia cœtusq; hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur: harum rectores & conseruatores hinc profecti, huc reuertentur. Quod si quis hanc triplicem facultatem assequi potuerit, vt & seipsum, & familiam, & ciuitatem optimè regat, quid ei deesse poterit ad bene beateq; viuendum? Profectò nihil. Atqui hæc omnia moralis vna Philosophia sui studioso præstaturam se pollicetur: vt non sine maxima causa Cicero, cùm hæc præclarè intelligeret, ita exclamare non dubitarit:

Lib. 5. Tuscul. quæst.

O vita Philosophia dux! O virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum! quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ cõuocasti: tu eos inter se primò domicilijs, deinde coniugijs, tum literarum & vocum communione iunxisti: tu inuentrix legum, tu magistra morum

& disc-

& disciplinæ fuisti. Hæc & huiusmodi alia multa in Moralis Philosophiæ laudem iure optimo clamat Cicero. Quid enim aut pulchrius aut iucundius esse potest eo virtutū cœtu, quo cùm exornatus est animus, quasi in clarissimo quodam ac sublimi loco positus, infra se cœcas hominum mentes videt, varijs erroribus implicatas, & pro veris bonis inanes tantùm bonorum vmbras prosequentes, assiduis fortunæ tempestatibus agitatas, se verò tanquam in tranquillissimo portu constitutū, nullas amplius turbulentas pertimescere tempestates. Nam verissimè Poëta Satyricus ait:

Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ. Iuuen. Satyr. 10.

Ac primò quidem sese offert illa, quam Plato reliquarum virtutum ducem & moderatricem appellat, Aristoteles principem architectandi cæteras virtutes, Cicero viuendi artem & magistram, quoniam reliquis virtutibus tanquam administris ad sapienter agendum vtitur, & earū ordinem, opportunitatem, agendi rationem ostendit: ipsa verò tanquā mentis oculus est vndiq; lucidissimus: quæ, vt scienter ait Horatius, Magn. Moral. lib. 1. cap. vlt. Lib. 5. de Finib.

Quod verum atque decens est curat, & omnis in hoc est. Hor. lib. 1. Epist. 1.

Hanc Latini Prudentiam, quòd res expetendas & fugiendas, veras & falsas acutè prouideat, appellare voluerunt: eius enim vnius propria est indagatio atque inuentio veritatis. Græci φρόνησιν vocant, quòd à vera perfectaque mente proficiscatur, vnde modum & exemplar pulcherrimum omnium suarum actionum deducit. Quòd si qua nobis cum Cic. 1. Offi.

Dijs

Dijs immortalibus communitas intercedit, eamaximè virtutis huius gratia consistit. Itaque non sine causa Iuuenalis clamat:

Satyr. 10. & 14.

Nullum numen abest, si sit Prudentia.

Est autem Prudentiæ comes, vt ait Plato, Veritas, quæ cœli ciuis est, & sola Deorum conuictu fruitur, quam mens auidissimè complectitur, & cum ea semper est desiderat. Hæc eadem virtus est, quæ grauissimo nomine Sapientia vocatur, quæ scientia pollet vna, quæ quos verè præditi sunt, soli sunt beati, duplicique nomine decorantur. Quatenus enim rerum diuinarum atq; humanarum scientiam tenent, Sapientes appellantur, neq; tantùm moralem, sed etiam naturalem, & diuinam Philosophiam amplectuntur: quatenus autem res expetendas fugiendasq; discernunt, Prudentes nominantur. Ac sapiens quidē talis existit, qualem Ouidius Pythagoram describit, hoc modo:

Metam. 15. in princ.

Mente Deos adijt, & quæ natura negauit
Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit.
Cumq; animo, & vigili perspexerat omnia cura,
In medium discenda dabat, cœtumq; silentum,
Dictaq; mirantum: magni primordia mundi,
Et rerum causas, & quid natura, docebat,
Quid Deus, vnde niues, quæ fulminis esset origo,
Iuppiter, an venti, discussa nube, tonarent,
Quid quateret terras, qua sidera lege mearent.
Et quocunq; latet. Quid autem illo homine beatius esse potest, qui in his habitet pernoctetque cogitationibus? qui omnium eorum, quæ in cælo, quæ in mari, quæ in terra fiunt, diligentissimas

sas inuestiget & inueniat? qui non hac tantum sapientia, sed etiam illa prudentia fretus, cum ad res gerendas adhibetur possit ea verè dicere, quæ Vlysses apud Ouidium de se ipso contra Aiacem hoc modo iactat, & gloriatur. Metam. Lib. 13.

Tu vires sine mente geris, mihi cura futuri:
Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: tu tantum corpore prodes,
Nos animo: quātoq; ratem qui temperat, anteit,
Tantùm ego te supero. Omnino prudentes ac sapientes viri maximam vbique dignitatem obtinent, eos reges, principes, imperatores obseruant, populi admirantur, omnes denique suspiciunt: hi soli ciuitates bene regere, leges & instituta condere, mores emendare, discordias & seditiones tranquillare, summamq; in populis concordiam & pacem conciliare facilè possunt. Hic est ille sapientissimus vir, quem diuinus Poëta Virgilius in seditione vulgi furentis ita describit: Aen. 1.

Tum pietate grauē, ac meritis si fortè virū quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Huic succedit ea, quam Iusticiā appellamus, quæ tanta dignitatis est, vt virtutū omnium, quæ in actione totā cōmendationem suam habent, domina & regina meritissimò prædicetur. Vt enim prudentia in intelligēdo, ita iusticia in agendo principem locum obtinet. Vnde rectè dixit Euripides: Iusticiā os aureum habere, neq; hesperum aut luciferum tantā sui admiratiōnē concitare. Ex quo factū est iam tritum sermone prouerbium, Arist. 5. Ethic. 1.

Offi. 1. & 2. um, Iusticiam in se virtutes omnes continere. Ea enim (vt ait Cicero) societatem hominum inter ipsos & quasi vitæ communitatem continet: in hac virtute splendor est maximus: ex hac vna boni viri nominantur: nulla ciuitas, nullus hominum cœtus, nulla vita communitas sine iusticia esse potest: imò verè neque latronum & improbissimorum hominum conuentacula, nisi iusticiæ aliquo vinculo colligentur, vllo modo consistere diutiùs possunt. Herodotus autor est, apud Medos olim iusticiæ fruendæ gratia bene moratos reges fuisse constitutos: quoniam hoc munus omnium regium est, populus iusto imperio continere. Quæ de causa Poëtæ Iusticiam Iouis ipsius Deorum atque hominum regis filiam esse confinxerunt, & esse perpetuo virginem: quia sit constans, fidelis, vera atque integra. Hæc vna nobis Deorum religionem, patriæ caritatem, parentum pietatem, fraternum amorem, bonorum hominum amicitiam ingenerat: hæc honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere docet: ab hac initium est perpetuæ commendationis & famæ, sine qua nihil omnino potest esse laudabile: hæc est legum omnium, iurum, institutorum, decretorum, conuentionum, fœderum, pactorum fundamentum: vt qui iusticiam contemnit, nullo penitus humanitatis iure cum alijs sociari possit. Ecce autem illa, quæ in magno & excelso animo posita, pro iusticia & æquitate pugnat: quæ pro communi vtilitate, pro honestate, pro dignitate, pro gloria pericula quæq; subire parata est, & mortē dolores q; contemnit, quæ iniuriā à se atq; à suis propulsat, quæ nullo metu,

Ci. 2. Offi.

metu, nulla cupiditate frangitur; quæ inuictam se à labore, atque voluptate præstat; quæ nunquam in rebus asperis perturbatur, quæ in omni re gerenda consilioque capiendo constantiam seruat; quæ viri maximè propria est, Fortitudo. Hæc est illa quæ res humanas despicit, atque infra se positas arbitratur, neque fortunæ vlla fulmina pertimescit, neque vlla ægritudine concutitur, neq; vnquam malis cedit: sed in ea semper audentior insurgit. Hic est ille fortis & constans animus, quem,

Si fractus illabatur orbis, (vt ait Horatius) Lib. 3. Od. 3.
Impauidum ferient ruinæ;

qui pro patria, pro aris & focis vitam exponere nihil dubitat, & sua sponte se periculis obiectat: neq; expectat, vt ab aliquo excitetur, sed vltro alios ipse excitat: vt apud Virgilium Turnus milites suos:

Quod votis optastis, adest, perfringere dextra. Aen. 10.
In manibus Mars ipse, viri: nunc coniugis esto
Quisq; suæ, tectiq; memor: nunc magna referto
Facta patrum, laudes: vltrò occurramus adundam
Dum trepidi, egressiq; labant vestigia prima.
Audentes fortuna iuuat.

Sunt autem hæc splendidissima, quæ animo magno elatoque humanasq; res despiciente fiunt: & nescio quo modo pleniori ore laudantur. Hinc omnis disciplina militaris, & bellica virtus, quæ cæteris præstat omnibus, in cuius tutela ac præsidio omnes vrbanæ res, & omnia præclara studia latent: hinc Camilli, Fabij, Scipiones, Decij, Cæsares, innumerabilesq; alij sibi æternam gloriam pepererunt. Sequitur ea, quæ rebus in

omnibus modum atq; ordinem seruare docet; qua-
liquarum virtutum quasi condimentum quoddam q-
quæ pacem animis affert, & eos cõcordia quadam
cat ac lenit, quæ moderendis cupiditatibus, regendis
ænimi motibus laudatur, cui Temperantiæ nomen e
In hac est verecundia, & quasi quidam ornatus vi
omnisque sedatio perturbationum animi: hæc est r
tionis in libidinem atque alios non rectos impetus a
mi summa & moderata dominatio: hanc vnam M
nander virtutis domicilium esse censuit: hanc Plato
Charmide humanæ vitæ custodem appellat. Idem
Gorgia præcipit, vt qui felix ac beatus esse velit, tem-
perantiam exerceat. Xenophanes nihil in homine ma-
li nasci posse dixit, qui temperantiam, quæ sapientiæ
fundamentum est, amplexus fuerit. Neq; enim virum
temperatum blandissimæ dominæ voluptates vnquam
decipiunt: hic à rebus alienis manus, oculos, mentem
cõtinet: hic nullis vitiorum illecebris irretitur: hic par-
cè, continenter, seuerè, sobriè vitam agit, neque vlla
vnquam luxuria diffluit. Quin etiam hæc vna virtus
non tantùm aliarum virtutum custos & conseruatrix est, sed etiam bonæ valetudinis mater: itaque sa-
pientissimis viris semper amicissima fuit. Quanta e-
nim temperantia vixisse memorantur olim apud Grae-
cos Socrates, Plato, Xenocrates, aliíque plurimi: apud
Romanos Fabricius, Curius, Scipiones: denique omnes
apud vniuersas nationes, quicunque auidi laudis &
gloriæ, magniq; nominis appetentes fuerunt, & hones-
stè viuere concupiuerunt? Hic est ille concentus omni-
um virtutum vndiq; perfectus & absolutus, quo noster

amb-

animus cùm informatus fuerit, diuinus efficitur, & eo splendore decoratur, vt nihil admirabilius in toto terrarum orbe, nihil præstantius, nihil speciosius esse possit: quem non modò ego breui hac oratione mea, sed ne vir quidem diuina præditus eloquentia quisquam immensis voluminibus explicare, atque exornare satis pro dignitate valeat. Quamobrem vos quæso, Viri Mediolanenses, quod nemo verbis efficere potest, vt omnium virtutum excellentiam persequatur, supplete cogitatione vestra, quæ omnis infinitatis facilè capax est, & quæcunque vult, ita sibi repræsentat, quasi ea, quæ oculis cernimus. Fingite igitur animis vestris eam honestatis & sapientiæ formam, quam oculis ipsis videre non possumus: quàm putatis illam ardentes amores excitaturam sui, si videretur? Nam si corporum pulchritudine tantùm incendimur: quid futurum censemus, si mirificam illam animorum dignitatem, omnium virtutum numeris absolutam ac perfectam, oculis cernere possemus? Sed belluarum est atque imperitissimorum hominum, sensibus tantùm corporis, non autem animi intelligentia moueri: neque cogitare, quantùm animus corpori præstat, tantùm etiam animi ornamenta corporis ornamentis antecellere. Vos autem iuuenes, & expoliti viri, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis, dies noctesque animo vestro perpendite, quid grauitas, quid integritas, quid magnitudo animi, quid denique virtus valeat: quam quibus verbis melius aut elegantius, quàm ipsius oratorum principis Ciceronis

Pro P. Sest. commendare vobis possumus? Virtus igitur (ait Cicero) in tempestate saua quieta est; & lucet in tenebris, & pulsa loco, manet tamen, atq; hæret in patria, splendetq; per se semper, neque alienis vnquam sordibus obsolescit: hæc altissimis defixa radicibus, nunquam vlla vi labefactari, nunquam dimoueri loco potest: hæc neq; eripi, neq; surripi potest vnquam, neq; naufragio, neq; incendio amittitur: hac qui præditi sunt, soli sunt diuites. Cogitate quid illo viro nobilius, quid præstantius, quid honorificentius dici aut fingi possit, qui ita suum animum exornarit, vt omnia prudenter, iuste, fortiter & temperatè gerat, qui tanquam Deus quidam mortalis, & seipsum, & familiam, & vniuersam Rempubl. optimè regere atque administrare sciat, ad quem, tanquam ad oraculum, vndique consilij capiendi gratia populi ac nationes confugiant, quem omnes suspiciant, omnes admirentur, omnes digito commõstrent, vna voce laudent, extollant, felicem ac beatum prædicent. Et cùm illum animo vestro tam præstantem atque eximium virum intuiti fueritis, tum in vos ipsos descendite, & omni cura, studio, labore tales esse contendite, vt vel cum eo conferri, vel saltem ad eum quàm proximè accedere valeatis. Quod ita demum assequi poteritis, si hanc honestè viuendi artem atque disciplinam, quam hoc anno vobis explicare decreuimus, summa cum attentione primò didicerit is, deinde quotidiana exercitatione ad vsum atq; experientiam deducere contenderitis. Neq; enim huius disciplinæ finis est cognitio, sed actio. Quòd si vos vllus laudis amor tangit, si præstare cæteris animantibus stu-

studetis, si deniq; vobis aliqua est bene beateq; viuendi cura, quæ maxima esse debet: hæc, ad quæ vos adhortati sumus, omni diligentia perficietis.

DE PARENTVM IN ERVDIENDIS LIBERIS, atque Adolescentium in studijs optimarum artium officio, ad Mediolanenses.

ORATIO XV.

CRedo ego, vos vnà mecum frequenter admirari, Viri Mediolanenses, quid in causa sit, quòd cùm omnes ferè nostri adolescentes, præter cæteros ingenio memoriaq; præcellant, & quodam etiam naturali mentis instinctu, afflatuq; quasi diuino trahantur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem, magnaque sint in hac ciuitate literarum studijs, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem proposita præmia: tam pauci tamen ex eis emergere, & bonis in artibus excellentes euadere soleant. Ac mihi quidem diligenter hoc animo voluenti atq; reputanti, cùm huiusce mali

permultæ esse causæ, tum duæ præcipuè videntur, quæ si quo modo radicitus extirpari atque euelli possent, tum verò spem minimè dubiam conciperem, fore, vt breui tempore nostri homines multùm cæteris hominibus omnium gentium, literarum gloria præstarent. Dicam enim audacter id quod verum est: Nimis indulgentes sunt in liberos suos ciues nostri, & teneriore, quàm conueniat ac deceat, eos animo complectuntur. Quæ sanè mihi prima atque maxima videtur esse causa, cur plerunq; tardiores atq; segniores ad humanitatis ac literarum studia fiant. Ita enim ingenium est omnium hominum (quod ait Comicus) à labore procliue ad libidinem: vt nisi puerorum atq; adolescentum animi seueritate quadam, & frequentissimis quasi stimulis orationis ad honestatem excitentur, iurgyi autem & minis, vel etiam grauiori, cum opus fuerit, reprehensione à turpitudine retrahãtur, facilè studijs honestatis derelictis, in omne dedecus prolabãtur. Nescit enim ætas illa rerũ vllum modum suis in actionibus obseruare, sed quocunque rapit eam vehementior appetitus atque cupiditas, eò sine diligenti cogitatione facilimè declinat. Altera est eiusdem mali causa, quoniam labores & vigilias, eamque, sine qua nihil, quod laude dignum sit, asse qui quisquam potest, diligentiam adolescentes plerique nostri refugiunt, & ea tantùm à pueritia percipiunt, quæ Præceptorum ope, sine studio suo, sine industria, sine labore percipere possunt. Nam, per Deos immortales! quid adolescentibus nostris, dum ijs in artibus, quibus ætas puerilis informari solet, à Præceptoribus detinentur, ingeniosius? quid

Ter. Andr. Act. 1. Sc. 1.

acu-

acutius? quid magis docile? quã enim facilè, quæcunq; traduntur, percipere solent? quã fideliter continere? quã denique mirabiles breui tẽpore progressiones in percipiendis disciplinis efficiunt? quoniam eo tempore non sua, sed præceptorum tantùm industria atque diligentia nituntur. Sed postquam è pueris excesserunt, nec amplius adest illis præceptorum cura, qua sedulò priùs ad studia trahebantur; liberiùs viuendi potestatem nacti, literarum studia quasi seruile quoddam iugum aspernantur & reijciunt: tantumque abest, vt eam, quam à primis annis perceperant, eruditionem augere studiosè contendant; vt etiam, quæ antea summa cum præceptorum assiduitate didicerant, obliuioni penitus tradunt. Huius igitur cessationis atque negligentiæ partem sibi parentes ipsi vendicant, qui filijs suis habenas vsque eò laxant, vt in eis plerunque sit omnium rerum infinita atque intoleranda licentia: partem etiam adolescentes, quos cæca & temeraria dominatrix animi cupiditas tantùm exagitat, vt ante eorum oculos non honor, non gloria, non dignitas, sed ludi, ioci, conuiuia, voluptates obuersentur. Itaque cùm hanc tantam adolescentium corruptelam plerunque multarum in Republica causam esse calamitatum non ignorem, neque publicis tantùm, sed etiam priuatis rebus sæpissimè maxima videam afferre detrimenta: statui, si quo modo fieri poterit, hodierna concione mea rationem atque modum ostendere, quo non solùm vitium hoc emendare, sed etiam facilè possint & parentes liberos suos in dignitatis atq; amplitudi-

nis via continere, & adolescentes ad eam scientiarum & virtutum metam, quæ sit etiam ad posterorum memoriam gloriosa, contento studio cursuq; pervenire. Quod dum facio, quæso vos, vt me attentissimis animis summa cum benignitate, sicuti facere instituistis, audiatis. Est enim (vt hinc primùm exordiar) in ipsis parentibus maximè situm, vt intemperantiam caueant, & verecundiæ meminerint adolescentes, & honestatis cursum teneant, & denique capiant gloriæ portum & dignitatis. Quod ita facilimè facient, si ab ipsis statim incunabulis acerrimam illis curam impenderint, vt cum nutricis lacte moribus quàm optimis imbuantur, vt non in delicato, sed simplici victu, non in ocio, sed labore, non in luxu, sed rerum omnium parsimonia, non in temeritate & audacia, sed modestia & verecundia, non in licentia, sed timore, non in puerilibus nugis, sed in liberalibus disciplinis, primam eam ac teneram ætatem traducant. Atque illud in primis apud animum suum parentes statuant, Nullas se filijs suis præstantiores posse diuitias relinquere, quàm si eos bonis artibus instructos, & bene moratos reliquerint. Tales enim (aiebat Aristippus) nobis opes comparandæ sunt, quæ si fortè naufragium facere contingat; vnà cum domino possint enatare, quæ nec eripi, nec surripi possint, nec temporum, nec tempestatum permutatione mutari, quas nobiscum habere, nobiscum semper afferre possimus: vt si fortè peregrinari, solumque vertere contigerit, liceat nobis cum Biante Prienensi dicere: Ego omnia mea mecum porto. Quare multò magis filiorum ani-

mis,

mos, quàm corpora curare parentes debent. Sic enim quæso mecum, optimi Ciues, cogitate: Si cui vestrum fortè filius dilaceratis vestibus, deformata facie, luto squaloréq; obsitus, macie atque fame confectus occurrat, an non cuiusque vestrum animum ad misericordiam ita cõmoueat, vt lachrymis præ nimio mœrore totus destillet? Cur igitur, cùm eundem filium ab omni honestate alienũ, improbum, flagitiosum, obscœnis tantùm voluptatibus deditum videtis, non eodem modo commoueamini? non omni studio, cura, diligentia laboratis, vt in viam redeat? vt turpem illam viuendi consuetudinem relinquat? Cur vos ipsi indulgendo facitis, vt deteriores quotidie fiant? Vtinam (ait Quintilianus) liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. Infantiam statim delicijs soluimus. Mollis illa educatio, quam indulgentiam appellamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Quos enim virtutum fructus adulta iam ætate laturum eum animum sperare possumus, qui à teneris vnguiculis vitia statim imbibit? Quid non ætatis progressu concupiscet, cuius infantiam parentes, argento, auro, purpura, preciosis atque holosericis vestibus exornant? Quam in adolescentia temperantiam præstare poterit is, quem puerum atque adeò infantem parentes conquisitissimis epulis, & obsoniorum omni genere saturant? Qua ratione sobrius in reliqua vita fiet ille, quem à pueritia parentes ebriosum efficiunt? Hæc nimirum in causa sunt, vt optima nostrorum adolescentium ingenia tam facilè corrumpantur, vt omnis ferè iuuentus nostra voluptati se dedat, laborem

Inst. Orat. lib. 1. c. 3.

effugiat, nihil cessatione melius existimet. Educantur enim ab infantia molliter & delicatè, stipantur muliebri & delicato ancillarum puerorumq; comitatu: molles tantùm, atq; etiam sæpissimè turpes audire sermones assuescunt: adest in mensa mater, quæ illis ad nutum quæcunq; voluerint, obsonia subministret, quæ merum affatim præbens, cor & vitam suam appellat, quæ cuiusq; generis bellaria dulcissima frequenter ingerat: adsunt qui illis assiduè blandiantur, qui adulentur, qui dominos ac principes appellent, qui iam puellas & amicas illis præparent: ipse verò puer fulget in purpura, tantis affluens delicijs, vt ad omnia quodammodo nauseare videatur, omnes iam quodam supercilio contemnat, & iam vulnera, iam mortes minitetur: cùm interim parentes gaudeant. Si quid fortè maiore cum licentia dixerit, & verba quauis acri reprehensione dignissima, cum risu & osculo excipiunt. Et quisquam erit, qui cùm hæc intelligat, admiretur, tam paucos esse, qui doctrinarum gloriam capessant? Magna vis est consuetudinis, quæ non facilè, cùm inhæserit, extirpari potest, sed quasi in naturam abit. Itaq; fit, vt iuuentus nostra, postquam adoleuerit, ne si voluerit quidem, has infantiæ delicias prorsus exuere possit. Et quamuis nonnulli fortasse reperiantur, qui inter hanc tam mollem viuendi rationem, inter tantam parentum negligentiam atq; indulgentiam nonnunquam emergant, & in præstantes viros euadant, quales multos habet hæc nostra ciuitas: non tamen ideo sperandum est, etiam reliquos horum vestigia secuturos. Id enim verissimum est, quod ait Satyricus:

For-

Forsitan hæc spernant iuuenes, quib. arte benigna Iuuenal.
Et meliore luto finxit præcordia Titan. Satyr. 14.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Quamobrem qui parentes liberos suos ad gloriam, ad opes, ad dignitates aliquando maximas peruenire cõcupiscunt, hos penitus exuere mores, hanc immutare cõsuetudinem prorsus oportet: quæ tam perniciosa est, vt puerorum ingenijs detrimenti tantum afferre solet, vt etiamsi optima nata fuerint, omnino breui tempore deprauentur. Seruandumq; est eiusdem Poêtæ præceptum illud optimum:

Nil dictu fœdum, visuq;, hæc limina tangat, Iuuenal.
Intra quæ puer est, procul hinc, procul inde puellæ Satyr. 14.
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia.

Cõfestim igitur ita puer educãdus, atq; monendus est, vt ne quid cupidè, ne quid improbè, ne quid impotenter faciat: habendumq; in animo semper illud Virgil. Quintil: Inst. Orat. lib. 1. ca. 4. Georg. 2.

Adeò à teneris assuescere multum est.

Abeunt (vt ait Ouidius) studia in mores. Ferunt olim puerum quendam, Platonis discipulum, cùm domum reuersus parentem suum nimis effusè ridentem videret, vehementer admiratum dixisse: Quid hoc, pater, est, quòd tam immodicè rides? equidem apud Platonem nihil vnquam tale conspicatus sum. Faciles enim ad vtramq; viam puerorum animos natura gignit, vt cùm ducẽ nacti sunt, vel ad honestatẽ, vel ad turpitudinem non admodũ repugnantes sequantur. Itaq; præcipuum hoc parentis officiũ esse statuo, vt nulla in re filijs

suis

ſuis nimiùm indulgeat, vt omnes ab eis delicias re-
ueat, vt neminem ex familia, quem obſcœnis mo-
bus eſſe ſciat, cum filijs conſuetudinem habere patia-
tur, vt eos cuiuſque generis laboribus aſſuefaciat, vt a
vitæ frugalitate temperatis eſcis, modiciſque pot ati-
nibus educet, vt & ipſe doceat quæcunque poteſt, &
probos atque eruditos eis Præceptores quærat, im-
peturq; Catonem illum Cenſorium, virtutum omnium
pulcherrimum exemplar: qui præceptor ipſe filij ſui eſ-
ſe voluit, quamuis Chilonem optimum apud ſe Gram-
maticum haberet. Eum enim & literas & leges Ro-
manas edocuit: eum iaculari, & arma tractare, e-
quitare, calorem & frigus, famem & ſitim tolera-
re, rapidos gurgites, & velociſſimos fluuios tranare,
ita aſſuefecit, vt nullus ex omni Romana iuuentute hu
in artibus eum antecelleret. Præterea Romana
Hiſtorias manu propria maiuſculis literis exaraſſe di-
citur, vt maiorum ſuorum exempla, qui fuerant om-
ni genere virtutum cumulati, ſemper ante oculos ha-
bere filius poſſet. Averborum non tantùm obſcœni-
tate atque turpitudine, ſed etiam licentia, præſente
filio, perinde temperauit, quaſi cum Veſtalibus vir-
ginibus loqueretur. Legerat enim, (vt arbitror) Pla-
tonem, illum grauiſſimum honeſtatis præceptorem, in
omnibus ferè Dialogis ſuis parentes in primis ad recte
liberos educandos adhortari. Primam enim & ma-
In Lachete *ximam* Reipubl. *curam in iuuentute liberaliter inſti-*
tuenda conſiſtere Plato *iudicat: quæ deinde paren-*
tibus ſuccedens, vniuerſam Rempubl. *& prudentia, &*
optimis conſilijs, & morum integritate nō ſolùm tuea-
tur

tur atq; conseruet: sed etiam exornet & amplificet. Quòd si quando magna opus est in filijs custodiendis diligentia: tunc certè maxima est adhibenda, cùm à priuatis præceptoribus profecti, viuere liberiùs incipiunt. Nam antea non ita facilè scire possumus, aut ingenium noscere, dum ætas, metus, magister, vt ait Terentius, prohibent: at verò cùm à pueritiæ disciplina discesserint, tunc maximè cuiusq; natura sese effert: quæ quasi custodia vinculis exemta, quocunq; tulit eam impetus, sine cogitatione defertur: quòd nisi rector aliquis adsit & moderator, qui auctoritate sua consilioq; reuocet ab ijs cupiditatibus, quibus ætas illa maiorem in modum obnoxia est, ad deteriorem partem plerunq; sese applicat. Tunc enim, quemadmodum rectè ait Persius,

And. Act. 1. Scen. 1.

Satyr. 5.

Iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes.

Tunc quiuis est (vt Horatius verissimè scribit)

In Arte Poët.

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Eo potissimùm tempore corporis voluptas, illecebra turpitudinis temerè & effrenatè sensus mouet: quæ boni naturam fallaciter imitando adulterat, quam Plato escam malorum appellat: in cuius regno virtus consistere non potest. Ab hac blandissima domina nisi omni cura atque diligentia retrahantur adolescentes, sæpe maiores animi partes à virtute detorquent, & paulatim omnem honestè viuendi rationem deserunt. Quod vtinam non nimis frequenter nostris adolescentibus accidere videremus, quorum eo tempore curam parentes dimittunt, quo maximè

Citat Cic. de Senect.

cura-

Plato in Lachete.

curare eos oporteret: decimum enim sextum aut septimum agentes annum, qua quidem ætate propter sanguinis feruorem, cuiusq; generis voluptatibus abripere magnopere solent, sine vllo morum custode, sine studiorum moderatore, vel ad publica Gymnasia, quæ nostra tempestate scatent omni flagitiorum genere, mittunt, vel liberè, quocunq; voluerunt, euagari patiuntur. Itaq; mehercule minimè mirum est, si labores omnes & vigilias aspernantur, voluptates autem & earum ambabus (quod aiunt) vlnis amplectuntur: cùm à ipsa pueritia delicijs affluentes, nullam vnquam corporis incommoditatē sentiant: ineunt verò adolescentia rerum omnium infinitam licentiam nanciscantur, vt suo arbitratu, quicquid libido præscripserit, aggredi possint, vt eorum tantùm, quos flagitijs atque improbitati suæ fauere senserint, consuetudinem & familiaritatem sequantur. Non hæc erat veterum illorum sapientißimorum hominum Romanorum consuetudo, qui ita suos adolescentes instituebant, vt ætate illa lubrica, cui inest maxima imbecillitas consilij, maiores natu non aliter vererentur, quàm si communes omnium parentes essent, exqúe his deligerent optimos & probatißimos, quorum consilio atque auctoritate niterētur. Putabant enim ineuntis ætatis inscitiam, sensum prudentia constituendam atque regendam esse: maximè autem hanc ætatem à libidinibus arcendam, exercendamq; in labore, patientia & animi & corporis arbitrabantur, vt eorum & in bellicis & in ciuilibus officijs vigeret industria. Quem quidem exercendæ magnis in laboribus iuuentutis morem antiquæ Italiæ

Ci. 1. Offi.

fuisse

fuisse Numanus quidam apud Virgilium his verbis ostendit:

Durum à stirpe genus; natos ad flumina primùm Aeneid. 9.
Deferimus, sæuoq; gelu duramus, & vndis.
Venatu inuigilant pueri, siluasq; fatigant.
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoq; assueta iuuentus,
Aut rastris terrā domat, aut quatit oppida bello.

Legimus Lycurgum, Lacedæmonium legislatorem, inter alias præclarissimas leges suas instituisse, vt adolescentes perpetuis in laboribus exercerentur, vna tantùm veste, siue hyems siue æstas esset, vterentur, sine vllo pulmento vescerentur, nihil sibi somni causa substernerent, venando, currendo, sudando, ciborum condimenta quærerent, famem, sitim tolerarent: quibus ex rebus fiebat, vt inuicto prorsus animo Spartana iuuentus esse videretur. Persarum in adolescentibus instituendis morem & consuetudinem Xenophon exponit, quos à natu maioribus in omni disciplinarum genere, magnisque in laboribus continenter exerceri tradit, & præterea à tam tenui victu sustentari, vt eos neget ad panem adhibere quicquam præter nasturcium. Iam verò (vt ad Romanos reuertar) maiores natu superiorum suorum res egregiè gestas ad tibiam, carmine comprehensas, recitare solitos accepimus, vt ad eas imitandas iuuentutem alacriorem redderent. Quòd si quando iuuenibus relaxare animos, & dare se iucunditati concedebant, in eiusmodi etiam rebus, vt facilius intemperantiam caueRent, maiores natu volebant interesse. Inde oriebātur impe-

Ci. 2. de Finib. & 5. Tuscul.

Cic. 1. Offi.

imperij clarißima lumina, Camilli, Scipiones, Fabricij, Catones, Fabij, cæteriq3 innumerabiles viri præstantißimi: qui honoribus, & rerum gestarum gloria florentes, maximum patriæ suæ splendorem atque adiumentum attulerunt, suum verò nomen in orbis ternæ memoriam sempiternam disseminarunt. His tam egregia veterum, in custodienda exercendaq3 bonis in artib. iuuentute, si nostri ciues exempla sibi proponerent, eaq3 imitari magno studio, summaque industria contenderent, minimè dubitandum esset, quin plurimos non tantùm ijs, qui diuersis in regionibus viuunt, eruditißimis viris præstantiores, sed etiam ipsis cum antiquis scientiæ gloria certare facilè possint, breui tempore latura hæc esset ciuitas. Neque enim existimandum est, tardiora aut hebetiora esse nostri temporis ingenia, quàm antiquorum fuerint. Quod sanè multis in rebus haud difficulter intelligi potest, quæ longè subtiliùs aut ingenioßiùs hoc nostro tempore tractantur, quàm antiquis temporibus tractata fuerint. Sed si qua nos in re veteres antecelluerunt: non mentis acumine, sed industria, non ingenij sagacitate, sed incitato studio, non deniq3 memoriæ tenacitate, sed aßiduo labore superarunt. Itaq3 si nobis idem labor, idem studium, eadem industria, qua illi vtebantur, statim ab ineunte ætate adhiberetur: fortasse & in Philosophia Platones aliqui aut Varrones: & in Mathematicis Archimedes aut Caij Sulpitij, & in arte Poëtica Homeri aut Virgilij, & in Eloquentia Demosthenes aut Ciceriones, & in Iure ciuili Solones aut Scæuolæ, & in arte Medica Hippocrates aut Cornelij Celsi, & in

& in Historia Thucydides aut Salustij, & denique in Grammaticis Aristarchi aut Palæmones, nostris etiam temporibus exoriri viderentur. Dixi de parentum officio. Nunc de ipsis adolescentibus, quorum maximè interest, aliquantò plura dicam. Quamuis enim parentum cura atq; diligentia ad filiorum eruditionem & excellentiam omnium maximè prosit: non tamen ideo sola sufficit. Nam nisi ipsorum etiam adolescentium studium & amor adiungatur; vanus est omnis parentum labor, inanis omnis industria. Quot enim ferè quotidie videmus optimos ciues mire de suis filijs esse solicitos, vt & præceptores eruditos habeant, & in literis assiduè exerceantur, & ab alijs omnibus curis atq; negocijs auocentur? cùm tamen interim isti sub tanta parentum diligentia parum admodum proficiant, & nunquam ad optatam metam perueniant. Cuius rei quid aliud in causa dicemus esse, præter summam ipsorum adolescentium negligentiam atq; socordiam? qui tam remisso atq; vili animo sunt, vt quamuis apertam dignitatis ac gloriæ viam oculis ipsis penè videant, & eis omnia copiosè suppetant, quæ ad virtutis culmen hominem prouehere facilè possunt: tamen ita sese abijciunt atq; prosternunt, vt nihil inter eos & quadrupedes aliquas interesse videatur. Quare vos ego, suauissimi, mihiq; charissimi adolescentes, & qui nobiles estis, & qui ingenio & virtute nobilitatem consequi potestis, non tantùm moneo, sed etiam vobis meo quodammodo iure præcipio, si laudis & dignitatis, & honoris viam ingredi concupiscitis, vt duo illa semper ante oculos habeatis, quæ isti ætati vestræ non tantùm

vtilißima, ſed etiam maximè neceſſaria ſunt: vtò qui recta præcipiunt, parere animum inducatis, & primùm etiam ſponte veſtra laboretis. Neque enim qui relinquit & abijcit obedientiam eoſque non audit, quibus eſt ſubiectus lege naturæ, quicquam potest vnquam præſtare, quod laude dignum eſſe videatur. Qui verò laborem atque animi contentionem refugit, is planè (quod ait Muſonius Philoſophus) ſeipſum bonis rebus omnibus indignum oſtendit. Veriſimè namque dictum ab Epicharmo Siculo; Laboribus omnia bona Deos immortales hominibus vendere. Iuſtus enim et honeſtus labor (quemadmodum ait Cicero) præmijs, honoribus, ſplendore decoratur. Primùm igitur adoleſcentis officium eſt, vt eis omnibus (ſi fieri poteſt) quos conſilio & prudentia plurimùm valere intelligit, obtemperet. Eſt enim magna quædam virtus, & præcipuum in adoleſcente bonum obedientia: cuius vis atque vtilitas tam longè lateq; diffunditur, vt nullum non modò vitæ grauius genus, ſed ne minimæ quidem actiones, eius officijs vacare debeant. Hæc vna virtus eſt, quæ non ſolùm humana omnia, ſed etiam diuina regit, gubernat, adminiſtrat. Nam quæ ratione cœli perpetua conuerſio cuncta moueret, & quæcunq; in terris viuunt, progigneret; quo pacto ſegnorum ortus & obitus definitum quendam ordinem continenter ſeruarent, vt annuæ commutationes ſemper eodem modo fierent, atq; ad vtilitates rerum omnium accommodarentur, niſi motori ſuo primo ſemper obedirent? Quid, in ciuitate, quæ rectè ſoleat adminiſtrari, an non ciues omnes ita affectos eſſe oportet, vt prudentio-

Lib. 1. de Orat.

dentiores & sapientiores semper audiant, vt magistratibus omnibus in rebus pareant, vt sese legibus submittant? Quæ domus necessarijs rebus instructa atque apparata reperiri potest, in qua non omnes & patrifamilias, & ijs, quibus est familiæ cura demandata, diligentissimè pareant? Quid in nauibus, an aliter optimè cursum suum conficere possunt, nisi perito gubernatori nautæ omnes obediant? Iam verò tota ferè militaris disciplina constat obedientia Quis enim, quantumuis sapiens & callidus imperator, exercitum commodè regere, munia belli obire potest, cui non milites ad nutum præstò adsint? Itaq; non sine causa veteres illi Romani virtutem hanc tantopere seruandam esse censuerunt; vt ne Remp. quidem egregiè gerere, violata obedientia, voluerint: inobedientes autem tanta dignos esse pœna putauerint, vt ne parentes quidem propriis filijs, mandata transgredientibus, etiamsi rectissimè se gessissent, vllo modo parcerent. Quis enim non audiuit, à Manlio Torquato proprium filium securi percussum fuisse; non alia de causa, nisi quia aduersus edictum suum, qui consul erat eo tempore, cum Geminio Metio Thusculano, se ad singulare certamen prouocante, congredi non dubitasset, quamuis insignem interfecto Geminio victoriam reportasset? Quis nescit, Fabium Rutilianum Magistrum equitum, vix totius Senatus & vniuersi populi Romani precibus, L. Papyrij Cursoris eripi seueritati potuisse, quoniam ei denunciauerat, ne, se absente, cum hoste manum consereret, quamuis ingentem Samnitum exercitum profligasset? Quantò igitur seue-

Liu. lib. 8. decad. 1.

riores in eos fuissent, qui non obediendo peccassent, cùm tam atrociter eos, qui bene rem gessissent, punitos esse censerent? Quid autem in priuata vita, quam non tantùm à filijs, sed etiam ab omnibus communiter adolescentibus obedientiam exigebant? quamuis ea natura præditi ferè omnes essent eo tempore iuuenes, vt natu maioribus libentissimè parerent; vt eos tũ aliter atq; parentes obseruarent, & virtutes eorum imitari studiosè conarentur. Qua de causa fiebat, vt frequentissimè filij non tantùm parentum gloriam rebus suis præclarè gestis adæquarent: sed etiam longè superarent: quod certè nunquam vllo modo facere potuissent, nisi præceptis eorum, qui recta atque honesta proponebant, obtemperare studuissent. Est enim ætas ista iuuenilis maximè consiliorum inops, vt non facilè, quid rectũ prauúmve sit, per se dijudicare possit. Itaq; bene moratus atq; ingenuus adolescens optimis semper consilijs aures patefaciet: vt, quoniam nondum in primo bonitatis gradu consistere potest, in quo statuuntur illi, qui per se, quæ recta sunt, intelligunt & faciunt, at in secundo saltem esse possit, ne prorsus inutilis efficiatur. Sic enim Hesiodus:

Lib. 1. Εργων.

Felix qui potuit per se cognoscere, vita
Quæq; sequenda foret, quæq; effugienda vicissim.
Fortunatus & ille, audit qui recta monentem.
Qui verò per sese ignarus, honesta docentem
Negligit; ille sibi prorsus & inutilis orbi est.

Nihil igitur eorum omnino, quæ rectè præcipiuntur, à quouis homine contemnere debet adolescens: sed in primis vt fidelissimis atq; amantissimis parentum præcepto-

ceptorumq3 consilijs pareat oportet. Neq3 enim minùs ab eo, qui plurimùm in literis proficere studet, præceptores, quàm parentes amandi sunt: quoniã hi nobis tantùm vitam tribuunt, illi verò dignitatem & gloriam, quam plurimi cum vita commutarunt: hi corporis curam suscipiunt; illi autem animorum, quos multò corpore præstantiores esse quis ignorat? vt non sine causa Magnus ille Alexander multò se magis Aristoteli præceptori, quàm patri Philippo debere prædicaret: nam Philippus (aiebat) pater vt essem, tantùm effecit, Aristoteles autem, vt bene essem. Quin apud veteres Romanos, illa erat adolescentium consuetudo, quam cõmendat etiam Quintilianus, vt non minùs, quàm studia præceptores amarent, & parentes esse, nõ quidem corporum, sed mentium crederent. Ita q3 nõ immeritò maiores suos summè cõmendat ille Satyricus, & magnam eis felicitatem his quidem verbis precatur: Inst. Orat. lib. 2. c. 10.

Dij maiorũ vmbris tenuem, & sine põdere terram?
Spirantesq3 crocos, & in vrna perpetuum ver,
Qui Præceptorem sancti voluêre parentis
Esse loco. Iuuen. Satyr. 14.

Sit igitur hoc primùm bonæ spei iuuenis officium, vt sese meliori semper iudicio submittat: vt nihil suo consilio temere & arroganter gerat: vt obedientiam tanquam pulcherrimam morum reginam, sine qua nihil egregium præstare possit, amplectatur, vt denique parentes & præceptores æquè sibi colendos & amandos esse censeat. Proximum est, vt quemuis omnino statuat æquo animo laborem sustinere. Quod quidem facilè præstabit ille, qui literarum studia plurimùm amare incipit, qui virtutis studio ducitur, qui

dignitatis & gloriæ splendore trahitur, qui denique nihil sibi, præter honestatem, in vita magnopere expetendum esse existimat: hunc nulla difficultas ab instituto cursu reuocabit, non libido ad voluptatem, non otium ad animi remissionem, non denique somnus ad quietem. Nihil est enim (ait Cicero) quod studio & amore effici non possit. Hic primus est ad omnem dignitatem atq; amplitudinem gradus, si quis amore virtutis incendatur, quod in libris de Oratore Crassus apertissimè declarat. Cùm enim ab eo Cotta quæsisset, quid sibi ad summam eloquentiam comparandam assumendum putaret, tunc Crassus arridens, Quid censes (inquit) Cotta, nisi studium & ardorem quendam amoris? sine quo cùm in vita nihil quicquã egregium, tum certè hoc, quod tu expetis, nemo vnquam assequetur. Quid ad Brutum scribens idem Cicero, cùm perfectum Oratorem formandum suscepisset: Magnum (inquit) opus omnino & arduum, Brute, cónamur, sed Nihil difficile amanti puto. Illud igitur Poëtarum princeps in pastoritio suo carmine verè scriptum reliquit: Omnia vincit amor. Atque ideo non sine magna ratione prudens finxit antiquitas, non tantùm homines ipsos, sed etiam Deos amori subiectos esse: quoniam nihil tam altè positum est à natura, nihil tam arduum atq; eminens, quo studium & amor eniti non possit. Odit enim amor res turpes, viles & abiectas, amatq; tantùm pulchras, ornatas, magnificas. Hunc igitur verè diuinum amorem studiosi Iuuenes colite, hunc quærite, hunc amplectimini, hunc semel apprehensum, nunquam postea dimittite: hic enim solus vos in agendis re-

Epist. 4. Famil. libr. 3. epist. 9.

Lib. 1.

Virgil. Eclog. 10.

bus

bus cautos & prudentes, in differendo subtiles & acutos, in dicendo graues & ornatos, in arduis negocijs fortes atq; magnanimos efficiet: Amore duce nihil erit, neq; in humanis neq; in diuinis rebus, quod non facilè scientia comprehendatis. Amor enim triplicem illum animi fœtum inuenit: quorum vnus in cognitione rerum, & in explicatione naturæ positus est: alter in vita atque in moribus conformandis: tertius in differendo, & quid verum, quid falsum sit iudicando. Amor inuenit

Aeneid. 8. in fine.

errantem Lunam, Solisq; labores, (ignes.

Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber & Amor totius mundi motus conuersiones q; perspicit, sideraq; videt innumerabilia, cœlo inhærentia, cum eius ipsius motu congruere, certis infixa sedibus, septem alia suos quæq; tenere cursus, multùm inter se altitudine aut humilitate distantia, quorum vagi motus rata tamen & certa sui cursus spacia definiant. Amor initiorum, & tanquam seminum indaginem mouet, vnde sint omnia orta, generata, concreta, quæq; cuiusq; generis vel inanimi vel animantis, vel muti, vel loquentis origo, quæ vita, quis interitus, quæq; ex alio in aliud vicissitudo atq; mutatio, vnde terra, & quibus librata ponderibus, quibus cauernis maria sustineat, in qua omnia delata grauitate medium mundi locum semper expetant. Amor rerum causas alias ex alijs aptas, & necessitate nexas videt, quibus ab æterno tempore fluentibus in æternũ, ratio tamen mensq; moderatur. Felicem eũ certè animũ, qui amore ductus in his habitat, pernoctatq; cogitationibus; felicem etiam, quem idem

amor à rebus occultis, & ab ipsa natura inuolutis, ad vitam communem adducit, vt Virtutem solam amplectatur, cui (quod ait Plato) quicquid auri vel supra terram est, vel sub terræ visceribus occultatur, nequaquam satis dignè conferri potest, quam Orpheus Heroum matrem appellauit, de qua Solon exclamat: Ditios non commutabimus virtute diuitias, quam ipsa contentam ad bene beateq; viuendum Stoici contendunt, quæ semper libera, semper inuicta, semper amabilis, semper clara æternaq; habetur, cuius deniq; forma & tanquam species, licet oculis non cernatur, admirabilem tamen amorem excitat sapientiæ, qui solamentem atq; animum mirandum in modum accendit ad id inuestigandum, quod natura spectet extremum in bonis, quod in malis vltimum, quo referenda sint officia, quæ degendæ ætatis ratio deligenda. Docet idem amor, res singulas definire, genera dispertire, perfecta concludere, vera & falsa dijudicare, præterea cõgruenter & cum ratione loqui, veterum monumenta atq; omnem antiquitatem euoluere, Musarum domos ingredi, Poëticamq; suauitatem degustare, aptè, distinctè atq; ornatè dicere. Quid, quòd etiam ad tuendam Remp. idem amor transit? quo nihil in magno viro, cæsusq; omnes humanos despiciente, potest esse præstantius, qui non propriam, sed communem ciuium vtilitatem spectet, religionem obseruet, pietatem colat, amicitiarum fructus persequatur: quibus ex rebus, tam ingenua delectatio, tam digna sapiente homine iucunditas percipi solet, vt nulla penè vita possit esse beatior. O verè sanctum atque admirabilem hunc amorem! O

mira huius amoris opera! O summam diuinæ mentis prouidentiam, quæ nobis hunc tam excellẽtium rerum amorem immisit, quo duce nihil est, quod assequi non possimus! Hæc inuestigate, per Deos immortales, quærite, percipite, vos qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis: hæc ampla sunt, hæc diuina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monimentis annalium mandantur, posteritati propagantur. Cur adhuc cessatis? cur tam tardi estis? quid est quod vos à tanta laude reuocet? à tam precioso thesauro distrahat? à tanta felicitate remoretur? Vos, vos appello præstantes ingenio adolescentes, qui magnam de vobis spem atq; expectationem concitastis: quid est, quòd institutum iter tam pauci perficitis? cur in medio cursu deficitis? cur tam frequentes diuersam ab his disciplinis viam capitis? An vos fortasse deterret difficultas? labor debilitat? Equidem, adolescentes, hanc ego viam si aut asperam atq; arduam, aut plenam esse difficultatum & laborum negem, mentiar: præsertim cùm id non modò iampridem intellexerim, sed etiam quotidie sentiam. Magno enim animi robore (mihi credite) opus est, magna indole virtutis & continentiæ, respuendæ sunt omnes voluptates, omittenda sunt studia dilectationis, ludi, ioci, conuuia, omnis vitæ cursus in labore, atque in animi contentione conficiendus est. Verùm ille, quicunq; fuerit, Poëta rectissimè dixit: Si te id, quod multi inuideant, multiq; expetant, insciti a sit, postulare: si tu laborem summa cum cura efferas nullum. Nam ratio illa sempiterna, quem Deum vocamus, qui procurat cœlestia maximè, deinde in Infrà Orat. 19.

terris, quæ ad vsum hominum pertinent, vt excelsos animos ab abiectis, industrios ab ignauis, excitatos à remissis discerneret, huic naturali, quo trahuntur omnes, cognitionis amori comitem voluit laborem adiungere: ne, si fortè facilis & plana virtutis esset atq; doctrinarum via, tardissimus eam & ignauissimus quisq; posset ingredi, atq; ita nulla forent industriæ studio, labori, diligentiæ separatim proposita præmia. Nunc autem cùm nemo dulcissimos virtutis fructus (vt appellat Isocrates) percipere possit, nisi priùs amaras eius radices gustauerit, facilè generosus atq; excellens adolescentis animus, quem (vt ait Seneca) labor ipse nutrit, qui noctes & dies gloriæ stimulis concitatur, quē nulla difficultas deterrere, nulla vis labefactare potest, emicat ipse per sese, splendetq; præter cæteros, velut inter ignes Luna minores, quemadmodum ait Horatius: cùm interim tenebricosus ille alter, ignauia proiectus, lutulentis in vitijs, tanquam sus in volutabro cœnitaceat, nihil aliud quàm truncus quidam, ac putrida caro, saturandis vermibus reseruata, qui nunquam se erigat, nunquam resipiscat, nihil homine dignum cogitet: sed stupore quodam inertiæ pressus, quouis modico labore frangatur. Hoc est, quod egregius Poëta suauissimo cantu clamat Hesiodus:

Li. 1. Od. 12

Lib. 1. Εργων.

Ἀνδιχα δ' ἀθανάτων ἱδρῶτα θέσαν καὶ δῆλον ὁδοῖο
Μακρὸς δ' οἶμος ἐπ' αὐτὴν καὶ ὄρθιος, οὐδὲ λαὸς
Ἀρχὴ δ' ἐσθλοῖσιν ἐπὶ τὴν ἔμμεναι ἐσθλή.

Anguſtum collem, tenuis quò ſemita ducit,
Ipſa colit Virtus, magno ſtipata labore.
Sic voluêre Dei: ſed ſummo in vertice montis
Planicies ignota iacet, tutiq; receptus,
Semper vbi feſſæ poterunt requieſcere mentes.

Odyſſ. 10.

Quòd Homerus herbæ ſuæ Moly, quæ contra Circes ve-

neſp

neficia tantùm valuit, vt Vlyßis socios ex belluis iterum in priſtinam hominum formam reduxerit, candidum quidem florem, sed nigram radicem attribuit. Quòd Maro noſter aureum illum ramum, ſine quo nemo poteſt eorum, qui ad inferos deſcenderint, reuocare gradum, superasq; euadere ad auras, ait latere arbore opaca, & ab omni luco tegi, & ab vmbris claudi in obſcuris conuallibus. Quòd diuinus Plato ſæpißimè repetit, Difficilia quæ pulchra, quòd Euripides, Sine labore felicem fieri poſſe neminem, affirmat. Nam Heraclides Lycius (vt in vita Sophiſtarum ait Philoſtratus) vnum de laboris laudibus librum edidit, ſine quo dicebat nihil in rebus humanis frugiferum, nihil vtile, nihil laudabile geri poſſe: adeoque probari, vt vanus etiam labor, modò non vicioſus, ocio ac deliciis ſit anteferendus. Laſſus Hermioneus interrogatus, A quo ſapientiam didiciſſet, A labore (inquit) atque experientia. Senſit vir prudentißimus, non quouis modico labore ſapientiam poſſe comparari, ſed eo qui tam aßiduus & diuturnus ſit, vt vſu frequentiorem propè omnium peritiam nobis afferret. Hic eſt ille labor, quem Euripides gloriæ parentem eſſe dicit de quo Sophocles intelligebat, cùm ait: Laborare eum opus eſt, qui fortunam habere proſperam cupit. Quod idem bis ferè verbis Theodectes approbat: Qui laudem & gloriam conſequi ſtudet, eum magnos ſubire labores oportet. Vita enim ociosa præſenti quidem fruitur voluptate, ſed dolores poſtea ſolet afferre maximos. A. Gellius Catonis hæc verba recitat, ex oratione quam ad equites habuit Numantiæ: Cogitate

Aen. 6.

In Suppli. Act. 2. & in Creſſis.

In Licymnio.

In Vatib.

Noct. Att. lib. 16. c. 1.

gitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille à vobis citò recedet, bene factum à vobis, dum viuetis, non abscedet: sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas citò abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. Alexander ille Magnus frequentissimè dicere solebat: Laboribus innutriri, Principe rem prorsus esse dignissimam. Cleanthes cùm ab adolescente quodam Lacone probari laborem audiuisset, statim Homeri carmen illud subiecit:

Odyss. 4. Λίματι ἐξ ἀγαθοῦ φίλον τίκτε.

Macte puer virtute, & nate ex sanguine claro.

Sed quid pluribus exemplis aut testimonijs opus est? cùm pleni sint omnes scriptorum libri, omnes sapientum voces, quæ clarissimè testentur, rem tam necessariã esse laborem, vt sine eo nihil omnino laudabile possit acquiri: quo fit vt vulgare prouerbium illud nõ frustra iactari videatur: Qui vitat molam (aiunt) vitat farinã. Quamobrem duæ res potissimùm in eo adolescente esse debent, qui virtute sua sit aliquãdo se suamque familiam plurimùm illustraturus, hoc est, Amor & Labor: quas quidem ambas non sine magna ratione maiores nostri vno Diligentiæ nomine comprehendi voluerunt: quoniam in eis tantùm rebus excellere possumus, quarum studium amamus atq; vnicè diligimus. Est enim ea diligentia, quæ ingenium ipsum ex tarditate incitat: quæ cùm omnibus in rebus, tum in literarum studijs plurimùm valet: hæc præcipuè colenda est nobis, inquit Antonius apud Ciceronem, hæc semper adhibenda: hæc nihil est quod non assequatur. Nam quæcunq; sunt in cura, attentione, animi cogitatione,

2. de Orat.

vig-

vigilantia, assiduitate, labore, vno verbo Diligentiæ complectimur, qua vna virtute omnes virtutes reliquæ continentur. Sed qua ratione tandem hanc diligentiæ virtutem amplectetur adolescens? Certè si spem animo firmam conceperit, fore vt aliquando laborum suorum præmia consequatur. Omnes enim (vt ait Democritus) labores tunc iucundiores esse solent, cùm illa se adepturos homines sperant, propter quæ labor auerint. Nam diffidentia plerunq; (quod ait Imperator Iustinianus) à discendo iuuenum animos auertit: sed ea nunquam ferè constantem & excelsum animū attingit, qui non aliter atq; palma solet, contra impositum onus semper assurgit, & nō modò laborum atq; vigiliarum difficultate, sed ne morte quidem ipsa terretur, quem

Instit. Tit. 1. lib. 1.

Si fractus (vt ait Horatius) illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Li. 3 Od. 3.

Sed quoniam inter mortales pauci admodum tam erecto tamq; firmo sunt animo, vt penitus contemnere ac pro nihilo habere labores possint: multiq; suis viribus tantopere diffidunt, vt nunquam, etiamsi plurimùm laborauerint, ad summam eruditionem se peruenturos sperent, vel quia paruo se esse ingenio, neque admodum tenaci memoriæ putant, vel quia tam varias & difficiles percipere disciplinas, tamq; multa cognoscere, non humanum sed diuinum esse potiùs existimant, atque ita quos præstare doctrina vident, potiùs admirandos, quàm imitandos arbitrantur: his etiam, si fieri potest, oratione mea conabor aliquam afferre medicinam. Ac primùm quoniam nulla tanta est humilitas,

militas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur, volo sit proponat adolescens, quam pulcrum sit alijs excellere, quàm turpe labi, errare, decipi: volo credat atq; persuasum habeat; falsam omnino querelam eorum esse, (quemadmodum testatur etiam Fabius) qui paucissimis hominibus vim percipiendi, quæ tradantur, esse concessam dicunt, plerosq; verò laborem & temporaria ditate ingenij perdere. Nam sicuti aues ad volatum, equi ad cursum, ad sæuitiam feræ gignuntur: ita nobis propria est (inquit) mentis agitatio, atque solertia: nec de origo animi cœlestis creditur. Hac de causa sit, vt animus hominis (quod ait Seneca) quicquid sibi imperauit, obtineat. Itaque non est, quòd quisquam desperatione debilitatus, à literarum studijs animum auertat: sed Par est, omnes (vt ait Cicero) omnia experiri, qui res magnas, & magno opere expetendas concupiuerunt. Quòd si quem aut natura sua, aut illa præstantis ingenij vis fortè deficiet, teneat tamen eum cursum, quem poterit: prima enim sequentem, honestum est in secundis tertijsque consistere. Neque ita multò post ait idem Cicero: Non est, cur eorum, quæ se studio eloquentiæ dediderunt, spes infringatur, aut langueſcat industria. Nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est: & in præsentibus rebus magna sunt ea, quæ sunt optimis proxima. Sed certè nunquam attinget eum desperatio, qui frequentissimè cogitabit, quid possit qualibet ingens quantulacunq; sedulitas, qui silices itinere formicarum attritos videat, qui non ignoret, id esse verum, quod Tibullus ait:

Inst. Orat. lib. 1. c. 1.

In Oratore ad Brut. in princ.

Plin. li. 11. cap 30.

Lon-

Longa dies molli saxa peredit aqua, Lib. i.
qui sapientum in hanc sententiam dicta sæpiùs animo Eleg. 4.
reuoluat. Nam Democritus frequentissimis solebat
vsurpare sermonibus, Diligentia atque exercitatione
longè plures, quàm natura præstantes fieri. Et Epi-
charmus idem ferè prædicabat, Multò plura bona
mortalibus à diligentia, quàm à natura donari. Sed
diligentiæ vim atq; potestatem clariùs expressit Anti-
phanes, cùm dixit: Nihil esse, quod breui tempore non
sibi diligentia subijciat, & in seruitutem redigat. Me- Teren. He-
nander etiam ait: Nihil tam difficile est, quin inuesti- aut. Act. 4.
gari quærendo possit. Et Philemon, Omnia possumus, Scen. 2.
inquit, inuenire, si laborem eum, qui rebus quæsitis ad-
est, subire voluerimus. Quid? an non etiam Maro ni-
ster quasi voce magna clamat?

Labor omnia vincit Georgic. 1.
Improbus, & duris vrgens in rebus egestas.

Quàm igitur anguſti, quamq; pusilli animi iudican-
dum est, desperatione frangi atq; debilitari, cùm tan-
ta sit industriæ, tanta laboris vis, vt nihil tam arduum,
nihil tam difficile sit, quod assequi non possit! Hæc pro-
fectò spes perueniendi, quòvelis, maximè animum ex-
citare, atq; alacriorem ad subeundos labores efficere
solet, cùm præsertim, quæ labores sequi solent, præmia
tibi proposueris, diuitias, honores, dignitates, gloriam,
nominis celebritatem, quam non sine causa veteres
Musarum nutricem esse dixerunt, quoniam ea maxi-
mè omnium generosum animum accendit. Hoc est,
quod Valerius Flaccus ait:

Tu sola animos mentemq; peruris Gloria-

Sed

Sed multò etiam magis inflammatur alterius emula-
tione, quem in magno esse honore viderit. Itaque vt
Cic. Tusc. 4 grauissimus, & Princeps Græciæ Themistocles, cùm no-
cturno tempore per ciuitatem vagaretur, interro-
gatus cur id faceret, Miltiadis (inquit) trophæa nequa-
quam me dormire patiuntur. Quin etiam Iulius Cæ-
sar cùm Gades peruenisset, animaduersa apud Hercu-
lis templum Magni Alexandri statua, vehementer in-
gemuit, quòd ætate illa nihil memorabile gessisset, qua-
iam Alexander orbem terrarum penè subegerat. Quid
Demosthenem, asotum primò puerum, & delicijs af-
fluentem, an non Cleostrati Rhetoris gloria solam com-
mouit, vt sese eloquentiæ studio traderet, in qua dein-
de facultate primas obtinuit? Tantam enim hæc glo-
cupiditas in animo sedulitatem, tam incitatum studi-
um, tantam curam ingenerat, vt quiuis labor quodam
modo suauis ac dulcis esse videatur, atq; etiam sæpe, li-
cet grauis sit, non sentiatur: vnde verè Ouidius:

Fastor. 4. Et non sentitur sedulitate labor.

Plurimùm etiam laboranti iuueni proderit ea cogita-
tio, si reputet animo suo, laborem quotidie fieri leuio-
rem, foreq; vt in maximam breui tempore voluptа-
tem conuertatur. Ideo Pythagoras nos hortatur, vt o-
ptimam viuendi rationem à pueritia statim comple-
ctamur: quoniam etsi difficilis initio videtur, eam ta-
men postea iucundam consuetudo reddere solet. Quæ
etiam immortales Deos liberantibus adesse, atq; eos
subleuare, persuasum est. Atq; idcirco dixit Euripides
In Andro- Deus libenter, qui laborant, adiuuat. Quid, quòd exo-
meda. miam quandam post se iucunditatem relinquere labo-

res solent? vt etiam prouerbio dicatur: Iucundi acti labores: & ,Suauis est laborum præteritorum memoria, Quod sanè eleganter his verbis affirmat Seneca:

Quod fuit durum pati, meminisse dulce est. In Hercule fur. Act. 3.

Itaq; Philemon, cùm laborum suorum fructus veres suauesq; perciperet, frequenter exclamabat: O iucundos adolescentiæ meæ labores! Nam nisi eo tempore laborassem, nunc certè tantas animo lætitias percipere non possem. Aeneas autem ille Virgilianus maiorem excogitare consolationem non potuisse videtur, quàm cùm sociorum animos ad spem futuri temporis his verbis excitat:

reuocate animos, mœstumq; timorem, Aen. 1.

Mittite: forsan & hæc olim meminisse iuuabit.

Quid si frequenter animo voluas, & diligenter cogites: Opifices parui lucri causa vigilare, laborare, nulla diei neque noctis partem quieti tradere, mercatores maria pertransire, labores immensos tolerare, maxima subire pericula, assiduè de vita periclitari, agricolas nunquam cessare, magnos æstus, immensa frigora, famem, sitim continenter perpeti, milites plenam ærumnarum vitam agere, assiduè sub pellibus esse, algere, æstuare, ad mortem ante oculos posita parua mercede conduci: tibi verò bonarum artium studioso & vitam longè quietiorem, & multò ampliora præmia esse proposita: quantam tibi laborum alleuationem poterit hæc afferre cogitatio? Quid, cùm circulatores & præstigiatores circumforaneos videas, longa exercitatione res tam arduas & admirabiles, quæ tamen nullius omnino sint vtilitatis, efficere, vt alij per extensos

funes cursitent, alij per gladiorum aciem ambulare non extimescant; alij distantia tecta saltu transiliant: alij denique multa incredibilia faciant, vt reliquis voluptatem, sibi victū acquirant: nonne tibi tandem turpissimum esse putabis, non ijs in studijs assiduè vigilare atque insudare, quæ res omnes & actiones humanas præstantia superent? Quid si apum in cōficiendo melle, quo vescantur, industriam consideres: quid si formicas, non tantùm interdiu, sed etiam noctu laborantes, aspicias: & tam assiduas in opere esse, vt itinere suo felices etiam atterant: nonne statim tibi veniat in mentem, multò magis homini, cùm vt res sibi necessarias paret, tum vt cæteros antecellat, in optimis artibus ipsi laborandum? Optimum, aiunt, obsonium est labor senectuti. Quare pulchra quadam translatione iuuenes ad laborum hortatur Hesiodus, cùm ait:

Plin. Nat. Hist. li. 11. cap. 30.

Lib. 2. Εργων.

Aestas non semper fuerit, componite nidos.

Sed longè lepidiùs ille fabulator è Phrygia declarauit, eū in senectute frustrà cæterorū opem implorare, qui non in iuuentute laborauit. Quadam (inquit) hyeme cicadæ, propè inedia confectæ, precariò cibum petentes, ad formicas accesserunt: eas autem interrogarunt formicæ, Cur non æstiuo tempore sibi victum ad annum proximum præparassent? Hic illæ; Non licuit (inquiunt) nobis: quoniam Musicæ per æstatem operam damus, & suauiter canimus. Tunc formicæ: Ergo si quo tempore laborandum est, ocio indulgetis, & canitis; nunc aliud vobis nihil superest, nisi vt saltetis: nos enim nobis tantùm, non etiam vobis, laboramus. Hæc omnia diligens ille, quem quærimus, adolescens, animo

mo reputabit; & viam, quæ ad opes & gloriam proxima est, arripiet, quemuis subeundum sibi esse laborem statuet, attentissimè literarum professores audiet, omne scriptorum genus excutiet: neque vnquam quantum didicerit, sed quantum adhuc ignoret, considerabit. Frequenter etiam id in memoriam reuocabit, quod verè Plato tradit in Theæteto: Corporum (inquit) habitus quiete atque ocio corrumpitur, exercitatione vero atque motu magna ex parte conseruatur: eodem modo animi habitus disciplina atq; meditatione, qui motus quidam in scientijs sunt, seruatur, euadit q; melior, ocio verò, quod ab omni meditatione disciplinaq; vocatio est, neque discit quicquam, & si qua didicerit, obliuiscitur. Statuet etiam, nihil omnino sibi esse negligendum, quod ad eruditionem augendam aliquo modo pertineat, etiamsi minimum esse videatur. Rectè enim Hesiodus:

Si paulum paulò addideris, pergasq; frequenter Lib. 1.
Hoc facere, exurget magnus tibi forsan aceruus. Ἔργων.

Nunquam omnino sibi remittendum esse diligentiam putabit. Vt enim remiges quantò sæpiùs remos inhibuerint, tantò tardiùs ad portum perueniunt: ita iuuenes quantò studia sæpiùs intermittunt, tantò minùs proficiunt. Sed in primis cauebit idem diligens iuuenis, ne ad expertas olim voluptates aliquo modo retrahatur, seruetq; Magorum præceptum illud, qui discipulis suis imperabant: Ne omnino respicerent: & Pythagoræ, qui quodã in symbolo suo per eandem viã reuerti prohibet. Ita enim in omni sensu implicata insidet imitatrix boni voluptas, malorũ autem mater omnium.

vt cùm quis eam respicit, non facilè deinde possit abesse diuelli, sed eius desiderio quodammodo contabescat, & omnes honestas actiones derelinquat. Quod elegantissima sanè fictione Poëtæ nobis declarant, cùm aiunt, à Proserpina datam Orpheo legem hanc fuisse, vt si vellet Eurydicem suam secum ad superos reducere, non eam prius aspiceret, quàm in patriam reuersus esset, tunc enim futurum, vt eius complexibus, quātum vellet, frui posset: at ille cùm nōdum iter inceptum perfecisset,

Virg. 4. Georg.

Restitit, Eurydicemq; suam iam luce sub ipsa
Immemor heu, victusq; animi, respexit: ibi omnis
Effusus labor, atq; immitis rupta tyranni
Fœdera. Quod ne nobis etiam accidat, optimi Iuuenes, magnopere cauendum est: ne, dum fugacem Eurydicem respicere & persequi studemus, gloriosam illam & immortalem, quam ex laboribus & præclarè gestis rebus emanare scimus, voluptatem amittamus. Moueant igitur nos immensa virtutum atq; disciplinarum præmia, moueant maiorum exempla, qui tanto scientiæ ardore flagrabant, vt nunquam studia literarum intermitterent: quin tempus omne perire existimabant, quod literarum studio non impenderent. Cui non sunt auditæ Demosthenis vigiliæ, qui vehementer se dolere dicebat, si quādo opificum ante lucana vigilasset industria? Quis Pythagoram, Platonem, Democritum, Anaxagoram non audiuit acquirendæ doctrinæ gratia totum penè terrarum orbem peragrasse? Quis Solonis perpetuam in discendo diligentiam? Euclidis audentem animum? Chrysippi labores? Carneadis industriam

dustriam non vel legit, vel audiuit? Quis Cleanthem & Xenocratem nescit, hebetes & tardissimo ingenio viros, tamen infinitis propè laboribus effecisse, vt inter clarissimos sui temporis Philosophos haberentur? Quid de Catone Censorio dicã? qui extrema senectute Græcas ediscere literas voluit, imitatus Socratem illum Athenienſem, quem tradunt admodum senem fidib. discere voluisse. Satiùs esse prædicantem, quamuis ingenuam artem serò, quàm nunquam percipere. Sed mehercule mihi tempus deficiet, si minimam eorum partem recensere velim, quorum in scientijs percipiendis ac memoriæ prodendis immensus labor atq; industria celebratur. Quorum hominum vestigia qui non omni studio sequuntur, nullo modo fieri potest, vt ad amplissimos dignitatis gradus perueniant. Quare vobis, egregij Iuuenes, hæc exempla frequenter oculis obuersentur, atq; ipsa vos Doctrina suis illecebris trahat ad verum decus, quæ quasi ex alto loco iucundissima suauissimaq; voce ad sese inuitans atq; alliciens, ita proclamat: O quicunq; magno atq; excelso animo estis, quos illa præpotens & gloriosa felicitatis via delectat, qui omni laude præstare atq; excellere pulcherrimum esse iudicatis, huc ad me toto animo, remis velisq; contendite, huc vestræ mentis aciem dirigite, huc omni cura studioq; properate! Vobis enim ego, quicquid in vita laudabile atq; expetendum est, condonabo, rerum omnium intelligentiam, dicendi vim atque facultatem, agendarum rerum prudentiam, opes, amicitias, dignitates, gloriam immortalitatem. Vestrũ ego animum, qua nulla pars hominis præstãtior est, veris illis ac pre-

Cic. de Senect.

cioſis bonis exornabo, temperantia, pietate, iuſticia, fortitudine, modeſtia, virtutum omnium cumulo, rerum denique omnium honeſtiſsimarum amore. Hæc enim ſola certa animi atq; inuiolata ſunt ornamenta. Ego vobis eximia veterum exempla, qui me duce ſuper aſtra volarunt, imitanda proponam, vobis antiquorum non tantùm res egregiè geſtas & admirabiles actiones, ſed etiam orationes atq; verba declarabo. Nihil omnino, ſi me ſequi volueritis, vel eorũ, quæ priſcis illis temporibus acciderunt, vel quæ facienda ſunt hoc tempore, vel quæ in poſterum proſpicienda, vos fugiet. Atq; (vt breuiter dicam) quæcunq; in diuinarum atq; humanarum rerum cognitione poſita ſunt, ea vos ego breui tempore condocefaciam. Quòd ſi quis veſtrum in præſentia pauper aut ignobilis eſt, eum ego non ita multò pòſt non ſolùm diuitem & illuſtrem, ſed etiam admirabilem & penè diuinum efficiam. Nam, mihi credite, Iuuenes, ſi vobis ego lumina mea prætulero, nemo ſibi quærendum exiſtimabit, quàm alto loco, aut quam illuſtri genere nati ſitis. Sed omnes certatim vos honorabunt, laudibus ad cœlum ferent, & inter optimos atque clariſsimos viros enumerabunt: quin etiam ij, qui diuitijs & nobilitate præcellunt, & vos magnopere ſuſpicient, & ſecum habere quamfrequentiſsimè concupiſcent. Non vobis diuitiæ, non precioſæ veſtes, non argenti, non auri copia deerit. In patria veſtra Magiſtratus, Imperia, Præfecturas facile conſequimini. Si quando peregrinari, nationes q; exteras adire volueritis, talia vobis inſignia circumponam, vt non obſcuri aut incogniti, ſed apud omnes etiam

iam infimi generis homines notissimi esse videamini. Nam quicunq; vos aspiciet, statim eum, qui proximus erit, cubito commouens, digito vos commonstrabit, & de vnoquoq; vestrûm dicet: Hic est ille. Quòd si quid aut inter amicos, aut in ciuitate, graue magniq; momenti fortè contigerit, vos solos omnes intuebuntur, ad vos tanquam ad Oracula quædam confugient: & si quid in concione fortè dixeritis, ab ore vestro pendent admirata multitudo, cum attentione vestram orationem audiet, vosq; prorsus felices ac beatos, quòd tantùm dicendo valeatis, existimabit. Quanti verò illud æstimandum est, quod etiam ego sola præstare facilè possum, vt cùm ab hac vita migraueritis, æuo sempiterno beati perfruamini, neq; tamen vestri memoriam vnquam delebit obliuio, sed per hominum ora perpetuò volitet, & nunquam vos inter eruditos versari, & cum optimis viris colloqui desinatis? Videtisne Demosthenem, illũ cultrorũ fabri filiũ, quantũ ego tamẽ oratorẽ effecerim? Videtis Aeschinem à Tympanistria natum, quem tamen Rex Philippus propter me coluit? Videtis Socratem statuarij filium, qui me duce sapientissimus omnium, vel Apollinis iudicio, factus est? Quid Euripidem olitorem? quid Homerum, spurium, cæcum mendicum, & obscurissimo loco natum, commemorem? Quis M. Tullium Ciceronem nouum hominem, à paruis initijs ad summum imperium & consularem dignitatem euexit? An non ego? Quis Virgilium figuli filium, & Horatium libertinum Mecœnati primò, deinde etiam Augusto Cæsari tantopere commendauit? An non ego? Quis Nicolaum Quintum,

humilimo loco natum, & terræ (quod aiunt) filium quis Innocentium Octauum, mercenarium hominem quis Pium Secundum, ostiatim primò cibum emendicantem, ad Pontificatum maximum prouexit? An non ego? Et quisquam adhuc erit, qui dubitet me rebus omnibus anteponere, de me noctes & dies cogitare, meæ curam nunquam intermittere, propter me labores, vigilias, pericula, detrimenta, rei familiaris iacturam, sitim, inediam, sudores, frigora constanter tolerare? cùm apertissimè videat, eam esse vim ac potestatem meam, vt ex abiectissima cõditione, hominem ad eam amplitudinem atque excellentiam extollam, vt, tanquam immortalis quidam Deus, inter homines versari videatur. Hæc, atq; huiusmodi plurima verba, Doctrinam ipsam vobiscum assiduè facere, Iuuenes optimi, cogitate, neque tam humaniter, tamq; liberaliter ad sese vos inuitantem despicite: sed constanti atq; alacri animo per eam, quam paulò antè monstrauimus, virtutis viam omni cura, studio, labore, diligentia properate, quò citiùs his tam amplis, tã diuinis, tam immortalibus doctrinæ muneribus, tandem aliquando summa cum lætitia atq; voluptati perfrui possitis.

DE

DE MODO PROFICIENDI IN ELOQVENtia, atq; in ſtudijs bonarum artium, ad Iuuenes Mediolanenſeis.

ORATIO XVI.

ANimaduerti, Iuuenes, omne ſtudium veſtrum, omnem curam atq; diligentiam, qua ſumma in literis vti ſoletis, eò ſpectare potiſſimùm, vt per has, quibus aſſiduè fideliterq; incumbitis, ingenuas artes, vobis expolitam dicendi facultatem, quivel maximus doctrinarum fructus eſt, aliquando comparetis. Itaq; cùm de Senatorij ordinis ſententia Rhetoricam artem, quæ vobis omnium maximè placere atque cordi eſſe videtur, ex hoc loco profiteri decreuerim, ſuperuacaneum omnino, neque ſatis opportunum exiſtimaui, coram vobis eam, vt certè digniſſima eſt, laudibus in cœlum ferre: cùm præſertim omnes vno eam ore prædicent, & cæterarum artium reginam atq; dominam appellent: ne fort aſſe veſtrum aliquis id mihi meritò poſſit obijcere, quod olim Sophiſtæ cuidam Lacedæmonius Antalcidas obieciſſe dicitur, qui cùm cum rogaſſet, vt à ſe conſcriptam orationem audiret, & percunctan-

cunctanti, quodnam esset eius orationis argumentum, respõdisset, Herculis encomiũ: Quis (inquit Antialcida) illum vituperat? Quasi stultum prorsus atq; inane sit, ea re laudanda frustrà tempus consumere, quam omnes egregiam atq; præstantem esse confitentur. Quare mihi potiùs in eo laborandum & inuigilandum esse censui, vt viam atque rationem aliquam vobis aperirem, qua magnam vobis facultatem & eloquentiam acquirere posſitis, quàm vt Artem hanc dicendi, quæ probatur ab omnibus, & ad quam sponte vestra vos ipsa tis incitatos esse video, laudare contenderem. Quæres licet ardua supra modum atque difficilis esse videatur, vt quis ad optatissimum eloquentiæ culmen perueniat, &

Virg. 6. Aeneid.

pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad æthera virtus,

id assequi potuerint: non tamen ideo desperandum, aut animo deficiendum est: verùm illud semper animo voluendum, atq; cogitandum: Nihil tam arduum aut difficile reperiri posse, quò facilè virtus inflammata non aspiret: neq; quicquam tam altè positum à natura, quod studium & amor eniti non posſit. Est enim (vt ait Fabius) aliquid certè perfecta Eloquentia: neq; ad eam peruenire natura humani ingenij prohibet: quod si non contingat: altiùs tamen ibunt, qui ad summa nitentur. Omnibus enim in rebus ita natura comparauit, vt quæ in quoque genere præstantissima atque honorificentissima sunt, ea maximas etiam secum annexas difficultates habeant. Sed animi fortitudo atque constãtia nullam omnino difficultatem pertimescit: quam

In Procem. lib. 1. instit. Orator.

po-

potiùs ipsius honestatis atque gloriæ causa, quæ virtutis ampliſsima præmia sunt, quemuis durum atque immensum laborem subire non recusat. Est igitur hæc in adolescente prima atque maxima proficiendi ratio, si persuasum habuerit, nihil in omni disciplinarum genere tam esse obscurum, nihil tam reconditum, nihil tam admirabile, quod non possit hominum intelligentia facilè percipi, & illustrari, ingenij acumine penetrari, studio atque industria superari. Si spem animo conceperit, fore, vt aliquando suo labore, doctrinarum arcem & eloquentiæ summam obtineat, vt aliquando plerosque sui ordinis homines, longè infra se positos, læto atque alacri animo despiciat. Nihil enim est, quod iuueni tantopere noceat, nihil quod ab ingenuis disciplinis magis retrahat quàm ad summam eruditionem euadendi diffidentia, hæc pestis ingeniorum est, hæc fortem & audentem animum infringit, hæc discendi cupiditatem atque ardorem restinguit, hæc omnes animi vires debilitat, hæc denique non tantùm remissum in studijs & frigidum, sed etiam prorsus negligentem atque inertem reddit. At contrà quem non erigit haud dubia spes proposita? quem non incendit honor certus? quem non inflammat aperta dignitas? quos animi impetus, quas flammas, quos ardores ad discendum non commouent, ad opes, ad gloriam, maxima atque certissima præmia? Concipienda igitur animo spes optima: certò credendum est, Nihil esse volenti difficile: non dubitandum est, Animum hominis, quicquid sibi imperauit, obtinere. Nam qui sunt hac mente præditi, iã id

disci-

disciplinas patentem sibi viam & planam muniuerit, vt nihil sit omnino, quod discendi gratia nou aggrediantur. Quamuis ego vobis, optimi Iuuenes, non asperam aliquam aut molestam proficiendi rationem proponere, sed eam patefacere, quantum ferat facultas mea, constitui, quibus diligentissimè conseruatis, vnusquisque vestrum ad optabilem eam, quam quaeritis, & maximè gloriosam eloquentiae summam poterit haud difficulter peruenire. Neque enim discendi cupidos tam labor à disciplinis absterret, quàm aperta discendi ratio allicit atque inuitat ad laborem. Sed ne quis mo vestrũ existimet, me noua quaedam, aut ante hunc diem inaudita praecepta vobis afferre. Quid enim minùs attinet, quàm regiam (quam appellant) viam munientem, obscuras aliquas aut angustas, & nondum planè tritas semitas inuestigare? Sunt igitur hac praecepta nostra iam olim peruulgata, & praeclaris atque in conspectu omnium posita; quae licet eiusmodi sint, (quod mihi magnopere mirandum esse videtur) pauci tamen admodum aduertere illa atque obseruare solent. Tria sunt enim sola, quae non disertum tantùm atque eloquentem hominem, sed etiam disciplinarum omnium peritissimũ, diligenter obseruata, possint efficere: quorum primum ac praecipuum est Audire, alterum Legere, tertium Scribere. Quatuor sunt ita inter se connexa atq; colligata, vt nullo modo rectè diuelli aut separari possint: sed quãdam ternarius numeri, quem sapientes maximè celebrant, perfectionem atque diuinitatem praese ferre videantur. Neque enim quicquam rectè poteris vnquã scribere, nisi

ta prius audieris atque legeris: neque ad eruditionem & eloquentiam comparandam tibi frequens auditio atq; lectio multùm proderit, nisi multùm etiam scriptitaris. De his igitur tribus dum aliqua sigillatim disputo, quæso vos, sicuti hactenus feciſtis, diligenter attendite. Est enim Audiendi sensus (vt de hac primùm parte loquamur) ideo nobis à natura datus, quemadmodum sapientissimi viri censuerunt, vt per ingenuas ac liberales disciplinas, quas audiendo percipimus, prudentiam nobis summam acquiramus. Solus enim omnium sensuum auditus ad animi institutionem, multarumq; rerum perceptionem plurimùm confert: quo fit, vt (quemadmodum libro de Sensu tradit Aristoteles) capti oculis, & ab ipsis vsq; natalibus cæci prudentiores fieri possint, quàm qui surdi, mutiq; nati sunt: quoniam auribus longè magis ad prudentiam & scientiam, quàm oculis adiuuamur. Id àdeò licet inde cognoscere, quòd etiam, cùm in disciplinis multùm profecerimus, res tamen omnes longè nobis clariores & apertiores audiendo fiunt, quàm legendo. Non enim sine causa tantopere fuit illa semper viua vox ab antiquis laudata, quoniam ipsa docentis oratio, disciplinarum & artium quasi vita est. Licet enim (ait Fabius) satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet: tamen viua illa (vt dicitur) vox alit pleniùs, præcipueque præceptoris. Nam licet acriora sint, aut etiam doctiora, quæ legas: altiùs tamen in animo sedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit. Quod etiam magnus ille nostræ Religionis interpres Hieronymus his verbis comprobat:

Inst. Orat. lib. 2. ca. 2.

bat : Habet nescio quid latentis energiæ vitæ vox, & in aures discipuli, de doctoris ore transfusa, fortiùs sonat. Hoc illud certè est, quod iucundissimus orator Isocrates Demonicum suum ad libenter audiendum adhortatur : quippe qui præclarè intelligeret, adolescenti ac iuueni, nihil vtilius esse posse, quàm plurimum in audiendis bonarum artium Professoribus operæ atque temporis collocet. Hoc enim modo facilè fit, vt quæ professores ipsi diuturno studio, plurimo labore, multis vigilijs perceperint, ea tempore quasi momento, modica attentione, nulla difficultate discant, qui diligenter audire voluerint. Ergo primum sit illi, qui summam adipisci doctrinam concupiscit, audiendi cura, qua tantopere delectetur, vt nihil ei potius aut antiquius habere videatur : vt cùm eruditum aliquem audire professorem facultas datur, nullam quaquam in legendo potiùs aut scribendo consumere otium velit. Longè enim vtiliùs, à sapientissimis viris audire, quàm legere aut scribere, iuuentuti semper iudicatum fuit : cùm præsertim multi dentur ad legendi atque scribendi studia reditus : audiendi verò docti Professoris non perpetuò sese offerat occasio. Quod nisi præstantissimus & acutissimus omnium Philosophus Aristoteles, hanc audiendi consuetudinem tantarum earum omnium, quæ ad studia pertinent, vtilissimam esse censuisset, non sanè Platonem illum diuinum annos viginti perpetuos ita audiuisset, vt ne vnam quidem interim eius lectionem, nisi grauissimis obstrictus negocijs, prætermitteret. Iam verò satis ex historijs constat, nullum eorum, qui in aliquo doctrinæ genere cla-

clarissimi fuerunt, non audiendi fuisse studiosissimum. Quis enim ignorat, Platonem ipsum, Pythagoram, Democritum, Anaxagoram, innumerabilesq; alios, maximè diuersas atq; distantes regiones nō alia de causa peragrasse, nisi vt varios disciplinarum præceptores audirent? Quid, quòd Euclides Socraticus audiendi tanto flagrasse desiderio perhibetur, vt eius rei gratia capitis etiam periculum adire sæpissimè non dubitarit? Cùm enim Athenienses decreto suo cauissent, vt Megarensium ciuium nemo pedem Athenas inferre auderet, alioquin ea res illi homini capitalis esset, erant enim Athenienses odio Megarensium maiorem in modum accensi: tamen Euclides, Megaris natus, qui ante id decretum frequenter & esse Athenis, & audire Socratem consueuerat, postquam decretum esse factum audiuit, sub noctem, priusquam adueperasceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio versicolore amictus, velato capite è domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat, vt vel noctis aliquo tempore cōsiliorum sermonumq; eius fieret particeps: rursusque sub lucem millia passuum paulò amplius viginti eadem veste illa tectus redibat. O miram hominis constantiam! O discendi ardorem incredibilem! Quantum enim illud sciendi desiderium fuisse putandum est, quod hominem domi suæ nobilem a quiete nocturna, à domesticis penatibus, à tam longinquo loco, lectionis vnius audiendæ gratia ad pestem ac perniciem ante oculos positam traheret! Quis est hoc nostro tempore, qui, non dicam, aggredi alia audeat,

sed

ſed qui longioris paulò itineris laborem ſuſcipere vult, aut antelucano tempore ſurgere, vt ad Profeſſorem aliquem, quamuis celeberrimum & eruditiſſimum, audiendum accedat? Itaq; minimè profectò mirandum, ſi nulli Platones, nulli Ariſtoteles, nulli Euclides hoc noſtro tempore reperiuntur. Illi enim audiendi gratia totum penè terrarum orbem peragrabant: nos etiã eos, quos domi habemus, eruditos homines audire nolumus. Illi non ſex tantùm aut octo annos, ſed etiam viginti plerunq; doctorem eundem audiebant: nos viginti lectiones audiuerimus, etiam Profeſſorem ipſum à nobis ſuperatum eſſe exiſtimamus. Illi capitis periculum adire, modò memoria dignum aliquid audiuiſſent, non recuſabant: nos ne præſentes quidem, cùm doctorum hominum lectionibus interſumus, audire curamus; ſed interim aut nugamur, aut animo peregrinamur, aut, quod longè peius eſt, audientibus obſtrepimus, & ipſos præceptores conturbamus. At longè aliter adoleſcentiam inſtituendam ſapientiſſimus vir Pythagoras cenſuit; qui nullo modo fieri poſſe ſtatuit, vt quis eruditionem aliquam acquireret, niſi prius audire didiciſſet. Itaq; ſtatim ab initio adoleſcentes, qui ſe ad diſcendum obtulerant, tacere & audire præcipiebat, non vno quidem aut altero die, ſed longo omnes tempore: nullus enim apud eum minus, quam biennium tacuit: is autem qui tacebat, quæ dicebantur ab alijs, audiebat, & intra tempus illud tacendi audiendi dicq;, Ακουστικὸς, quaſi ad audiendum accommodatus, vocabatur. Aſt vbi res didicerant omnium difficillimas, tacere, & audire: tum verba facere & re-

terr-

terrogare, quæq; audissent, scribere, & quæ ipsi opinarentur, expromere potestas erat. Quam certè Pythagoræ consuetudinem licet in ea parte aliqui non magnopere laudent, quòd tandiu tacere iuuenes assuefaceret: in eo tamen omnes ad vnum consentiunt, omnium rerum audiendi rationem vtilissimam esse. Quod cùm ita sit, ad ea semper attentissimè sunt aures inclinandæ, quæ vtiliter & honestè dicuntur: ne quid eorum, quòd nobis aliquo modo vsui esse possunt, pereat aut decidat: imitandaq; est M. Antonij illius diserti summa diligentia, qui de sua audiendi ratione prædicat illud egregium: Nihil à se vnquam auditum, quod quidem memoratu dignum esset, quod non animo suo penitus insedisset. At nos (si Dijs placet) longè diligentiùs circulatorum cantiones, & mimorum ethologorum scurriles ineptias, quàm doctissimorum hominum grauissimas disputationes audimus. Quin etiam ad scholas si quando nobis in mentem venit accedere, non ad eas discendi causa, sed tanquam ad theatrum, & ludorum spectacula, gratia tantùm voluptatis accedimus; cùm sapientum virorum præceptum sit, vt non aliter ad audiendum, quàm ad sacrum quoddam conuiuium, placido & quieto animo proficiscamur, & doctrina, qui vnus suauissimus pastus est, animum nutriamus. Qua in re nos apes imitari iubent, quæ ex omni florum genere, quæ sibi ad mel & ceram conficiendam vsui esse possunt, diligenter & accuratè decerpunt, quæ verò sunt inutilia, derelinquunt: ita nos, quæ nostram eruditionem aliqua ex parte possint augere, debemus ea summa cum attentione notare: quæ verò non satis

Cic. 2. de Orat.

Isocrat. ad Demonic.

vtiliter à præceptore memorantur, ea prætermittere, neq; vnquam ab auditione sine aliquo fructu redire. Neq; enim diligenter audire satis est: verùm, audiendi fine facto, statim ea sunt animo volutanda, quæ fuerunt à nobis audita: vt auditionis nostræ fructus constet, & sciamus, quid ex ea lectione profecerimus. Nã cùm lotus aut detonsus in tonstrina fueris, ait Plutarchus, nónne soles in speculo teipsum contemplari, vt videas an ex lotione pulchrior effectus sis? Cur non igitur idem in Gymnasio facis, vt postquam audieris, consideres, an ex lectione doctior euaseris? Cogita quid agant in ludo gladiatorio iuuenes: non enim tantum ad lanistarum ictus ac percussiones, cæsim punctimq; deuibratas, accendunt, sed arrepto rudi illo gladio, secum ipsi eosdem illos ictus meditantur: alioqui recte nunquam digladiandi artem perdiscunt. Idem igitur tibi faciendũ existima: vt non tantum præceptoris vocem attentè diligenterq; audias, sed ab ea statim libri ipsum manu capias, & quæ doctè ac præclarè dicta fuerint, in memoriam reuoces. Est enim admodum res fragilis & caduca, memoria, cui nunquam satis fidere oporteat. Nam illa etiam, quæ te rectissimè tenere putas nisi frequenter meditando confirmes, excidere e memoria, atq; effluere plerunq; solent: quanto igitur illa facilius effluent, quæ semel tantum audieris, nisi tecum sæpius repetas atq; animo voluas? Neque enim sine causa credas à sapientissimo Philosopho Platone pluribus in locis præceptum illud fuisse, vt δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν, hoc est, bis & ter, quod pulchrum est, repetamus. Videat enim vir ille diuinus, nihil in bonis dis-

diuturnum esse posse, nisi quod meditatione frequentissima familiare nobis & quasi domesticum reddiderimus. Nulla est enim in nobis scientia, nisi quæ per habitum, (vt vocant Philosophi) hoc est, per diurnam consuetudinem ita nobis insederit, vt non facilè possit ab animo atq; è memoria nostra diuelli. Verum habitum ipsum sapientes docent, non ab vna tantùm atq; altera, sed à plurimis atq; ijsdem frequentatis actionibus gigni consueuisse. Quamobrem hoc primum eius adolescentis officium, qui doctrinarum amore captus est, esse statuo, vt quam diligentissimè fieri potest, operam in audiendo consumat; & quæcunque memoratu digna audierit, ea vel scriptis mandet, vt, cum opus fuerit, inde petat; vel quod longè præstantius est, ita meditando memoriæ adfigat, vt nunquam amplius elabantur. Atq; hæc prima est atq; præcipua proficiendi ratio. Sequitur altera, non minus quidem vtilis & necessaria, sed longè maioris certè laboris atq; operis; vt scilicet quàm plurima legamus. Neque enim si audire, quemadmodum ostendimus, multò sit vtilissimum atq; necessarium, ideò solùm ad magnam eruditionem comparandam sufficit: sed longa etiam atq; varia lectione opus est: cui tum commodè dare operam poterimus, cùm ex longa audiendi consuetudine bonos intelligere per nos ipsos authores inceperimus. Qua in re potissimum ea, quæ plurimum vbique commendatur, adhibenda est diligentia. Facilè enim, nisi diligenter aduertamus, nos ipsa lectio decipit. Nam ferè fieri solet, vt ea frequenter in legendo per incuriam transeamus, quæ

notatu multò digniſsima fuerant. Neq; enim quotempore legimus, facilè eſt, eodem temporis momento, ſenſum authoris, ſubiectam materiam, argumentorum inuentionem, rerum & verborum collocationem, ſententiarum grauitatem, verborum exornationes, exempla, ſimilitudines, cæteraq; eius generis dicendi lumina diligenter aduertere. Quamobrem eorum conſilium, qui præcipere ſolent, vt egregios authores nequaquam ſemel euoluiſſe contenti ſimus, optimũ eſſe videtur. Eſt enim in clariſsimorũ hominum ſcriptis id admirabile, vt quantò frequentiùs ea legeris, tantò ſemper iucundiora tibi videantur, & in eis plura notatu reperias. Itaq; cùm ad aliquem, nunquam à nobis antea viſum, Scriptorem aggredimur, eum primò quaſi per tranſennam totum percurrere nos iubent, aut ſi plures diſtinctius libros fuerit, integrum primò librum legere, deinde, rurſus ad initium regredientes, totum eius argumentum animo comprehendere, & quatione tractetur ab eo, ſigillatim aduertere: vt, ſi quando nobis in eodem, aut ſimili materiæ genere verſari opus fuerit, quam imitemur, paratam rationem habeamus. Sed vt lectio nobis non vnam tantùm vtilitatem præbeat: interea dum legimus, paratum ſemper habere calamum, mirandum in modum vtile eſt: vt ſi forte aliquod in legendo dictum occurrat inſigne, noua aliqua locutio ſuauis exornatio, ſententia grauis, illuſtris amplificatio, notabilis hiſtoria, ſimilitudo non vulgaris, præceptum egregium, atq; id genus cætera, accuratiſsimè deſcribantur, & ad communes quoſdam locos, à nobis antea præparatos, tanquam ad nidos ſeu fontes

ſuos

suos reducantur: vnde, cùm opus fuerit, expromi facilimè possint. Hac sanè consuetudine & aliàs semper vsi sunt, & hoc etiam tempore vtuntur eruditi viri: vt ex omni lectionis genere semper aliqua decerpant, quæ ad eruditionem aliquo modo amplificandam pertineant. Nam cui non est auditum Plinij Nouocomensis studium? qui tanto legendi & audiendi ardore flagrabat, vt siue staret, siue sederet, siue domi esset, siue iter faceret, semper aliquid aut ipse legeret, aut aliun legentem audiret: cuius etiam illud sapientissimum dictum celebratur: Omne perire tempus, quod studio non impertitur. Hic igitur cùm multa scriptorum millia, tam externorum, quàm Romanorum perlegisset, nunquam tamen vllum legisse librum perhibetur, ex quo nõ aliquid notatu dignum excerperet: quippe qui frequenter etiam dicere solebat: Nullum esse tam malum librum, qui non aliqua ex parte vtilis esse posset. Quod ante illum Plato, Aristoteles, Cicero, innumerabilesq; alij sapientes viri censuerunt, qui fortunas suas fere vniuersas coëmendis libris profuderunt. Nam Plato, qui tenui admodum pecunia familiari fuisse dicitur, tres Philolai Pythagorici libros decem millibus denariorum mercatus est: quod tamen ei precium donasse quidam amicum eius Dionem Syracusanum memoriæ prodiderunt. Aristotelem quoq; tradunt, libros pauculos Speusippi Philosophi post mortem eius emisse talentis Atticis tribus, quæ summa fit aureorum nostrorum mille & octingentorum. Cicero, modò librorum copiam habere posset, Crassum diuitijs superare, atque omnium vicos & prata se contemnere testatur. Atq; alibi Lib. 1. ad Attic. Epist. 4.

Lib. 1. ad Attic. Epist. 9.

alibi ad Atticum scribens, Bibliothecam, inquit, tuam caue cuiquam despondeas, quamuis acrem amatorem inueneris. Nam ego omnes meas vindemiolas ei reseruo, vt illud subsidium senectuti parem. Tantarat eijs hominibus legendi cupiditas, vt nullam aliam maiorem voluptatem, nullū maius solatium existimarent. Itaq; nullum idoneū, neq; diurnū, neq; nocturnum tempus intermittebant: quin etiam tum, cùm alijs negotijs distraherentur, successiuas quasdam horas cateris occupationibus subterfurari conabantur, vt interim aliquid legere atq; notare possent: quod de

Val. Max. lib. 8. c. 7.

Catone Maiore legimus, qui etiam in extrema senectute Græcis eruditi literis voluit: cuius egregia proles Inferior Cato tanta doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, dum Senatus cogeretur, temperaret sibi, quò minus Græcos libros lectitaret. Sed nullus exemplorū finis esset, si singulorum ardens atq; assiduū in legendo studium, eorum qui clarissimi fuere, commemorare velim. Quare quicunq; gloriam eorum & dignitatem æmulantur, etiam industriam & laborem imitari conuenit. Quamuis ego vobis, Auditores, nequaquam author sum, vt ista ætate iuuenili quosliber authores aggrediamini. Seruetur ad annos maturiores hæc varia ratio. Euoluant scriptores omnes, quiam elegantem & politam sibi stilum comparaturi: hoc vestræ ætati non conuenit, non vtile est, non est probandum: eligendi sunt vobis excellentiores, & in eijs insistendum atque insudandum, vt Romanæ linguæ puritatem atque elegantiam, quæ in paucis admodum authoribus perspiciatur, in adolescentia per

percipiatis. Nam nisi ætate ista vobis ornatam dicendi copiam acquiratis, postea (mihi credite) frustra laborabitis. Duos igitur vobis præcipuè Latinos scriptores, vos (inquam) qui dicendi rationem & artem oratoriam colitis, eligite, Cæsarem & Ciceronem, duos etiam Græcos, Isocratem & Demosthenem, quibus immoremini, quos imbibatis, quorum singula verba notetis, quorum locutiones, figuras, dicendi formulas ediscatis, quos ita vobis familiares efficiatis, vt quicquid vel Latinè, vel Græcè pronuncietis, quicquid literis mandetis, id semper aut Cæsarianum, aut Ciceronianum aliquod dicendi genus præ se ferat, aut Isocratea myrothecia, aut Demosthenis lucernam redoleat. Nam hi vobis Latini atq; Græci scriptores, ad omne ferè locutionis genus satis vberem materiam suppeditabunt: neq; vlli vnquam omnino verba deerunt, cui sunt Cæsaris atq; Ciceronis familiaria scripta atq; domestica: neq; verò iucunditate aut grauitate carere poterit, cui benè notus Isocrates atq; Demosthenes fuerit. Sed hæc ratio longa eget exercitatione, diuturno studio, diligenti atq; assidua lectione. Quid ergo? dicet aliquis; An alios tot ac tantos authores relinquemus & negligemus, vt his duobus tantùm Latinis operā demus? Imò verò cùm quis vestrum iudicio recto vti nouerit, & rerum atq; verborum delectum habere, nullū ab eo negligendum esse scriptorem censeo & eorum præsertim, qui vel Augusti Cæsaris ætate fuerunt, vel eam præcesserunt: quoniam eo tempore Latinus adhuc sermo florebat. Itaque non tantum abijs, qui iam aliquid profecerunt, legi, sed etiam,

si fieri posset, ediſci ſcriptores illos magnopere velim. Sed quia non eos omnes, in hac præſertim dicendi arte atq; ratione, imitari possumus, duos illos, quos initio diximus, vt omniū præstantißimos, eligamus, quorum in dicendo vestigijs insistamus, quos è manibus nunquam deponamus, quos ediſcamus, quos nobis familiarißimos efficiamus: reliquos verò etiam omnes, quàm fieri potest diligentißimè, legamus: non tantùm imitandi gratia, niſi ſi quid occurrat egregium, quantùm vt ſolidam nobis eruditionem ex varia lectione comparemus. Nam (vt ingenuè fateár) ſi quis Cæſarem tantùm atq; Ciceronem lectitaret, alios autem omnes optimarum artium ſcriptores contemneret: quales ego nonnullos agnoſco: is certè nunquam inter eruditos numerari posset. Quamuis enim elegantem ac politam ſibi fortaſſe dicendi facultatem pararet: tamen ſi quis diligentiùs aduertat, in eius oratione nullæ vires, nullus nerui, nulla ſolida doctrina, nulla denique recōdita eruditio, ſed verborum tantùm ornatorum volubilitas, & inanis quidam cum iucunditate ſonus perſpicietur.

Chriſtoph Longolius

Quod ſane in Chriſtophoro Longolio, quem vnum maximè Ciceronianum eſſe volunt, apertißimè videre licet, qui non apes, è florum ſuccis mel optimum atq; ſuauißimum conficientes, ſed puellas, è ſolis floribus coronellas contexentes, imitatus fuiſſe videtur. Voluendum eſt igitur (vt Fabius ceſet) omne ſcriptorum genus, ſed optimis inſiſtendum. Nam ex rerum cognitione redundat oportet & efflorescat oratio, quæ non niſi per multorum authorum lectionem comparari potest. Ergo ab alijs ſcriptoribus doctrinam & eruditionem, à Cæſare verò

verò atq; Cicerone venustam eam, quam quærimus, & exornatam dicendi rationem petamus. Tertia atque vltima studiosi iuuenis cura illa esse debet, vt posteaquam multa diligenter audierit, multa accuratè lectitarit, magnumq; sibi verborum optimorum & sententiarum cumulum ex audiendi consuetudine, atq; ex varia lectione congesserit, tum demum omni cura atq; diligentia scribere aliquid incipiat, & ad vsum atq; exercitationem ea deducere laboret, quæ priùs cognitione perceperit. Neq; enim eorum labor approbandus est, qui relicta audiendi & legendi cura, nimis properè, atq; ideo intempestiuè sese ad scribendū conferunt. Nam eos nequaquam solidos atq; integros, planeq; perfectos partus, sed inanes, (vt Plato vocat) ἀνεμιδίας, quasi vento conceptos dicas, emittere necesse est. Quam enim eruditionem in scribendo possunt illi promere, qui neq; ex auditu, neq; ex mutis (quod aiunt) magistris longo studio plurima notarint? Licet hoc tempore quorundam hominum, qui se doctos atq; eruditos existimari volunt, scripta videre, tam inania, tam leuia, tā succi expertia, vt nihil aliud in eis, quàm verba reperias: non reconditiorē aliquem sensum, non antiquitatem, non doctrinam, non denique aliquid, quod à vulgari omnium cognitione abhorreat. Hi sunt (vt ait Horatius) versus inopes rerum, nugæq; canoræ. Nam omnino sine rerum plurimarum scientia, verborum volubilitas inanis atq; irridenda est. Quid est enim (ait Cicero) tam furiosum, quàm verborum vel optimorum atq; ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia vel scientia. Comprehendenda est igi-

In Theæt.

In Arte Poët.

Lib. 1. de Orat.

igitur priùs multarum rerum scientia, & audiendo, & legendo: tum demum eleganter & politè scribere incipiemus. Vnde enim copiosa atq; elegans oratio prouenire solet? An non à sola sapientia? Nam, quod Poëta Venusinus ait, omnino verissimum est.

Horat. in Arte Poët.

Scribendi rectè, sapere est & principium & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.

Quin etiam illud esse probabile fatetur orator, quod Socrates dicere solebat, Omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes. Itaq; nemo sperare debet, aliquid se magna laude dignum conscribere posse, nisi priùs multa didicerit. Sed hæc duo sunt ita inter se coniuncta atq; conglutinata, vt neutrum sine altero perfectum esse possit. Quemadmodum nullus disertè loqui aut scribere potest, nisi cognitione ac scientia multa comprehenderit: ita quamuis multa didicerit, audierit, legerit, & non dicendo ac scribendo sese multum ac diu exercuerit, nequaquam tamen ea, quæ vel optimè nouit, politè eloqui poterit. Sed quanta sit vtilitatis ad dicendi facultatem acquirendam, diuturna atq; accurata scriptio, nullus profectò melius atq; exquisitius exprimere posset, quam Crassus ille vir eloquentia singulari, dicendiq; gloria præstantissimus, apud Ciceronem his verbis expressit: Caput est autem (inquit) quod, vt verè dicam, minimè facimus: Est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quàm plurimum scribere. Stylus, optimus & præstantissimus dicendi effector ac magister est. Neque inuitus. Nam si subitam & fortuitam orationem commen-

Cic. 1. de Orat. 97. a & b.

tatio

tatio & cogitatio facilè vincit: hanc ipsam profectò assidua ac diligens scriptura superabit. Omnes enim siue artis sunt loci, siue ingenij cuiusdam atque prudentiæ, qui modò insunt in ea re, de qua scribimus, inquirentibus nobis, omniq; acie ingenij contemplantibus ostendunt se & occurrunt, omnesq; sententiæ, verbaq; omnia, quæ sunt cuiusq; generis, maximeq; illustria, sub acumen stili subeant & succedant necesse est: tum ipsa collocatio, conformatioq; verborum perficitur in scribendo, non poëtico, sed quodam oratorio numero & modo. Hæc sunt, quæ clamores & admirationes in bonis oratoribus efficiunt: neq; ea cuiusquam, nisi diu multumq; scriptitarit, etiamsi vehementissimè se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et qui à scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem vt etiam subitò si dicat, tamen illa, quæ dicantur, similia scriptorum esse videantur. Atq; etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid cùm ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. Vt concitato nauigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa nauis motum & cursum suum, intermisso impetu, pulsuq; remorum: sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine, & vi concitata. Quis est igitur vestrum, Iuuenes, qui cùm ex his Crassi verbis intelligat, quanta assiduè scribendi vtilitas, non omni cura, studio, labore, opera, diligentia, sese ad plurimum scribendum conferat? Nam quamuis initiò res admodum laboriosa atq; ardua videatur, posteà tamen consuetudine fit

ne fit quotidie facilior & planior. Sed illud inter scribendum obseruare diligentissimè oportet, vt Nō quicquid sub acumen styli subit ac succedit, admittatur: multa enim scribenti occurrunt, quæ vel leuia sunt, vel à re, de qua agitur, aliena: vel deniq; inculta, horrida, lepore omni spoliata: quæ reijcienda sunt omnia: tantumq; illa sunt admittenda, quæ causæ nostræ primò sint accommodato, deinde quæ cuiusq; generis dicendi luminibus distincta sunt. Habendus est enim rerum ac verborum delectus, vt rationes & argumenta, quibus causa nostra confirmetur, accuratè quæramus & excogitemus, eoq; ordine disponamus, vt nihil alienum à re proposita, nihil importunum atq; intempestiuum à nobis dici videatur: sed ita inter se omnia colligentur, vt vnum quoddam absolutum & elegans corpus, omnium membrorum apta compositione, & partium conuenientia confletur. Verba verò ipsa primò Latina sint & polita, & antiquam illam Ciceroniani temporis maiestatem ac dignitatem præ se ferant; deinde splendida, consonantia, grauia, rebus deniq; ipsis accommodata: verborum compositio plena, & quodammodo rotunda, vt aures ipsæ, clausularum numeros metiētes, semper expleantur; ne aut nō compleatur verbis, quod propositum; aut redundet. Oratio tota dilucida. Nam (vt ait Aristoteles) prima virtus orationis, perspicuitas est, & quo quisq; fuerit excellentior, tantò etiam in dicendo facilior esse solet: quod adeò licet apertissimis Cæsaris, Ciceronis & Virgilij exemplis agnoscere: qui cùm omnium scriptorum præstantissimi atque excellentissimi sint, & habeantur, omnium etiam (vt perspicu-

3. Rhet. 2.

spicuum est) facilimi atq; dilucidissimi sunt. Quamobrem eorum consuetudo, qui sermonis obscuritatem sectantur, & ea studiosè scribunt, quæ potiùs mirentur aut spernant homines, quam æquè intelligant, irridenda est. Est enim ideo nobis à natura data oratio, vt per eam animi sensa dicendi exprimamus: quo fit, vt quantò quis apertiùs & clariùs id efficit, is tantò etiam excellentiùs & loquatur & scribat. Sit ergo vestra, Iuuenes, oratio clara, aperta, dilucida, sed eo tamen studio atq; industria elaborata, vt omnes dicendi Veneres, omnes exornationes, omnia lenocinia complectatur. Illustris enim illa atq; suauis oratio, cõcentu quodã atq; apta modulatione condita, crebrisq; figuris distincta, mirandũ in modum audientium animos delectat. Eam autem quomodo, & quibus præceptis efficere possitis, ex arte, quam docebimus, Rhetorica percipietis: vsum autem atq; experientiam in ipsius Ciceronis orationibus, quas interpretabimur, expressam videbitis. Quamobrem vt aliquando dicendi finem faciam, & summatim omnia colligam, optimam in adolescentia proficiendi rationem hanc esse statuimus, vt prima sit artium Professores attentissimè audiendi cura, sine qua nihil rectè percipi, nihil clarè intelligi potest, & qua nos à magnis, quos alioqui subire opus esset, laboribus & obscuritatibus liberat. Altera, vt quàm plurima legere atq; euoluere studeamus, variasq; disciplinas percipiamus, sine quibus nulla potest esse satis exornata atq; laudabilis oratio: & vt eos, quos imitari volumus, autores, nobis frequenti lectione familiarissimos efficiamus. Tertia atq; vltima, vt multùm atque

accu-

accuratè scribamus: quoniam neq; artes optimæ, neq; rerum cognitio ad eloquentiam sine scribendi assiduitate multum iuuant. Quid igitur superest, nisi vt vos rogem obtesterq;. Iuuenes, per ipsas quas maximè colitis, venerandas atq; amabiles Musas, per exoptatam vobis eloquentiæ pulchritudinem atq; claritatem, per ipsius humanitatis splendidissimum & maximè sufficiendum nomen, sic ad hunc locum audiendi mei gratia veniatis, vt vos modestissimè gerentes, & silentium, quod istam ætatem vestram maiorem in modum exornat, amplectentes, ex omni lectione vtilitatem aliquid referre studeatis: deinde priuatim ita bonos authores euoluatis, & scribendo stilum exerceatis, vt nullum omnino diem (quod aiunt) sine linea transeatis. Ita fiet vt apertas Musarum ianuas ingressi, facili promptoq; animo, ingenio, Musis ipsis fauentibus, eo splendore atq; dignitate ab eijs reuertamini, vt vos omnes, tam nostrates, quàm exteræ nationes, tanquam eximios quosdam ac propè diuinos viros magnoperè suspiciant & admirentur.

DE

DE AVDIENDI RATIONE, AD IVVENES Mediolanenſeis.

ORATIO XVII.

CVM non ita pridem, Auditores, Chriſtianorum Principum diſcordijs & bellico tumultu perculſos viderem ac perterrefactos omnium animos, verebar equidem ne id accideret, quod in huiuſmodi temporib. & calamitatibus contingere ſolere ſcimus omnes, vt neglecta liberalium artium ac diſciplinarum ſtudia deſererentur: dolebamq3, nec mediocriter angebar, poſt longum temporis interuallum renaſcentes iã in hac florenti ciuitate bonas literas, tam citò temporũ iniuria penitus extingui. Nihil enim (vt ingenuè fatear) fiduciæ, nihil ſpei, nihil deniq3 erat, fore, vt hoc anno quiſquã publicè profiteretur: ita videbãiam proſtratas iacere literas, omnes ferè Profeſſores ſtipendio ſuo priuatos, ſolutũ Ticinenſe Gymnaſiũ, edicto publico diſcipulos auditoresq3 dimiſſos: vt nullam vnquam alleuationem, nullã amplius dignitatem habitura literarum ſtudia viderentur. Sed vicit tandẽ prudentiſſimæ Senatus auctoritas temporũ iniuriã.

Ne-

Nolunt optimi parentes, vi Martis ac belli feruore fieri, vt penitus intereant: erigunt in spem præmiorum ac dignitatis Professores: memores sunt, Non minùs doctrinam atque eloquentiam, quàm artem militarem Reipubl. conducere. Itaque nullo modo pati possunt, vt hæc Mediolanensium iuuentus ingeniosissima, sine vllo rectore, sine moderatore studiorum, siue duce viuendi, rectissimam vitæ rationem deserat. Quæ sapientissimi Senatus humanitas & clementia, quo præconio, quibus laudibus in cœlū digna sit efferri, quis est vestrum, Auditores, quin intelligat? Quis non videt hoc tanto beneficio tantum Senatui nostro omnes ingenuarum artium amatores debere, quantum persoluere difficillimum esse videatur? Reliquum est igitur, egregij Iuuenes, vt quoniam ad vtilitatem vestram videtis omnium bonorum diligentiam excubare, vobis ipsis non deesse videamini: sed hominum sapientissimorum exempla, qui omne suum tempus perdiscendis literis transmittendum esse voluerunt, vobis ob oculos proponatis: quorum imitari industriam continentiamque maximè debetis, vt eundem, quem optimi ac nobilissimi, petere cursum laudis ac dignitatis facile possitis. Et quoniam, præter cæteros omnes cuiuscumque nationis adolescentes, vos Mediolanenses ingeniosissimos esse, & literarum appetentissimos, iampridem cognitum ac perspectum habeo: sed tamen (vt fit) in ista ætate plerosque vestrum aut ignorare, quibus modis id assequantur, quod magnopere concupiscunt, aut apertam ac patentem Musarum ianuam non ingredi: statui vobis hodie breuiter exponere, Qua ratione

sepa-

si publicè profitentes auditis, plurimùm in doctrina proficere valeatis. Vt quemadmodum diligentissimi solent agricolæ, priusquam semina proïciant, terram conscindere, vepres adurere, silices extirpare, sulcos omni diligentia præmollire, vt quàm optimè grana foueantur: ita nos etiam vestros animos, si quid in eis fortasse vitij reperitur, priùs repurgemus; deinde ad audiendum, & percipienda liberalium artium semina præparemus, quæ fructum, cùm tempus fuerit, vobis vberrimum & amplissimum afferant. Sic enim facilè omnes intelligent, mihi neq; industriam neq; diligentiam deesse, in eo exequendo, quod magna cum ratione suscepi negocio: vos, cùm ad me audiendum congregabimini, non sine magna vtilitate quotidie discedetis. Adeste igitur æquo animo, & quod sit vestrum officium in audiendo, cognoscite. Primùm igitur mihi videtur, Quales esse debeant auditores, deinde Quod eorum sit officium, esse dicendum. Et quoniam mihi cum eis potissimùm sermo est, qui iam à priuatis Magistris discessere, & publicas tantùm lectiones audituri sunt: ij quoniam & facilius & periculosius peccant, à me in primis admonendi sunt, vt assuescant, rectè & salubriter admonentibus obtemperare. Est enim quasi propria florentis istius ætatis intemperantia, quæ toto impetu fertur ad voluptates, neque facilè cuiusquam imperium patitur: quo fit, vt dum se liberos ac solutos id ætatis adolescentes, quia præceptore carent, arbitrantur, in multò peiores ac pernicioſiores pædagogos (vt ait Plutarchus) incidant, hoc est, in prauas cupiditates; quæ hominem ita commouent

& perturbant, vt nihil de bonis moribus, nihil de virtute sinant cogitare. Itaq; iuuenes eos, qui iam à Praeceptore discesserunt, aut doctorum hominum felicissimis atq; amantissimis consilijs parere opus est; aut ipsos per se, quæ sit optima viuendi ratio, considerare, atque illam omni contentione sequi. Præclarè enim Hesiodus scriptum reliquit; Omnium mortalium esse optimum, qui per omne vitæ suæ tempus, quæ sunt optima, per se cogitat, quin etiam illum bonum esse, qui rectè consulenti parere studet: qui verò neque per se quicquam rectè sapit, neque rectis obedire consilijs animum inducit, eum & sibi & alijs penitus inutilem esse. Vobis igitur, Iuuenes, si quid vnquam egregium præstare concupiscitis, omni cura ac solicitudine prouidendum est, ne in eorum numero sitis, qui penitus habentur inutiles. Quod dedecus & infamiam facilimè fugietis, si præclaram eam sententiam, quæ inter septem Græciæ Sapientum Oracula celebratur, audiueritis, quæ iubet vt Deum sequamur, hoc est (vt Plutarchus interpretatur) vt rationi pareamus, quæ sola in nobis diuina est, quæ semper animum ad res honestas à turpibus reuocat. Hæc est ea Pallas, quam apud Homerum Achilles audiendam esse censet, quam prudentissimum virum Vlyssem audire, Socrates prædicabat, quæ à turpitudine semper eum abstraheret, & ad honestatem impelleret. Hæc est ea natura, quam se, tanquam optimam ducem, sequi Cato Maior apud Ciceronem prædicat, cui qui paret, à recta via nunquam aberrare potest: cum hoc diuino numine cæca ac temeraria dominatrix animi cupidi-

Lib. 1. Εργων.

Iliad 1.

tas

tas non permiscetur. Quare si eam animi vestri partem, quæ mollis est, & rationis expers (quoniam apud sapientes in duas partes animus diuiditur) ita effeceritis, vt obedire consilio rationiq; possit, maximum ad omnem virtutem ac disciplinam gradum iam vos parasse intelligetis: cætera enim omnia leuia & facilia videbuntur. Nam qui apud animum suum ita constituit, ac decreuit, vt nihil aliud, quàm vir probus esse velit: is profectò nulla cupiditate, nullis voluptatum illecebris ab honestarum artium studijs ad ocium retrahetur. Itaque mihi dentur ij auditores, quos primùm literarum ardor trahat, atque ijs studijs dediti sint, quæ nobiles atque ingenuos deceant adolescentes: deniq; qui rationem, non appetitum sequantur. Eos ego nunquam incontinentes aut temerarios fore pertimescam: in ijs ego nunquam desidiam aut tarditatem verebor. Testis est enim Isocrates, Eos multùm breui tempore proficere, qui discendi studio atq; amore ducuntur. Quibus verò consilio ac ratione nihil est antiquius, ij nihil vnquam temere, nihil turpiter, nihil inconstanter efficient. Restat igitur, quoniam docuimus, quales auditores esse oporteat, vt etiam de eorum officio nonnulla differamus. Quod dum facio, quæso, vos, sicut hactenus fecistis, diligenter audite. Nulla est enim, mihi credite, Iuuenes, proficiendi via breuior, nulla melior, nulla præstantior, quam eos, qui profitentur, reuereri & amare: deinde quibus de rebus verba faciant, libenter & diligenter attendere. Nullo enim modo fieri potest, vt qui Professorem non suspicit, ex eius verbis vtilitatem capiat: quin

potiùs in deteriorem partem omnia contemptor nubit: & quæ præclarè dicuntur, ea prætermittit: si quid in dicendo titubatum fuerit, illud arripit, & memoriæ mandat.

Lib. 2. Epist. 1.

Discit enim citiùs, (vt ait Horatius) meminitque libentiùs illud, (tur.

Quod quis deridet, quàm quod probat & veneratur. Quapropter aliquando mihi Præceptorum sortem & fortunam venit in mentem deplorare. Adeò sunt multi, qui siniſtro quodã more nihil attendant, quàm multa & erudita & recondita, publici lectores afferant, quanta cura & induſtria lectiones suas amplificent, qua memoria & quo ingenio de varijs rebus differant, quo denique labore plurima perueſtigent: verùm si quis eorum breuiorem aut longiorem in dicendo syllabam, vnam pronunciarit; aut si in orationis cursu, lingua, non mentis errore parum aliquid appositè dixerit: statim imperitum appellant, bonarum literarum ignarum, barbarum, nullius frugi hominem. Hinc contemptio Professorum: quæ peſtis vsque eò mentem auditorũ inuadit, vt nihil amplius proficiat. Hoc igitur prouidendum eſt, Iuuenes, vt ne vobis in mentem vnquam veniat, auctorem veſtrum irridere. Quod ita facillime fiet, si vos per ætatem nondum rectè iudicare poſſe intellexeritis: si cogitetis, à sapientiſsimo Senatu, id eſt, à doctiſsimis hominibus, eligi, qui publicè doceant; qui non admitterentur ad tam graue munus, niſi prius eruditionis & doctrinæ ſpecimen de ſe præbuiſſent: si denique putetis, neminem eſſe tam audacem ac temerarium, qui niſi multa audierit, legerit, ſcripſerit, annotarit,

tarit, publicè profitendi munus suscipiat: postremò si apud animum vestrum ita statueritis, Nullum esse mortalium, qui omnia scire possit, aut qui non interdum in re aliqua labatur. Sed illius Horatianæ sententiæ memores esse oportet:

Verùm vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. In Arte Poët.

Hoc enim modo etiamsi quando Professor vno verbo lapsus fuerit; quod quis non facit? non statim contemnetis, sed potiùs, tanquam parentem, amabitis, qui nihil magis cupiat, quàm vt vos in omni doctrinæ genere sub eo duce præstantes euadatis, qui dies & noctes illud vnum cogitat, quomodo quàm plurimùm de vobis bene mereri possit. Hæc si cui vestrum in mentem veniant, non dubito, quin ille Præceptorem suum maximo sit amore prosecuturus: qui primus est, & maximus ad doctrinam gradus. Proxima est Audiendi ratio: quæ si diligens fuerit, nihil in studijs vtilius esse potest. Itaque Demonicum suum Isocrates sapientissimè cohortatur, vt omne suum tempus, omnem iuuenilem ætatem in audiendo consumat. Fit enim, vt quæ Præceptores ipsi longo tempore laborantes, longo studio & industria perceperunt, ea sine labore statim auditores edisçant. Quòd si bonos & eruditos esse Magistros acciderit: non tantùm audientes in disciplinis proficiunt, sed honestos etiam mores ac probitatem imbibunt. Docet enim Theophrastus, Audiendi sensum ad affectus commouendos omnium maximè pollere. Quippe variæ cupiditates per cæteros sensus in ani-

mum irrepunt, per visum, per tactum, per gustum, per odoratum. Sed vt ad honestatem ac bonam frugem iuuentus perducatur, vna via atque vna ratio: Honestis præceptionibus aures imbuantur. Bene autem & sapienter Xenocrates præcepit, Vt auribus nostris ab vna parte quasdam quasi sepes apponeremus; ne fœdi ac pernicioſi sermones ingrederentur: ab altera disciplinis atque optimis Philosophiæ præceptis pateret aditus; ne quid eorū, quæ honestè ac salubriter dicentur, decidat & euanescat. Verùm nescio quo pacto contaminatus est, & corruptus in plerisque sensus hic omnium vtilissimus audiendi. Nam si quis in foro circulator aut præstigiator meras nugas, & Siculis gerrę uniores, atq; inutiles fabulas recitet; aut si quis Thraso glarioſus ferociam suam ostentet, & Martios furores ac bella percrepet, denique si quis de lautis epulis, de meretricijs amoribus, de choreis, de tripudijs verba fecerit: multi statim adsunt auditores, qui singula intentent, qui ex illius fabulatoris ore pendentes stupeant: atq; (vt ait Virgilius)

Aeneid. 1, arrectis auribus astent.

Si verò quis de literarum studijs, de honestate, de recta viuendi ratione differat: mirum dictu, quàm pauci eos inueniat, qui animum intendant, qui cupidè audiant, qui finem orationis expectent. Adeò multis hoc tempore, qui, (vt ait Cicero) discū audire malint, quàm Philosophum. Sed nos quasi desperatos istos relinquamus, qui omnis veræ laudis expertes, nihil, quod vtile sit, audire, nihil discere cōcupiscunt. Mihi vobiscū sermo est, egregij Iuuenes, quos virtutis ardor excitat,

2. de Orat.

quos

quos dignitatis ac famæ cupiditas incendit, quos memoria posteritatis inflammat, qui nihil ocio literario dulcius, nihil doctrinis amabilius, nihil virtute formosius intelligitis: vos igitur oportet ad Professorem (vt optimè Plutarchus docet) non aliter atq; sacrum epulum accedere, animo videlicet placido & benigno: vt ea laudetis, quæ pulchra & apposita, memoriæq; commendetis: præterea beneuolentiam & officium doctoris ametis: cui nihil est potius, quàm vt vestram iuuentutem alat, & ad veram laudem ac gloriam inducat. Hæc est ea modestia, quam apud Platonem requirit Socrates, quam tãtopere laudat in Theæteto quodam Attico iuuene: quem ait ad liberalium artium disciplinas magna cum mansuetudine venire solitum, non aliter atq; solet oleum sine strepitu defluere. Et meritò. Quis enim modestũ adolescentem & verecundũ, qui frenorationis ætatis feruorem coerceat, & se gerat in rebus omnibus, vt nihil petulanter, nihil improbè, nihil temerè faciat, non vehementer amet? Quis non placidos adolescentis mores, & penè maturam in florenti ætate prudentiam exosculetur? Quis non eum iuuenem admiretur, qui nulla proteruitate, nulla petulantia, nulla libidine trahatur ad dedecus, sed ad studium virtutis & honoris inflammatus, nullam iucundiorem aut beatiorem vitam esse iudicat, quam in optimis disciplinarum artibus ætatem suam conterere? An non ille iuuenis amandus? non (vt dicitur) in sinu gestandus? non summis laudibus extollendus? qui omni studio, cura, diligentia prouidet, ne quid omnino committat, quod sibi vitio verti possit: & nihil ho-

nestate præstantius esse iudicat. Confer huic effrenatum illum & intemperantem adolescentem, quem neque ratio, neq; existimatio populi, neq; leges sapientes institutæ possunt à turpitudine reuocare, qui spretareligione, contemptus disciplinis, eam tantùm, quæ nulla capitalior pestis est, corporis voluptatem sequitur, quæ omne consilium ac rationem impedit, quæ mentu perstringit oculos, nec vllum habet cum virtute commercium. Quis non videt, quanta sit inter eos dissimilitudo? quantùm laudandus ille sit, hic improbandus? Neque hæc dico, quòd quisquam eorum, quos ego nom. ex vobis hac labe dedecoris sit infectus. Nam vt libere de vobis quod sentio, dicam: Multis in rebus Mediolanensis iuuentus excellit: promptum habet ingenium, felicem memoriam, naturam omnibus literis accommodatam. Sed vnum est, quod in vobis reprehendatur, quod tamen est eiusmodi, vt emendari facilimè possit. Nam vt elegantem & veram similitudinem inducam: Quemadmodum Momus, ille Deorum reprehensor, nihil in Venere, quod reprehensione dignum videretur, inuenire potuit, nisi quòd illius sandalium, vt stridulum, nimisq; loquax, & strepitu molestum, calumniabatur: quòd si Venus sandalium illud abiecisset, nullam omnino Momus ansam calumniandi reperisset: Ita ego, si vos paulò quietiores & attentiores audiendo viderem, tantùm inter alios omnes excellere indicarem, vt etiam ipsi Momo satisfacere possitis. Atq; vtinam ea mihi dicendi facultas esset, ea vis, ea copia, qua vestros animos ab ijs vitijs, quæ fert adolescentia, penitus amouere, & ad vnicum benè beateq; vi-

uendi

uendi scopum inflammare possem! profectò intelligeretis, nihil mihi magis esse in optatis, quàm vt præstantes in omni genere virtutis, ad magnos dignitatis gradus aliquando veniatis. Ponite vobis ante oculos Polemonis exemplum, qui vna sapientißimi hominis reprehensione mutatus, ex infam ac perdito ganeone, maximus Philosophus euasit. Hic enim ditißimus erat Athenis, sed luxu perditißimus adolescens, qui non solùm voluptatum illecebris, sed ipsa etiam infamia gaudebat: sed cùm aliquando è conuiuio, non post occasum Solis, verùm matutino tempore domum reuerteretur, vino grauis, vnguenta redolens, sertis capite redimito, veste pellucida conspicuus, Xenocratis Academici Philosophi patentem ianuam vidit, itaq; scholam eius turba doctorum hominum refertam, cum eo ornatu petulanter intrauit, nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, vt clarißimam Xenocratis eloquentiam, & prudentißima Philosophiæ præcepta, temulentiæ lasciuijs irrideret. Sed cùm inter omnes orta esset indignatio, Xenocrates ipse vultum in eodem habitu continuit, omissáq; re, de qua disserebat, de modestia ac temperantia loqui cœpit. Qua in oratione tanta fuit sententiarum grauitas, tantum verborum pondus, vt resipiscere coactus Polemon, primò coronam capiti detractam proiecerit, paulò pòst brachium etiam intra pallium reduxerit: atque ita summa cum attentione Xenocratis orationem audiens, eam temulentiam ac lasciuiam, quam è conuiuio portauerat, eloquentiæ vi coactus, deposuit: postremò totam penitus lasciuiam exuit: atq; ita vnius orationis

ſaluberrima medicina ſanatus, turpiſſimam illam vi-
tæ conſuetudinem dereliquit, & tanto ardore ac ſtu-
dio Philoſophiam complexus eſt, vt inter primos breui
tempore Philoſophos haberetur, & Xenocrati ma-
ſtro ſuccederet. Ecquam creditis mentem Polemonis
fuiſſe, Iuuenes? ecquem animum, cùm ſapientiſſimi
Xenocratis orationem audiens, ætatis ſuæ labem, &
ignominiam apud ſe cogitaret? Equidem eum credo
adeò commotum ac perturbatum amiſſi temporis re-
cordatione, vt nullo modo lachrymas continere potu-
rit, atque ita ſecum tacitè locutum: O miſeram &
infelicem vitam meam, qui florem ætatis fruſtrà con-
teram: qui non intelligam, has delicias & voluptates
breui dilapſuras: qui non æternitatis dulcedine com-
mouear! O triſte fatum: ſiquidem inglorius & in-
famis ſemper futurus ſum! Ergo Xenocrates in om-
nium ore verſabitur? Polemoni per ignauiam tem-
pus peribit? O ſi pueriles annos rectè collocaſſem! quo-
bus illi negocijs, quibus ineptijs per imprudentiam mi-
hi defluxere? Heu ſortem iniquam! nemo vnquam
mihi virtutis ſpeciem oſtendit, nemo deſidem ac iner-
tem excitauit, nemo ſcientiæ pulchritudinem aperuit:
ſic infelix pupillus, neglectus ab omnibus, rerum igna-
rus turpiter vixi. Sed iam valeant dilitiæ, valeant
conuiuia: Procul, ô procul abſint voluptates, quib. nul-
lum eſt cum virtute, commercium! En vnicum eſt
remedium: Toto impetu ferar ad labores: ardentius
ac vigilantiùs literarum ſtudia complectar: Nullum
me ocium, nullus ſomnus retardabit: non fames, non
ſitis, non frigus, non calor ab incepto ſtudio remoue-

bit.

bit. Ingens enim, vt video, gloria longo labori comitatur. O factum egregium, & ab omnibus vobis imitandum, Iuuenes! O summe Parens, & omnium conditor Deus, hæc vota mea, quæ tibi sanctissimè nuncupo, fac vt rata sint! Fac, vt hanc nobilissimorum adolescentium consociationem, virtutum omnium amore flagrare videam. O felicem ac beatam istam ætatem vestram, Iuuenes, si, relictis voluptatibus, & quæcunq; vobis infamiam possunt ac dedecus apportare, vnam honestatem, & literarum gloriam ac splendorem amplexi fueritis! Quod, nescio, qua permotus animi diuinatione, futurum confido.

CVM MEDIOLANO DISCESSVRVS ESset, ad Auditores suos.

ORATIO XVIII.

Diuturni laboris, Auditores, quo publicæ quidem vtilitatis gratia, sed inutili mihi diligentia, sum his temporibus vsus, in hac (vt verè dicam) non satis for-

fortunata ciuitate, finem hodiernus dies attulit: nam enim posthac ex hoc loco, more solito, me quisquam summos authores, Tullium ac Demosthenem interpretantem, atq; officio meo studiosè inuigilantem, forsan se vnquam audiet. Decretum est enim iampridem mihi, quod vos omnes iam audiuisse existimo, ciuitatem hanc derelinquere, sedesq; alias & vitæ conditiones inuestigare. Quamobrem meas partes esse duxi, vobis hac extrema oratione discessionis meæ causas aperire, simulque ostendere, quantum huic ciuitati debeam, quantumq; vos omnes colam ac obseruem. Ac primùm illud vos intelligere sanè peruelim, me non integerrimi Senatus nostri causa, qui me, quod quamsæpe cilè iudicare possit, & vehementer amat, & certatim beneficijs suis, & priuatis, & publicis, dignitatem meam amplificat, discedere statuisse: sed partim temporum iniuria, partim etiam quodam consilio meo. Nam cùm grauissima Senatus authoritate diligentissimè prouisum esset, vt non imperitos iuuentus nostra disciplinarum ferè omnium Professores haberet: eiusmodi tempora secuta sunt, vt non iam doctrinæ, sed rei militaris peritis præmia proponere, ac stipendia persoluere necesse sit, Itaque rectissimè illi facere videntur hoc tempore, qui de publicis præmijs desperantes, aut priuatam sibi viuendi rationem eligunt, aut patrijs sedibus derelictis, alias sibi conditiones & prouincias quærunt, vbi nec Bellonæ nec Martis nomen audiatur. Nam quis non videt, eò redactam esse ciuitatem nostram, vt non solùm iam ærarium omnino sit exhaustum: sed etiam omnium ferè priuatorum

domus

domus eximanitæ? Quòd nisi Deus aliquis, ex improuiso apparens (vt in Tragœdijs fieri solet) ab impendentibus miserijs eam liberet, vereor ne vehementiùs etiam affligatur. Sed hæc ille viderit, qui cœlestia maximè procurat, deinde in terris, quæ ad homines pertinent. Ego certè, si quis vnquam amator patriæ fuisse perhibetur, & qui pro ea, in qua natus & altus est, Republica non opes solùm ac fortunas, sed ipsam etiam si sit opus, vitam profundere paratus sit, vt eam ab imminentibus malis & calamitatibus liberet: ex eorum esse me numero profiteor, qui neq; Codro Athenensi, neq; Thebano Menecheo, neq; Romanis Decijs cessuri sint. Sed cùm eum esse Reip. statum videamus, vt nihil ei neq; nostra opera, neq; consilio prodesse, aut opitulari possimus: stultum est, in ea diutiùs commorari: cùm præsertim alibi commodiùs esse liceat: ac nō eam potiùs Teucri vocem vsurpare, quam Tullius ait ad omnem rationem accommodari posse: Patria est, vbicunq; est bene. Quod neq; malè dixisse videri potest Ouidius:

Cic. 1. Tus. in fine.

Tusc. Qu. 5. p. 249. a

Fastor. 1.

Omne solum forti patria est, vt piscibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.

Hinc illa diuini Socratis sapientissima responsio, qui, cùm aliquando, Cuiatem se esse diceret, interrogaretur: Mundanum se esse respondit. Totius enim (vt ait Tullius) mundi se incolam, & ciuem arbitrabatur. Quippe nouerat ille Philosophorum præstantissimus, Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum

Tusc. Qu. 5. pag. 249:

ratum esse à summo Deo, vt globum hunc totius mundi medium tueretur, quæ terra dicitur, non vt hanc aut illam tantùm partem tenere necessitas aliqua cogeret: sed vt omnes terrarum orbis regiones, si libuisset ei, peragrare posset. Itaq; multos accepimus, suam rem bene gessisse & publicam patria procul: multos, qui deminuæ tatem agerent, propterea fuisse improbatos. Nam qui nunquam à patria sua discedunt, ij profectò mihi spongijs ac lepadibus persimiles esse videntur: quæ, quoniam sentire creduntur, à quibusdam inter animalia numerari solent: sed cùm ab eo loco, cui semel natiuis testis adhæserint, auelluntur, non ita multò pòst intereunt. Quid ergo? Nonne Zoophytus ille (vt Aristoteles appellat) ij similimi sunt, qui nusquam locorum sciunt, nisi in patria sua, viuere? At qui longè aliter sensere Pythagoras, Plato, Democritus, Anaxagoras, alijq; pene innumerabiles Philosophi, qui ætatem suas in perpetua peregrinatione consumpserunt. Quid quòd ex nobilissimis Philosophis plurimos accepimus semel patriæ fines egressos, domum nunquam reuertisse? Ita Xenocrates, Crantor, Arcesilas, Lacides, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panetius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, infinitique alij. Quis igitur non hos imitari potiùs velit, quàm ipsos inertes ac desides, qui tanquam claudi sutores, aut cochleæ perpetuò domi sedent, neque vnquam agello sui fines egrediuntur? Hæc est mediusfidius res homine libero dignissima: Varias lustrare prouincias ac regiones, celebres inuisere ciuitates: multarum na-

Cic. 5. Tus.

tionum

tionum mores ac vitas ediſcere: ſinus portus, promonotoria, montes, flumina, maria, Cherſoneſos inſulas, loca denique, quæcunque ſunt inſignia, diligentiſſimè cognoſcere, Nihil enim hac prudentia fieri poteſt ornatius. Quare cùm Poëtarum ille coryphæus Homerus,

à quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pierijs ora rigantur aquis. Ouid. Amor lib. 3. Eleg. 8.

Vlyſſem ſuum ampliſſimis laudibus in cœlum ferre decreuiſſet, illũ à peregrinatione primò laudauit, vt plurimarum rerum peritiſſimum oſtenderet. Sic enim ab Vlyſſis nomine quod inſcripſit, Opus inchoauit:

Dic mihi Muſa virum, captæ poſt mœnia Troiæ, Od. 1, v. 1.
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Et meritò. Quid enim fuiſſet Vlyſſes, ſi Ithacam illam ſuam, ſaxulis aſperrimis inhærentem, tãquam nidum ſemper incoluiſſet? Quid Alexander Magnus, ſi Macedoniæ fines nunquam eſſet egreſſus? Quid Democritus, niſi obſcuriſſimam Thraciæ ciuitatem Abderam, patriam ſuam reliquiſſet? Quis Diogenem Cynicum agnouiſſet, ſi perpetuò Sinopem, in qua ciuitate natus erat, incoluiſſet? Anacharſis non in Scythia, ſed Athenis cognitus eſt. Tarquinius Priſcus non in patria ſua, ſed Romæ regnum adeptus eſt. Hercules etiam (vt ad fabulas veniamus) non Thebis Bœotijs, neque in Græcia tantùm, ſed in extremas Occidentis partes progreſſus, atq; erectis ibi duabus columnis ſempiternam gloriam ac diuinos honores acquiſiuit. Saturnus, à ſedibus paternis expulſus à filio, non tantùm regnum in Italia, ſed etiam diuinitatem adeptus eſt. Stultum

eſt

est omnino atque inane votum eorum, qui speram in perturbata patria, atque etiam in Tranquilla & quieta multùm excellere posse. Scitum est enim ac vulgatum illud ex Euangelio: Neminem esse Prophetam acceptum aut honoratum in patria. Nam qui ciues, tam benigni, tam comes, tam candidi reperiri possunt, quibus non illud Ephesiorum Elogium placeat, de quo scriptum esse dicitur apud Heraclitum Physicum, de Principe Ephesiorum Hermodoro: quem cùm ciuitate expellerent, ita locuti sunt: Nemo de nobis vnus excellat: sin quis extiterit: alio in loco, & apud alios sit. Ita profectò nemo est, qui non velit, ciues suos apud exteras nationes esse quàm florentissimos & celeberrimos: præsentes verò cùm in aliqua re videant excellere, vel eis inuident, vel aliquaratione conantur expellere. Clarissimus fuit Superior Africanus, dum in Hispania, dum in Africa, dum in Asia bellaret, dum Pœnorum impetum, Annibalis crudelitatem, Antiochi temeritatem à prouincijs Romanorũ, à mœnibus patrijs, à socijs atque amicis propulsaret: sed cùm Romæ in toties conseruata, & victorijs ac triumphis illustrata patria cœpisset immorari: plurimis calumnijs, & iniustissimis accusationibus exagitatus, furori tandem ciuium cessit, & in villa sua Linterni mortuus, sepulchro suo tale iussit epitaphium inscribi. Ingrata patria ne ossa quidem mea vetines. Quid Æmilianus Scipio huic virtute similis, rerum gestarum gloria maior, quo demum splendore, quanta dignitate, qua celebritate fuit in Africa, dum Carthaginem, Romani Imperij pertinacem amulam, expugna-

Lucæ 4.

Patria ingrata in ciues suos.

Cic. 5. Tus. pag. 248. b

Cic. 3. de Nat. Deor. Val. Max. lib. 5. ca. 3. De ingratis.

gnaret, ac penitus dirueret? quapost hæc virtutis admiratione, dum in Hispania Numantiam, decem annos obsessam à Romanis, radicitus euelleret? tamen domum reuersus, propinquorum suorum insidijs interfectus est. Tempus mehercule citiùs, quàm oratio deficeret, si de Themistocle, Alcibiade, Miltiade, Cimone, infinitisq; alijs commemorare velim; qui de patria sua benè, vel potiùs optimè meriti, tamen cùm apud exteras nationes summam gloriam & honorem adepti fuissent, à ciuibus suis maximas iniurias perpessi sunt. Sed nemo vestrum existimet, me hæc ea de causa recensere, vt aliquem à patriæ salute defendenda ac tutanda deterream: hoc enim omnino scelestum atq; impium esset, cùm vt nobilissimorum sententia Philosophorum est: Magis patriæ, quàm parentibus, ac nobismetipsis debeamus: verùm vt ostendam: Non debere quenquam nimiùm dolere aut cruciari, si dignitatem suam in patria diutiùs obtinere non possit: neque multùm iniquo ferre animo, cùm ab ea fuerit sibi recedendum. At dicet fortasse quispiam! Quid est, quòd tu de ciuibus tuis conqueraris. Quasi verò non ego iam initiò proposuerim, me hodie velle declarare, quantum ciuitati debeam. Tantùm enim abest, vt quicquam ego de Mediolanensibus viris conquerar; vt etiam eos omnes diuinis propè laudibus exornare cortendam, & tantum eis me debere libentissimè fatear & agnoscam, quantum persoluere difficilimum esse videatur. Neq; fuit alia causa, quæ me impelleret ad hanc habendam hodierno die coram vobis orationem; nisi vt hac extrema voce mea de hoc loco, quantum fa-

Vide Val. Max. lib. 5. c. 3. affatim hæc narrantem.

cultas mea ferret, testatum apud animos vestros re-
linquerem meam erga vos omnes incredibilem be-
neuolentiam, vel potiùs pietatem; vt Mediolanensium
ciuium, vt sapientissimi Senatus, vt Principum nostro-
rum immortalia erga me beneficia prædicarem, vt e-
mnium nobilium virorum propensam in me volunta-
tem extollerem. Nullus enim fuit iam multis annis (vt
arbitror) ex ordine meo, cui magis fauerit hæc vniuer-
sa ciuitas, quàm mihi. Cuius rei testes mihi sunt om-
nes, qui hæc aduertere solent. Cùm enim adhuc essem
ignotus plurimis, propterea quòd quinq; perpetuos an-
nos dedita opera studia mea occultaram, amplissimis
præmijs nonnulli me ciues iuuit arunt, vt filios suos e-
rudiendos susciperem. Quod cùm haud grauatè fecis-
sem, breui tempore tanta nobilissimorum adolescen-
um ad me multitudo confluxit, vt vix oneri sustinen-
do sufficere possem. Subsecutū est postea tempus, quo,
de amicorum consilio ac sententia, publicè legendi pro-
uinciam à Senatu petere sum aggressus. Dij bom,
quàm faciles in fauorem meum totius Senatus ani-
mos inueni! quàm paratos ad amplificandam digni-
tatem meam! quàm promptos ad mihi gratificandū;
qua comitate, quo vultu, qua hilaritate me excipie-
bant! Verè hoc iurare possum, Auditores, à nemine me
penitus eorum, qui publici consilij sunt authores, non
modò non repulsam tulisse; sed ne asperiore quidem
verbo me vnquam appellatum. Qua in re non media-
crem animo cœpi voluptatem: cùm longè maiorē apud
sapientes viros de me conceptā opinionem reperissem,
quàm vnquam non modò sperassem, sed ne cogitassem

qui-

quidem. Publicè cœpi legere Quid relictum est à Principibus nostris, quod ad augendā & illustrandam gloriam meam pertineret? Ipse nostri Senatus Princeps eximius, Philippus Saccus, quem amplitudinis & honoris causa nomino, iam senio confectus, multis ex ordine Senatorio comitantibus, orationi nostræ primæ interesse voluit, grauissimumq; mihi testimonium eruditionis ac doctrinæ, plurimis audientibus, reddidit: quod item alij multi doctissimi homines approbarunt. Quanta verò fuerit auditorum mihi semper frequentia; non opus est, vt ego commemorem: vos ipsi testes estis optimi. Quinetiam, quod mirum sit omnibus, cùm domi meæ discipulos exercerem in declamando, multi Senatores, Iurisconsulti, Medici, multi denique Principes ciuitatis aduentitabant; cùm vt pueros, quib. nihil fieri poterat festiuius, audirent, tum etiam, vt honori meo velificarentur. Quid, quòd etiam magnus hic noster Princeps Alphonsus Aualus, humanissimus & clementissimus: qui non minor apud Carolum Quintum Imperatorem Augustissimū habetur, quàm olim apud Alexandrum Macedonem, Ephestion, apud Scipionem Lælius, apud Octauium Augustum Agrippa, nos domum suam inuitauit, & apparatu munificentissimo ac regio cum discipulis nostris excepit, vt Terentianam Eunuchum eos agentes audiret. O miram tanti Principis modestiam! ô prædicandam facilitatem! His igitur tot ac tantis affectus honoribus, quid causæ est, cur non omnes ciues Mediolanenses, vniuersum ordinem Senatorium, omnes Principes nostros, totam denique ciuitatem vehementer amare, colere, celebra-

re debeam? Nam quicquid honoris, gloriæ, dignitatis, amplitudinis adolescentium Moderator assequi potest; id ego sine controuersia, vel inuidia teste, sum in hac vrbe consecutus. Nihil est quod amplius addi possit, ad meam in hac arte dignitatem. Itaq; nunc alia mens aspirat, & altiora concupiscit: maiora quædam tentare animus est. Video Grammaticorum, quæ summa est, si cum aliarum liberalium artium gloria conferatur, tenuissimam ac minimam esse gloriam, laborem verò plùs quàm Herculeos: video nullum esse genus vitæ magis molestum, ac turbulentum. Video denique non esse mihi tam sperandæ maior laus in hac arte, quàm verendum, ne, quam hactenus acquisiui, si quid de summo labore ac diligentia amisero, fortassis amittam. Cùm hoc vereor, tum illud etiam non mediocriter pertimesco, ne Respublica nostra propter hos belli tumultus, qui iampridem vicinis in regionibus excitantur, grauius perturbetur. Sed absint omnia mala. Bene omnino, benè, inquam, sperandum est: his præsertim tam egregijs & sapientibus Ducibus, ac Principibus nostris, qui nunquam cogitare cessant, & omni diligentia prouidere, qua ratione fieri possit, vt ne quid Respubl. detrimenti patiatur. Nos verò, quò maximus ardor mentis, & recta (vt opinor) ratio trahit, proficisci decreuimus, & sacrosancta Philosophiæ Legumque Christianorum adyta perscrutari: quo nullum aliud hominibus à Deis immortalibus maius donum concessum est. Hactenus Præceptoris partes sustinui: posthac me discipulum diuinarum atque humanarum rerum peritorum fore profiteor. Longè enim præclarus

clariùs esse statuo, Philosophum ac Theologum esse infimum, quàm Grammaticorum summum. Nam si hac in parte velim orationis vela tendere, & ostendere, quantò sit excellentior vel mediocris Theologiæ cognitio, quàm exquisita Grammaticarum doctrina: facilè probare possem omnibus consilium meum. Sed non faciam. Sinam plerosq; Collegas meos errare, & Suum vnicuiq; (quod dici solet) pulchrum esse. Non enim me latet, multos fore, qui me imprudentem, & nullius consilij virum appellent: qui cùm in hac ciuitate possim magno (vt ipsi putant) cum honore & lucro, more solito, versari; malim tamen longè minori cum dignitate alibi viuere. Ac me quidem, Auditores, si nihil hac hominum de me existimatione moueri dicam, mentiar profectò: non enim mediocriter me perturbat. Sed tamen nihil erit vnquam tam graue, quod ab hoc me proposito dimouere possit. Video enim quasi ea, quæ oculis cernuntur, hanc vitæ commutationem, & vtilissimam & honestissimam mihi futuram. Restat, vt, quoniam explicui vobis omnem consilij mei rationem, vos orem atque obtester, iucundissimi Auditores, vt quem ego semper erga vos animum habui, atq; etiam hoc tempore habeo, eundem erga me vos habeatis. En vestrum Maior agium, vobis totum deditum, vestri amantissimum, laudis vestræ cupidissimum, qui, vbicunq; fuerit, modestiam vestram, vestros amabiles mores, summum ingenium vestrum, probitatem, honestatem prædicabit. En qui vos, parentes vestros, fratres, propinquos, amicos, vestra denique omnia, magis quàm se, quàm vitam propriam amat. En qui per-

petuò paratus erit, quibuscunque rebus poterit, vobis gratificari, qui vestri memoriam summa cum beneuolentia semper retinebit, qui vos ad cœlum summis laudibus semper feret, qui vestram nobilitatem & morum integritatem magnis extollet præconijs. Vbicunque vester hic erit Maioragius, ibi quotidie Mediolanensium laudes personabunt. Vos spero ita gesturos, quemadmodum hactenus feciſtis, vt meis laudibus dignissimi esse videamini. Quod quidem facilimè præstabitis, si literarum gloriam, cuius maiores nostri semper appetentissimi fuerunt, etiam vos omni conatu vestro complexi fueritis. Illud in extrema orationis meæ parte de me vobis polliceor ac spondeo, Sit Deus ipse, qui cuncta videt, mihi testis, Me, quibuscunq; in regionibus fuero, Mediolanensium iuuentuti, quantum facultas mea tulerit, libentissimè fauturum: facturumq; vt omnes intelligant, me ciues meos præcipuo quodam amore, singulariq; beneuolentia prosequi.

DE

DE PRÆSTANTIA LITERARVM,

AD SENATVM Mediolanensem;

Quam primam habuit, quo tempore publicè docere cœpit.

ORATIO XIX.

CVm propter egregia Principum nostrorum instituta, & singularem in Rep. gubernanda diligentiam, vestramq; in primis fidem atq; integritatem, Patres Conscripti, bonis viris & industrijs spem dignitatis vberrimam, præmiaq; amplissima, & ad opes & ad magnificentiam proposita esse viderem: iys verò, qui se vitiorum illecebris & cupiditatem lenocinijs dedidissent, non omnē solùm honoris viā intercluſam, sed etiam dedecus & ignominiam subeundā esse maximam: eam mihi viuendi rationem ab ineunte ætate suscipiendam censui, vt in hac optima Rep. in ocio literario, quo nihil dulcius aut iucundius est, cum dignitate esse possem. Nihil enim omnino videbam, in quo ego maiori cū laude neruos omnes ætatis industriæq; meæ contenderā, aut in quo magis huic ciuitati prodesse possem

quàm si omnes vndiq; literarum & ingenuarum artium flosculos ex amœnissimis doctissimorum hominum viretis carpens atq; delibans, liberis vestris imperti-rem. Ac me quidem diu laborantem, præmiumq; laborum meorum nullum aliud, quàm laborem gloriamq; expetentem, diuturna spes ac expectatio non fefellit. Verè enim dicam: quamuis timidè, propterea quòd intueor coràm hæc lumina atq; ornamenta Reipublicæ. Sic à bonis omnibus coli, sic obseruari me video, vt multò plura, quàm ego non modò optare vnquam ausus fuissem, sed ne cogitare quidem potuissem, me consecutum esse existimem. Vos mihi certatim charissimos liberos, vnicam spem vestram, cùm primùm ludum peruissem, in disciplinam tradidistis: vos me incundissima consuetudine ac familiaritate vestra dignum censuistis: vos me, quamuis ætatem videretis, hoc amplissimo publicè legēdi munere libentissimè decorastis. Quare meritò ingratissimus esse videar, nisi istam vestram tam propensam in me voluntatem, tam mirabilem humanitatem, tam liberalem animum non vbique prædicem, non extollam, non omni studio meo dignum putem. Sed nihil est (mihi credite) P.C. quod quisquam de me, aut de mea posit industria dicere. Ego enim à pueritia & literis omnibus doctus, & voce doctissimi præceptoris eruditus, & sapientissimorum virorum exemplis admonitus, & ipsa denique natura impulsus, cùm primùm per ætatem, quid optimum atque expetendum esset, potui cognoscere, semper illud, quantum facultas mea tulit, amplecti studui: nec vllum vnquam per socordiam atque ignauiam tempus

bene gerendæ tempus amisi. Nunc verò cùm ad hanc honestissimam prouinciam vestra liberalitate atque beneficentia delectus accesserim, beneficium equidem maximum à vobis accepisse me fateor, cùm occasionem mihi pulcherrimam oblatam esse videam, pro multorum ciuium liberis, atque adeò tota huius ciuitatis iuuentute, & vigilandi, & laborandi. Itaque maiori mihi, quàm anteà, studio, maioreq; diligentia opus esse intelligo, vt multorum expectationi, quam de me concitaui, aliqua saltem ex parte respondeam. Vos verò, P. C. sic existimare, ac vobis ipsis persuadere debetis, Totam me profectus mei spem, honoris adiumentum, studiorum præsidium, in amplitudine vestra collocasse. Vobis fretus, hoc cum maximo vestro beneficio negocium suscepi. Vestra authoritas, virtus, integritas fecit, vt non vererer penè viribus meis impar onus aggredi: quod tamen non dubito, quin auxilio vestro facilè perlaturus sim. Vos enim vniuersos literarum cultores & ingenuarum artium Professores plurimùm obseruatis: vos studiosam omni conatu atque auxilio iuuentutem sublenatis: vos denique nullam penitus virtutem diutiùs iacere sustinetis. Et quoniam me tam erectis animis, summa cum attentione, auditis: vt ar ista benignitate vestra, & de Studiis humanitatis ac literarum, quibus vos, cùm in eis plurimùm excellatis, etiam filios vestros omni diligentia incumbere, & nihil aliud, quàm de illis cogitare desideratis, paulò dicam liberiùs: vt hos adolescentes, & qui nobiles sunt, ad maiorum suorum imitationem excitem, & qui ingenio & virtute nobilita-

tem consequi possunt, ad eam vitæ rationem, in qua multi homines noui & honore & gloria floruerunt, ingrediendam adhorter. Quod dum facio, quæso vos, P. C. quamuis hæc ad vos oratio parum, aut nihil pe-tiùs, pertinere videatur, tamen, quoniam me præ-sentia vestra decorare voluistis, bona cum venia au-diatis. Hæc enim res iuuentuti ad discendum præcla-rissima: neque mihi per difficilis ad docendum. Nam qui nihil in vita penitus expetendum putat, nisi quod sit cum laude atque dignitate coniunctum: cum summa ope niti decet, vt ea complectatur, quæ nisi vi-gilantes homines, nisi sobrij, nisi industrij, consequi non possunt: tantoque vehementiùs litterarum studijs incumbat, quantò ea præstantiora & vtiliora cæteris omnibus studijs esse planum ac manifestum est. Nam, per Deos immortales, quid humano ge-neri datum est à prouidentia maius aut clarius, quàm Studia literarum? quid honestius? quid dulcius? quid, quod magis excelsum ac sublimem animum de-ceat, quod magis à vitiorum sordibus, & effrenatis cupiditatibus possit hominum mentes ad virtutem ac honestatem subleuare? Ac mihi quidem, de his Studijs sæpiùs cogitanti ac pertractanti, venit in men-tem admirari summam Dei immortalis beneficentiam, & benignitatem incredibilem: qui primò nos hoc munere tam eximio literarum beare voluerit: de-inde cognitionis ac scientiæ desiderium nostris mentibus inspirarit. Neque enim vllus mortalium inueni-ri potest, qui naturæ ipsius instinctu scire non desi-deret. Vnde factum est, vt assidua mentis agitatio, quæ

nunquam quieſcit, tot ac tam varios diſciplinas atque ſcientias excogitauerit, quibus animum ſi quis ita excoluerit, vt excellat, quaſi Deus aliquis in terris, in ſumma omnium eſt admiratione, ab omnibus obſeruatur ac diligitur. Hæc eſt vna via (mihi credite) & laudis, & dignitatis, & honoris: Bonis artibus ac diſciplinis animum conformare: nullus eſt animi cultus ſanctior, nulla occupatio liberalior, nullum otium amœnius, nullum ſtudium præſtantius. Quis enim ignorat, Studio literarum fieri, vt ſcire poſſimus quid maiores noſtri, quid exteræ nationes, quid omnis antiquitas geſſerit, aut dixerit? Age verò, Nonne literis docemur perfectè loqui, politè dicere, veri ac falſi cognitionem habere: cœlum, maria, terras intelligentia permeare, totius naturæ vim & rerum cauſas cognoſcere, priuatas domos regere, Reſpublicas adminiſtrare, vitia propulſare, mores emendare, bellorum ſedare tempeſtatem, pacis ſeruare tranquillitatem? Proh Dij immortales! tantúmne fructum, tam amplum, tam immenſum, non toto pectore cupiamus? non remis (vt aiunt) veliſqúe petamus? non manibus pedibuſq; teneamus? Quod ingenium tam acre, tam ſublime, tam varium, tam fœcundum: quis tantus eloquentiæ torrens inueniri poteſt, qui literarij ſtudij præſtantiam atque optimarum artium amplitudinem poſſit oratione comprehendere? Obſecro vos per Deos immortales, P. C. date mihi hanc veniam, vt liceat orationi meæ in hoc quaſi dicendi campo, ſuo quodammodo iure parumper exultare. Atq; vtinam ea mihi facultas eſſet orationis, qua

rei

rei magnitudinem dicendo possem assequi! cùm ve
omnes hæc verba mea videam tam humaniter at di
ligenter audire. Vestra ista gloria, P.C. erumpet enim
ex me vera vox, & dicam audacter coram mãsuetis
mo Senatu, quod Sentio, vestra ista tam egregia
tam excellens, tam omni laude ferenda gloria, qua
proximè ad Deorum immortalium dignitatem acce
ditis, omnino iaceret in tenebris, neque diuinum illum
fulgorem suum explicare posset, nisi literarum lumen
accederet; tot facta memorabilia domi, militiæque
tot res gestæ, tot dimicationes, tot prælia, tot tri
phi, tot imperia, quæ maxima cum laude celebra
tur, iampridem in æternam obliuionem concessissent.
Quis ex tot egregijs & probatissimis viris, ex tot for
tissimis Imperatoribus, qui maiorum nostrorum æ
tate, & priscis illis temporibus floruerunt, hoc tempore
nosceretur, nisi sacratissima Literarum monumenta
extitissent? vanus esset omnis labor noster, vana spes
omnis posteritatis, vani conatus, vigiliæ, curæ, soli
citudines; occideret vnâ cum corpore rerum omni
um gestarum memoria, nulla laus esset hominum relicta
post cineres, nulla gloria, quam vnam mercedem la
borum ac periculorum suorum virtus maximè desi
derat. Literæ solæ rebus præclarè gestis immorta
tatem donant. Literæ, tanquam smaragdi pretiosis
simi, suauiter ac perpetuò virent. Literæ sunt fidelis
mæ vitæ duces, virtutum indagatrices, expultrices
vitiorum. Literæ sunt dominæ rerum, quibus perfun
demus, quibus afflictos consolamur, quibus cupidita
tes iracundiasq; restinguimus, quibus iuris, legum, re
bus

bium societate deuincimur: quarum maiestate omnia vitæ ac fortunæ ornamenta decorantur. Literæ sunt lumina veritatis, viuendi magistræ, nunciæ vetustatis. Iam verò Literæ in omnibus negocijs & rebus agendis, maximam solent hominibus afferre prudentiam, dum nobis ob oculos clarissimorum virorum exempla proponunt: dum inuestigandi veri desiderium inspirant, animi atque mentis agitationem excitant, omnium virtutum viam per scientias aperiunt. Nec minora nobis ad iusticiam adiumenta præbent: Religionem enim docent, pietatem in patriam, in parentes, in liberos, in amicos concordiam, fidem, constantiam, vitæ communionem ac societatem. Quid, ad animi magnitudinem quantas in nobis faces accendunt? vt labores ac pericula toleremus, vilium rerum contemptione, magnarum appetentia ducamur, placabilitatem, clementiam, abstinentiam complectamur. Ad modestiam autem ac temperantiam vel inuitos penè dixerim homines Literæ trahunt: cùm toties libidinum eradicationem inculcent, vigilantiam, sobrietatem, rerum omnium modum. Sed quò rapimur amore literarum? Prô Deûm atque hominum fidem! video Literis cœlum etiam ipsum aperiri, æternam animis nostris felicitatem condonari. Video per Literas tantam nobis industriam, tantum mẽtis acumen, tantam solertiam inspirari, vt cœlestes etiam globos cognitione penetremus, & quasdam ibi naturas ab omni mortalitate separatas esse intelligamus, quarum summa sit ratio sempiterna, quam eandem mentem sapientiamq; perfectam, & Deũ appellamus, omnium

rerum,

rerū, quæ sunt ei subiectæ, conditorem, procul a terris cœlestia maximè, deinde in terris ea, quæ ad homines pertinent: præterea nouē orbibus connexa esse omnia, quorum in infimo Luna per tristes tenebras, pauidæque vmbras feratur prorsus horrida & tenebricosa, nisi Phœbi radijs illustretur: cuius mutabilitate mutata nunc exurgant, nunc refluendo deprimantur. Supra Lunā æterna esse omnia: infra nihil, nisi mortale & caducū, præter animos nostros, qui Dei beneficio sunt immortales. Inter se coniuncta esse rerum elementa concordi discordia, quæ vicissim generentur & corrumpantur: ita vt vicissitudine quadā omnia renouentur. Nouimus per Literas, quæ sit ventorum, tonitruum, pluuiarum causa, quæ terrestrium, aquatilium, volatilium, amphibiorum animalium natura sit: quæ ratione fieri possit, vt certis momentis, atq; eo semper tempore tempora decedant: cur nunc annus odorum suauitate, qui afflantur è rosis ac floribus, & camporum amœnitate vernet, nunc maturos fructus afferat, nunc horrida tempestate teneatur. O iucunda naturæ contemplatio! O mira rerum spectacula! His ego rebus fruor, his delector, his perfruor.

Cicer. de Somn. Sci. 128. b.

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primis,
Inq; domos superas scandere cura fuit.

Ouid. 1. Fastor.

Nihil est in terris, nihil in mari, nihil in cœlo, nihil denique in vniuerso mundi ambitu, quod hominis animo non inuestigarint, mente non penetrarint, ingenio non comprehenderint, eloquentia non exornarint, & inclitis literarum monumentis non prædiderint. Itaque nemini dubium esse potest, quin

Lit-

Literæ sint omnium rerum pulcherrimarum quasi pretiosissimus quidam thesaurus. Nefas est (meo quidem iudicio) credere, Literas, quibus nihil excogitari diuinius potest, aliorum quàm Dei immortalis inuentum fuisse. Scribat mendax Græcia, quicquid voluerit: Fuisse quosdam olim in Aethiopia populos, qui mortalium primi literas inuenerint, à quibus eas Ægyptij, qui Æthiopum coloni fuisse dicuntur, postea sumpserint: moxque ab ijs: qui ex Thebis Ægyptiacis migrauere, in Phœniciam fuisse delatas: vnde Cadmus, Agenoris filius, earum vsum in Græciam deportarit, deinde successu temporis, Euandri matrem Nicostratam, quæ eadem & Carmenta dicta est, eas in Italiam aduexisse: Vel (quod apud Platonem legimus) Ægyptium quendam Dæmonem, nomine Theuth, literarum fuisse repertorem. Vt volet quisque accipiat: Ego tamen Iosephi, non ignobilis Historici, de hac re sententiam verissimam esse iudico. Is enim scriptum reliquit, Adami filium, nomine Sethum literarum vsum habuisse: & in duabus eum columnis, cœlestium rerum disciplinam, quam scilicet ab Adamo patre, didicerat conscripsisse. Quæ si vera est sentẽtia, cuinam dubium esse potest, quin literas à Deo primus omnium parens Adamus acceperit, & filium Sethum, quem post Abelis mortem vnicè diligebat, eas docuerit? Sunt igitur Literæ præstantissimum Deorum immortalium munus, quod eius rei gratia mortalibus traditum est, vt noster animus in hoc mortali corpore, tanquam obscuro quodam carcere penè violenter inclusus, splendorem illum pristinum diuini luminis recuperet,

In Phędro, vt supra in Orat. 11.

Antiquit. libr. 1. ca. 3.

cuperet, & rerum omnium diuinarum atque humanarum cognitionem acquirat. Ad hæc vt per literas, & quid superiori tempore gestum esset, recordemur, & quid in præsenti gerendum sit, intelligamus, & quid postea sit futurum, præuideamus, vt per literas omnis vitæ communitas contineatur: vt nullū commercium inter mortales, nullus contractus, non pax, non bellum, non inducię sine literis sanciantur. Sed minimè multa de re minimè dubia loquor. Quis est enim, qui nesciat, nihil esse tam excellens, tam sanctum, tam religiosum, quod meritò possit cum scientiarum cognitione comparari? Quod cùm agnouissent illi antiquissimi ac sapientissimi viri, quorum gloria dissseminata in orbis terræ memoriam sempiternam est, nullum vnquam tempus ab ijs studijs vacuum esse sinebant: & quò maiorem atque altiorem dignitatis gradum obtinebant, tantò ardentiùs ad percipiendas disciplinas inflammabantur: neque hoc solùm, sed etiam literatos omnes omni studio & honore prosequebantur. Nam cui non auditum est, Augustum Cæsarem, summum orbis terrarum Monarcham, summum etiam ingeniorum ac literarum fautorem extitisse, & liberalibus studijs adeò deditum, vt nullam omnino diem prætermitteret, in quo non aliquid aut legeret, aut componeret: qui, quamuis præclarè intelligeret res gestas suas immortales futuras, nec vllo modo posse ri posse, vt iniuria temporum nominis sui fama interciderat: nihilo tamen minùs etiam ex literis quærebat. Quid, huius pater ex adoptione Iulius Cæsar, nonne sicuti bellica gloria maiores omnes superasse,

ita

ita etiam eloquentiæ palmā arripuisse videtur, vt vni Ciceroni cesserit; cæteros omnes longo interuallo post se reliquit? Atque hunc etiam Doctorum hominum illa studiosum fuisse accepimus, vt omnes liberalium artium Professores ciuitate donauerit. Iam verò Scipiones, duo belli fulmina, Superiorem & Inferiorem Africanos, ambos Pœnorum & Hispanorum debellatores, ita doctrinæ cupidos fuisse legimus; at ille superior, cùm Africæ ruinam volueret, inter difficillimi belli molitiones & apparatus, bonarum artium studia non prætermitteret; sed Philosophorum scholas crepidatus in Sicilia frequentaret. Hic autem posterior Aemilianus, etiam Poeticæ studiosus fuisse fertur, vt Terentium Comicum, qui cùm familiarissimè, in conscribendis Comœdijs plurimum adiuuisse dicatur. Quid ergo Catones duos commemorē, Censorium & Vticensem, sapientissimos viros? quos constat senes admodum operam dedisse literis, & adeo flagrasse discendi cupiditate, vt ille superior Censorius, annum natus sextum & octogesimum, iuuenili tamen animo in discendo persisteret. Vticensis verò in ipsa curia, dum Senatus cogeretur, Græcos libros lectitabat. O verè sapientissimos homines, quos à colendis his literarum studijs, quæ omnium vtilissima esse intelligebant, nullum vnquam tempus abstraxerit, nullum negotium auocarit, non denique ætas iam ingrauescens retardarit! Age verò, quid de Anaxagora Philosopho dicemus? qui patrimonium amplissimum amicis suis largitus est, vt liberius Philosophiæ vacare posset. Quid Democritus Abderites, cuius pater

Val. Max. lib. 8. ca. 7.

adeò diues fuisse dicitur, vt epulum Xerxis Persarum regis exercitui dare potuerit, nonne discendi gratia, tot ac tantis spretis diuitiis, patriam deseruit, & diuersas mundi regiones peragrauit? Nec mehercule Megarensis Euclides silentio prætermittendus est, qui vsq; eò discendi cupiditate flagrauit, vt vel capitis periculo sumpta muliebri stola, noctu Athenas, quod Megarensibus erat capitale, commearet, vt philosophantem Socratem audiret. Quantus autem fuit Cleanthis ardor in literis? quanta industria? qui cum vsq; eò mendicitate premeretur vt ne cibi quidem facultatem peteret, nocturno tempore ad aquam, è puteis hauriendam, operam suam locabat, vt eo saltem quæstu inopiam sustentaret: vnde etiam vulgò Phreantles appellatus est: interdiu verò principem Stoicorum Zenonem audiebat. Quid verò dicam quantam obscurissimis hominibus, & humili loco natis gloriam afferre soleant Literæ? Quis Melesigenem Homerum, ex ignobili genere, imò potius ex adulterio, & incerto patre natum, agnosceret, nisi Poetica illa diuina per eum quasi quædam immortalitatis incunabula recepisset, & ad summum quasi perfectionis gradum processisset? Quis Ennium Rudium hominem natum sciret, nisi per doctrinam ad hominum existimationem dimanasset? quem superior Africanus adeò charum habuit, vt eum & ciuitate donárit, & sepulchro suo constitui iusserit. Quid Socratem, Phænareta matre obstetrice, & Sophroniſco patre marmorario natum, commemorem? qui non nisi propter singularem & admirandā Philosophiæ scientiā ad tantum gloriæ lumen euasit, vt mille

Val. Max. lib. 8. ca. 7.

lus vnquam fuerit, non solùm hominum consensu, sed etiam Apollinis oraculo sapientior. Euripidē verò quis ignorat non generis excellentia, sed doctrinæ vera nobilitate inclaruisse? cuius matrem Clito ferunt olera solitam fuisse venditare. Iā verò Demosthenis patrem cultrorum venditorem fuisse, memoriæ proditum est; & quid hoc Oratore nobilius, aut clarius? vt intelligi facilimè possit, Veram gloriam in literis & doctrina positam esse, nō in fumosis maiorum imaginibus. Quid Æschinem tympanistriæ filium, Demadem piscatorem, Anacharsim Tartarum, Æsopum, & Epictetum Stoicum, ambos seruos, Lucianum Syrum lapicidam? Quid innumerabiles alios commemorem? quorum genus obscurissimis ignobilitatis oppressum tenebris, fulgentissimo literarum splendore fuit illustratum. Sed neque tempus, neque latera, neque vox sufficeret; si minimam eorum partem, quorum in mentem exempla mihi veniunt, cōmemorare velim. Quare mihi modus potiùs, quàm copia, quærendus est: cùm præsertim huc me cursus orationis, non voluntas mea detulerit. Incredibile dictu est, P. C. quàm sæpe mecum admirer antiquorum hominum studium & diligentiam, in perquirendis & memoriæ prodendis disciplinis, quos non fames, non sitis, non frigus, non immensa pericula retrahebant: nihil erat tam arduum, nihil tam difficile, nihil tam periculosum, quod discendi desiderio non adirent: omnia loca peragrabant, omnes regiones, in quibus aliquid egregium & cognitione dignum percipere posse confidebant: quin etiam cibi somniq; immemores, totas sæpissimè noctes, totos dies in li-

Gel. Noct. Att. lib. 15. cap. 20. Val. Max. lib. 3. c. 4.

terarum ſtudijs conſumebant. Itaq; non mirum eſt, ſi tantum de ſe nomen, tantum decus, tantam memoriam reliquerunt. Hæc igitur, egregiæ indolis Adoleſcentes, imitamini, per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis: hæc ſunt excelſa, hæc magnifica, hæc fama celebrantur, hæc poſteritas propagantur. Eſt quidem his ſtudijs magna quædam difficultas, & labor præpoſitus: multo ſudore, multis vigilijs opus eſt, omittendæ ſunt voluptates, relinquenda ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuium. Verùm ſcitis eſt, honorem aut famam ſperare, cùm à laboribus, curis, à vigilijs animus abhorruerit. Tritiſſimum eſt vetuſtate prouerbium: Difficilia, quæ pulchra. Et

Propert. libr. 3. Eleg. 1.

verißimè Poëta quidam cecinit:

Non datur ad Muſas currere lata via.

Sed mihi omnis ratio eſt cum virtute, non cum deſidia, cum dignitate, non cum voluptate, cum ijs, qui patriæ, qui ſuis ciuibus, qui laudi, qui gloriæ, non qui ſomno, & conuiuijs, & delectationi natos arbitrantur. Quare moneo vos Adoleſcentes, atq; hoc meo iure præcipio, qui dignitatem, qui gloriam ſpectatis, vt hæc ſtudia literarum, tam ampla, tam diuina, tam immortalia, omni animi conatu, omni labore, omni induſtria complectamini. Nam quem generoſum animum labor, quamuis immenſus, poſſit ab his tantis præmijs remorari? Cæteros pudeat, vmbras hominum, inutilia terræ pondera: qui ſeipſos ita proſternunt atq; abijciunt, vt corporis tantùm voluptatibus inſeruientes, nihil vnquam eximium animo voluant: qui proviliſſima diuitiarum cœno, preciоſiſſimos virtutis vniones deſe-

linquunt: qui more pecudum, ventri, somno obedientes, fœdissimis libidinibus & ocio veterno so marcescunt: qui res fluxas ac fragiles, æternis & clarissimis viris relictis ac neglectis, persequuntur. Nos verò cogitemus, corpus hoc esse mortale, animi verò motus, & virtutis gloriam sempiternā: cogitemus, animum nos cum Dijs communem habere, corpus verò cum belluis, quanto q3 animus corpore præstantior est, tantò etiam animi ornamenta corporeis ornamentis antecellere. Valeant apud vos vota hominum illa, quæ multos vsurpare sæpissimè auditis: O si mihi repuerascere liceret, quo ardore animi literas amplexarer! Optimum est (aiunt) aliena frui insania: quod alij iam in prouectiori ætate non fecisse dolent, id vos in ista florenti iuuentute atq3 adolescentia præoccupate. Nulla sunt alia, (mihi credite) præter Literas, claræ virtutis rudimenta atq3 incunabula, quibus animi ad gloriæ cupiditatem accendantur: nihil est, in quo flores ætatis vestræ consumentes, vberiorem postea fructum demetatis. Quare agite, mecum Iuuenes, veræ nobilitatis amatores, tantum literarum fructum, tantam vtilitatem, tantam gloriam amplexamini: sapientissimorum hominum vestigijs insistite: ad immortalitatis arcem enitimini. Me vobis ducem, siue mauultis, comitem polliceor, atque offero. Non omnino pigrum, neque remissum hortatorem, sed eum, qui simul & strenui militis, & boni imperatoris officia possit exequi, me (vt spero) videbitis. Si vos cœpit vnquam vlla gloriæ atq3 æterni nominis cupiditas, si studium virtutis ac honoris vnquam oblectauit, si clarissimorum virorum exempla

vos commouent, si vos suis illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus: incumbite, per Deos immortales, sanctis & conculcatis voluptatibus, in hoc optimarum artium studium; quod & viuentibus vobis summos dignitatis gradus acquiret, & fato functis nominis vestri memoriam æternis monumentis consecrabit. Vos verò, P. C. & Ciues nobilissimi, egregiam prolem vestram (si quam habetis) huic gloriæ destinate; cum materno lacte, facite, vt bonarum quoque rerum scientiam complectatur. Nihil vnquam in vita feliciùs discitur, quàm quod ab ipsa statim infantia discitur: nec quicquam tenaciùs hæret, quàm quod rudibus annis semel perceptum est. Sed nihil opus est vos adhortari: cùm sponte vestra satis accensos esse videam. Quare finem dicendi faciam, si priùs vnum illud addidero, quod, vt spero, postea meliùs intelligetis: Nihil mihi magis esse in optatis, quàm vt liberis vestris, vt omnibus bonis, vt toti Reipubl. quantum ingenij facultas potest, maximè prosim. Ad hoc negocium amore patriæ, quam salute propria chariorem habeo, vobis ita decernentibus, accessi: nec me profectò res vlla potuisset ad tantum laborem impellere, præter hanc meam summam erga patriam charitatem. Quo munere omni studio & industria, vt, quàm fieri poterit optimè, fungar, diligentissimè prouidebo. Itaq; vos P. C. obsecro atque obtestor; quod tamen libentissimè vos facturos certum habeo, ne meum hunc animum tam promptum ac paratum ad huius Reipub. vtilitatem contemnatis: sed in dies magis atque magis, vt iam cœpistis, auctoritate vestra, fauore, gratia subleuetis. Ego his testibus, quos

qui præsentes sunt, omnibus illud de me polliceri non dubitabo, quantum humano consilio ac labore fieri potuerit, nihil me prætermissurum, quod quidem ad prouehendas bonas literas, & inflammandos ad disciplinas adolescentium animos pertinere videatur. Quòd si meæ diligentiæ vestra quoque autoritas suffragata fuerit: nullus erit (vt opinor) tam iniquus iudex, qui ex hac re plurimum huic nostræ ciuitati censeat vtilitatis accessurum.

DE GRAMMATICAE ARTIS EXCELLENTIA, ad Senatum Populumque Mediolanensem.

ORATIO XX.

SI quis est vestrum, Patres Conscripti, vosq; cæteri Ciues honestissimi, qui fortè miretur, me, qui iam duos ab hinc annos hanc publicè docendi atque humaniores literas profitendi prouinciam eo animo reli-

queram, vt ad Iuris ciuilis studium, quod omnium opinione putatur esse grauius atq; præstantius, me transferrem, subitò nunc immutata voluntate, ad eandem illam, quam antea reliqui, disciplinam profitendam descendere: is, si mei consilij causam rationemq; cognorit, profectò & id, quod facio, probabit, & hac nostra, quam à pueris secuti fueramus, liberali sanè scientia, nullam neq; vtiliorem humano generi, neque honestiorem existimabit. Nam cùm sextum (vt opinor) ab hinc annum in hac amplissima ciuitate nostra, cùm adhuc admodum essem adolescens, ex amicorum sententia ludum aperuissem, & non tantùm priuatim, sed etiam publicè Mediolanenses adolescentes erudire instituissem, vt nemo prorsus diligentiam aut assiduitatem meam desideraret: multumq; & diurni, & nocturni laboris, vt suscepto negocio planè satisfacerem, per annos quatuor suscepissem: secutum est deinde pernicioſum tempus illud, cùm hæc ciuitas propter assiduum bellum, quod à Carolo Quinto Cæsare inuictissimo per multos annos in Taurinis contra Gallos gestum est, grauissimis tributis atq; exactionibus assiduè vexaretur: quo quidem tempore nulla neq; publicè, neque priuatim erat studiorum cura aut gratia. Nam bello occupati Principes, literarum studia negligebant, neque debita Professoribus præmia reddebant. Ciues autem propter crebras tributorum exactiones, pecunijs exinaniti, etiam filiorum erudiendorum curam abijcere cogebantur: quinetiam in adolescentium animis (vt fit in eiusmodi temporib.) ardor ille discendi pristinus penè extinctus esse videbatur. Quæ cùm ego

ego neque obscura, neque incerta viderem, nullusque omnino tantorum finis malorum appareret, & iam me satis in hac Arte docendi nominis & gloriæ consecutum existimarem: cœpi de mutanda vitæ ratione cogitare, meq; totum Iuri ciuili perdiscendo tradere. Videbam enim me adhuc admodum esse iuuenem, ac penè adolescentem, quippe qui nondum octauum & vigesimum annum attigissem: itaq; sperabam, facilè posse, si Legum studia fuissem amplexus, breui tempore Iurisconsultus euadere. Quod meum consilium cùm amicis omnibus placuisset, & pleriq; me sponte mea satis incitatum impellerent: Ferrariam eo animo profectus sum, vt magnum illum Alciatum, ibi profitentem, audirem. Ac primò quidem Alciati copia atq; elegantia delectatus; deinde etiam ipsorum Iurisconsultorum veterum, quibus nihil purius aut politius inueniri potest, eloquentia captus, egregiam mihi operam in Iure præstaturus videbar. Sed postquam Bartolos, Alexandros, Paulos, Iasones voluere cœpissem; Dij boni! quem mihi metum, quem horrorem suis commentationibus incussérunt? quantas mihi, taliumverborum insolenti, tenebras offuderunt? Nihil enim in eis purum, nihil elegans, nihil candidum: sed omnia horrida, squalida, tenebricosa inueniebam. Quare factum est, vt animus meus, qui in Artis Oratoriæ iucunditate, & Poëticæ amœnitate, à lacte nutricis educatus antea fuerat, ab eo scientiæ genere penitus refugeret. Hac igitur spe destitutus, ad eam, quam antiqui illi sapientes maximè excoluerunt, diuinarum atq; humanarum rerum scientiam, animū intendere cœpi: quip-

pe qui præclarè intelligerem, vnam esse Philosophiam, quæ omnium laudatarum artium procreatrix ac regina meritò dici posit. Sed in hac etiam re multùm mea me fefellit opinio. Quam enim cultam ac nitidam me visurum esse scientiam existimabam, eam omnium maximè inquinatam atque sordidatam reperi. Tam enim fœdis atque insolentibus verbis, tam barbaris atque portentosis vocabulis Philosophi nostræ tempestatis vtuntur, vt paulò delicatiores aures sonum illum, tanquam Cyclopicum, omninò refugiant, ac nullo modo ferre possint. Quæ cùm omnia mihi præter spem atque opinionem euenissent, diutius mecum cœpi cogitare: Quænam esset huius rei causa, quòd duæ nobilissimæ omnium artes Iurisprudentia & Philosophia, tam incultæ, tam sordidæ viderentur. Tandem intellexi, eorum hominum, qui artes ipsas nostra & patrum nostrorum memoria professi sunt, imperitia atq; ignorantia hoc accidisse: qui cùm Grammaticas rationes neque scirent, neque percipere curarent, fœdissima barbarie libros omnes referserunt. Hæc enim, quæ Grammatica dicitur, vna scientia est, quæ cæteras omnes ingenuas artes, non solùm nutrire atque educare, sed etiam excolere atque exornare mirificè soleat: & quæ non tantùm reliquarum principium atque fundamentum est, verùm etiam condimentum suauissimum. Atque vt nullus cibus tam pretiosus inueniri potest, qui, si sale careat, aliquam non suauitatem habere videatur: ita nulla scientia, quæ Grammaticæ destituta, splendorem aliquem aut nitorem habere potest. Et quemadmodum præstantis-

simum

minum corpora, illota facie, & laceris inquinatisque vestibus, dignitatem omnem ac venustatem amittunt: ita Iurisprudentia & Philosophia, cæteræq; liberales scientiæ, nisi à Grammaticis subsidia sibi atque ornamenta petāt, vt omni lepore atque gratia careant necesse est. Cùm igitur nostri temporis Iurisconsultos & Philosophos non alia de causa tam ieiunos, tam sordidos, tam denique barbaros esse intelligerem, nisi quia Latinè loqui nunquam didicissent: eosq; ipsos, qui inter eos maximè barbari sunt, aduerterem suspicere tamen eum atque admirari, si quem sui ordinis paulò cultiùs atque elegantiùs loquentem audirent: statui nequaquam mihi famam inconstantiæ pertimescendam, si (quod plerique sapientes fecisse perhibentur) postquam errorem meum cognouissem, ad pristinam vitæ rationem iterum me conferrem, eamque artem repeterem atque colerem, in qua & à pueritia nutritus educatusque fuissem, & quæ mihi longo tempore magnos atque vberes fructus, neque parum honoris attulisset, & quæ denique cæteris omnibus ingenuis artibus maximum lumen atque ornamentum afferret. Cùm præsertim hac vna ratione maximam hominibus nostris vtilitatem afferre me posse intelligerem, vt percepta diligenter à me Grammatica, possint excultiores atque elegantiores ad Legum & Philosophiæ studia peruenire: vt tandem, si quo modo fieri potest, omni relicta barbarie, incipiant Iurisprudentes atque Philosophi purè ornateque dicere. Hoc sanè consilium meum bonis omnibus atque intelligentibus viris maximè probatum iri confido:

atque

atque illis præcipuè, qui politæ orationis suauitatem, & oratorium splendorem iam aliquo modo degustarunt. Sed ex omnibus (vt ego quidem arbitror) ij maximè nostram sententiam laudare, atq; in cœlum tollere non desistent, qui quantum vtilitatis ex hac arte, quantum decoris, quantum ornamenti, non ad eos tantùm, qui illam audiendo & legendo persequuntur, sed ad eos etiam, qui docendo exercent, peruenire cognouerint. Hæc autem ideò coram vobis P. C. cæterisque ciuibus commemoranda mihi censeo, non quia, vos hac nostra disputatione indigere, aut artem hanc in ista ætate magnopere curare oportere, existimem: sed ea potissimùm de causa, vt cùm luce clarius intellexeritis, multò referre plurimùm, vel potius caput esse omnium, à teneris annis optima iecisse fundamenta, resque Grammaticas diligentissimè percepisse, nobiscum ipsi vestra summa prudentia atq; sapientia gaudeatis, quit am prompti atque alacres pertos huius artis Professores, qui liberos vestros & totam uersam Mediolanensem iuuentutem in hoc humanitatis genere diligenter exerceant, & communi consilio conducere, & pro meritis benignè remunerari velitis. De qua re dum paulò fusius aliqua commentaro, quæso vos, pro incredibili humanitate vestra, vt rationi meæ patientes aures accommodetis. Ego quidem, Patres Conscripti, verissimum illud semper existimaui, quod omnium præstantissimus & acutissimus Philosophus, Aristoteles in Ethicis suis scriptum reliquit: In omnibus rebus expetendis tria esse præcipua, quæ considerari atq; expectari debeant. Primùm, vtrum

5. Top. 3.

eatis

eares, quam nobis amplectendam proponimus, honesta sit an turpis, deinde, vtrum vtilis an inutilis: postremò, vtrum iucunditatem in se aliquam habeat, an potiùs molesta atque odiosa sit. Quod si in vna re aliqua concurrant hæc omnia, vt eadem & honesta & vtilis, & iucunda: tum verò nemini dubium esse, quin ea maximè sit ab omnibus expetenda: tantoque etiam magis, quantò reliquis & honestior, & vtilior, & iucundior visa fuerit. Quæ cùm ita sint, quis est omnium, qui dubitare possit, quin ea, quæ ingenuarum Artium prima numeratur, quam à literarum nomine Grammaticam appellare maioribus nostris placuit, ambabus (quod aiunt) vlnis suscipienda atq; complectenda sit? Nam si honestatem quærimus, quid arte illa honestius excogitari potest, sine qua nihil certò sciri, nulla scientia rectè percipi potest? & quæ nisi cæteris liberalibus artibus, tanquam lumen aliquod præluceat, reliquæ omnes cæcæ penitus, obscuræ, incultæ atque obsoletæ reperiuntur? Si vero quis vtilitatem intuendam censeat, is cogitare debet, quicquid ex omni studiorum genere haberi solet vtilitatis, huic vni totum referri acceptum oportere: quæ nisi præcesserit, frustra quis in alijs studijs elaborabit. Vt enim substructionis atque nauigij fundamentum stabile atque firmum esse oportet, alioquin in ædificio quicquid superstructum fuerit, derepentè corruit, nauigium autem vitiato fundo facilè mergitur: Ita nemo præstans in aliqua liberali scientia potest euadere, nisi, priùs hac arte percepta, solidum ad reliquas gradum efficiat. Quòd si quis etiam iucunditatem requirat:

rat: is certè reperiet, omnem prorsus voluptatem atque oblectationem, quæ summa atque incredibilis ex ingenuis artibus, & ex authorum intelligentia, quod præcipuum Grammaticæ munus est, prouenire solet, ab hac vna scientia tanquam à perenni quodam fonte, manare. Sed quoniam nonnulli, nescio qui, omni malitia impulsi, nostram hanc artem quasi vilem & abiectam contemnere atque irridere solent: ideo sigillatim hæc omnia, quæ proposui, tractanda atque diligenter excutienda esse censeo: vt hæc, quæ in aliquorum animis iam penitus insedit atque inueterauit opinio, per me, si fieri potest, euellatur: & tandem omnes intelligant, quàm magna, quàm honesta, quàm diuina sit hæc scientia. Nam si nobilis ideo Medicina existimatur, quòd ægris corporibus aliquando priſtinam valetudinem restituat, si ideò Iurisprudentia laudatur, quòd lites dirimere, & de pecuniarijs controuersijs rectè disceptare doceat: quanti tandem ars illa existimanda est, quæ rudes adhuc & inchoatos, planèq; imperfectos puerorum animos ita instituit & informat, vt primò literarum figuras agnoscere, & syllabatim dictiones componere incipiant: deinde per gradus quosdam atque regulas progressi, pure & candidè loqui, atque emendatè scribere discant, postremò tantùm efficiant, vt excellentissimorum authorum scripta per se intelligere, atque omnem antiquitatis memoriam euoluere possint? Quæ cognitio quantum & honestatis & vtilitatis in se habeat, quis est adeò rerum ignarus, quin intelligat? Nam stultum maius malum, quàm ignorantia atque insipientia est,

est. quemadmodum in Legibus Platoni, atque in Tuſculanis Ciceroni, ſapientiſſimis viris placet, & ſi tantum inter eruditum hominem, & literarum ignarum intereſt, quantum inter viuentem & mortuum, quod Ariſtotelem reſpondiſſe dicunt: quid illa præſtantius atque honeſtius arte fieri poteſt, quæ nos à grauiſſimo omnium ignorantiæ malo liberat, & eruditionem, hoc eſt veram vitam, elargitur? Quod enim vnius hominis, non aliorum animantium, proprium eſt, vt animi ſenſa loquendo poſsit exprimere, in eo genus humanum hæc ſcientia tantopere adiuuat, vt id & prudenter & eleganter efficere poſsint. Ipſa verò per ſe bene loquendi prudentia tanti ſemper exiſtimata fuit, vt maximo quique ingenio viri, ſummo ſtudio atque labore eam aſſequi contenderint, & in alijs maiorem in modum ſuſpexerint, quin etiam permulti homines atque nationes, ob hanc vnam maximè cauſam, immortalem ſibi gloriam acquiſiuerint. Quis enim Atticorum leporem atque elegantiam non celebrat? vt etiam iam olim prouerbio iactentur Attici ſales, atque Attica eloquentia. Quid de Romanis hominibus loquar? qui quamuis ab infantia ſtatim Latini ſermonis, qui natiuus illis erat, ſplendorem imbiberent, eos tamen maximè ſuſpiciebant, qui politiùs atque candidiùs, quàm alij, loquerentur. Hinc illi Catuli, Lælij, Craſſi, Cornelij, quos etiam ipſæ Romanæ parens eloquentiæ Cicero, vel ob hanc vnam virtutem maximè celebrat, quòd bene loqui latinè putarentur. Quid enim in homine magis honeſtum atq; admirandum eſt, quàm ornata & polita oratio, & ſermo nulla Tuſcul. 3.

in re

in re rudis? Iam verò rectè scribendi ratio tanti facienda est, vt ea, quæ quasi præclari interpretis vice fungatur. Nulla enim ferè difficultas in eis intelligendis esse solet, quæ cum recta ratione scripta proponuntur. At contrà quas tenebras, quam obscuritatem, quas difficultates vitiosa scriptura legentibus obiecit? Quòd si iam à priscis illis temporibus rectam scribendi rationem librarij tenuissent, multò certè faciliorem in Authoribus interpretandis viam haberemus: nunc propter eorum imperitiam, qui clarissimarum hominum scripta describere consueuerant, in eas angustias deuenimus, vt plerosque locos ex Authoribus, tam Græcis quàm Latinis, nequaquam interpretari possimus, sed in eis diuinare nobis necesse sit. Age verò, quàm honestum illud est ac dignitatis plenum, tam varia Poëmatum genera cognoscere, tot exempla, tot historias ediscere, quibus & mores componere, & maximam in gerendis rebus acquirere prudentiam possis. Illa enim huius Artis officia præcipua sunt. Vt literarum vsum edoceat, linguam nostram exponat, scribendi rationem ostendat, Poëtas enarret, res antiquo tempore gestas aperiat. Itaque nemo sanæ mentis dubitare potest, quin non tantùm honesta sit, atque vtilis, sed etiam humanæ vitæ prorsus necessaria. Atque ideò, cùm omnes intelligant, tam summi, quàm infimi homines, quicunq; modò facultates habent, filios suos Magistris erudiendos tradunt, neq; ingenuum aut nobilem quemquam existimant, qui huius scientiæ rudis omnino reperiatur. Videntes nim atq; sentiunt, id quod maximè perspicuū est, ne-

minem

minem esse, qui disciplinam vllam aliam acquirere possit, nisi prius huic nostræ diligentem operam nauet. Neq; sanè quisquam est, quin intelligat, quantò quis in hac arte peritior fuerit, tantò ei faciliorem esse viã ad reliquas omnes percipiendas, quod si ex scientiarum cognitione, quod omnibus planum atq; manifestum est, magnæ prouenire solent vtilitates: à qua id artæ reliquæ acceperunt, vt humano generi vtiles esse possint, eam profectè cæterarum omnium vtilissimam vt iudicemus necesse est: cum præsertim hæc sola sine reliquis, plurimum tamen decoris atq; emolumenti afferre possit: at verò cæteræ omnes, huius opæ destitutæ, suum munus nullo modò tueri possunt. Cum igitur hæc vna scientia sit, quæ rudes animos ad humanitatem informet, quæ puerorum os tenerum atq; balbum figuret, quæ ad Auctorum intelligentiam inducat, quæ mores instituat, prudentiam acquirat; quæ nisi custos & moderatrix reliquis accesserit, aut nullo modo percipi possunt, aut certæ squalidæ, ieiunæ, incultæ, horridæ deniq; omni decori atq; gratia spoliatæ videntur: poterit ne cuiquam dubium esse, quin omnium vtilis atq; honesta sit? Quid, quod ex nulla penitus scientia tanta voluptas percipitur? Proh Dij immortales! quod ingenium, quæ facultas dicendi, quæ à quoquam excogitata oratio, minimam posset eius oblectationis partem exprimere, quæ ex legendis Authoribus, & euoluendis antiquorum scriptis emanare, atq; in animũ nostrum influere solet? Quid enim summorum Poetarum lectione iucundius? in quibus & clarorum hominum laudes & improborum vituperationes, belli togæq; præceptæ

vtilissima, & locorum amœnissimas descriptiones, & perturbati maris horrorem, & pugnarum horribilis strepitum, & ducum victorum per cruentas cades exultantem victoriam, & cadentium hominum eiulatum & principum virorum cum Deis congressus atq; colloquia fabulationes, & æquatam cœlo virtutem videre licet. Quis aut sonus? quæ harmonia? qui concentus, egregiorum carminum modulatione dulcior? Certè neque in diebus festis celebrandis, neq; in tempestiuis conuiuijs, neq; in alea, neq; in rusticanis amœnitatibus, neq; in amore vlla tanta oblectatio est, quanta in Poetarum scriptis euoluendis. Ipsa porrò rerum antiquarum cognitio, quæ legendis Historijs acquiritur, quanta tandem iucunditatis atq; voluptatis est? Mitto enim hoc loco dicere, quod verissimè Cicero pronunciauit, Historiam esse testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nunciam vetustatis; vt si quis nesciat, quid, antequam natus sit, acciderit, is semper esse puer videatur: quid antiquitatis commoratione dulcius? quid historia iucundius, in qua pura est, atq; illustris claritas: in qua distinctæ, ornatæ narrationes habentur, & regiones sæpenumero atq; pugnæ describuntur, interponuntur etiam contiones & cohortationes: nihil in ea falsi, nulla suspitio gratiæ, nulla simultatis; & exitu plerunq; tali concluditur, vt expleatur animus iucundissima lectionis voluptate. At fortasse insurget aliquis, qui ipsam quidē per se Grāmaticam, & honestam, & vtilem, & iucundam esse fateatur, atque ideo cognitionem eius liberalem, atq; ingenuam haberi: sed tamen eius professionem, vi-

2. de Orat.

ieiunam & tenuem, cauilletur : neque vllam penitus esse dicat in docenda Grammatica dignitatem. Huic igitur etiam opinioni, quantum est situm in nobis, occurrere tentemus. Neq; enim (vt plerique existimant) tam angustis finibus Grammatica continetur, vt nihil aliud, quàm rectè loquendi & scribendi scientiam complectatur : sed eius virtus tam latè patet, vt verear, ne, si eam exprimere voluero, permultos, qui nunc Grammaticorum nomine subnixi atque tumidi ambulant, cristas (quod aiunt) deponere cogam. Quæ si rectè reputare voluerint, intelligent profecto, tantùm abesse vt hoc tanto nomine digni sint : vt etiam absint ab eo quàm longissimè. Nam cùm reliquæ artes suis finibus, non sanè amplissimis, coerceantur: hæc vna tantùm extenditur, vt reliquas omnes complexa esse, neque vllis terminis circumscribi, sed omnem infinitatem peregrinari videatur. Quod etiam primo de Oratore Cicero fatetur, cùm esse Grammaticæ penè infinitam vim & materiam affirmet. Neque enim Poëtas tantùm atque Historicos legisse sufficit; sed omne scriptorum genus excutiendum illi est, qui se Grammaticum profiteri velit; aut Grammatici nomen relinquendum. Noscenda est omnis Historia; notanda sunt penè singula verba, quæ frequenter ius ab authoribus sumunt, percipienda est etiam Musica, vt de metris rhythmisque rectè possit iudicare. Quid de siderum ratione commemorem, quam si quis ignoret, quomodo, quæso, Poëtas intelliget, qui, vt alia prætermittam, toties ortu occasuque signorum in declarandis temporibus vtuntur?

Quint. Institit. Orat. lib. 1. ca. 5.

Quin etiam Philosophiæ non ignarum oportet esse Grammaticum: cùm in omni ferè carminum genere plurimi loci reperiantur, ex intima quæstionum natura alium subtilitate repetiti: iam nisi tanquam dispositos nomenque suum, Rhetorum figuras & ornamenta dicendi, Dialecticorum rationes & argumentandi nouerit, nullo modo poterit in Authoribus interpretandis integram præstare operam. Quid, quòd ex Medicina scientia, & Iurisprudentia multa inueniuntur à Poëtis & Historicis decerpta, quæ, si quis earum artium penitus ignarus & rudis sit, qua ratione recte poterit interpretari? Quis igitur eos ferat; qui hanc ætatem, vt tenuem ac ieiunam cauillantur: quæ (vt ait

Inst. Orat. lib. 1. ca. 5. *Quintilianus) nisi reliquis scientijs fundamenta soliditer iecerit, quicquid superstruxeris corruet: quæ necessaria pueris est, iucunda senibus, dulcis secretorum comes: & quæ vel sola omni studiorum genere, plus habeat operis, quàm ostentationis. Est igitur quiddam maius, quàm plerique homines opinentur, sese Grammaticum profiteri. Nam apud antiquos quicunque hoc nomine dignus habebatur, is de omni scriptorum genere iudicabat: vnde & Critici fuerunt appellati, quòd in discernendis aliorum scriptis, suo iudicio vterentur. Quo quidem ita seuerè sunt vsi veteres Gram-*

Lib. 1. ca 5. *matici Quintiliano teste, vt non versus modò censoria quadam virgula notare, & libros, qui falsò videbantur inscripti, tanquam subditicios submouere familia permiserint sibi, sed Auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Quid, quòd multi Grammatici reperti sunt, qui Philosophorum,*

Medi-

Medicorum, & Iurisconsultorum libros luculenter & ingeniosè sunt interpretatia? Nam Ioannes Grammaticus, cognomento Philoponus, multa Aristotelis Opera fideliter exponit. Didymus autem Alexandrinus, qui propter assiduum studium & indefessum laborem Adamantinus, & Chalcenterus appellatus fuit, & Zenodotus Cous, & Aristeus Rhodius Calcagninus, insignis Grammaticus, multos ex Iure ciuili Titulos, vnà cum ipsis Legibus, & nonnullos ex Aristotele libros interpretatus est. Quid, in Cælij Rhodigini lectionibus antiquis, an non omnium scientiarum quasi gemmulæ quædam elucent? Nos etiam anno superiore Paraphrasin in quatuor Aristotelis De Cælo libros, & duos De Generatione & Interitu confecimus: quæ propediem (vt spero) vulgabitur. At contrà maximos in alijs scientijs & facultatibus viros ab hac nostra professione non abhorruisse satis constat. Si quis enim veterum monumenta scrutari velit, inueniet profectò summos illos Philosophos, Aristotelem, Theophrastum, Theodectem, Stoicos plerosque in hac arte docenda atque tradenda se frequenter exercuisse. Quid, quòd Iulium Cæsarem, summum illum Imperatorem, qui totum terrarum orbem suis victorijs illustrauit, cuius animi sublimitas (vt ait Plinius) omnium capax fuit quæ cœlo continentur, accepimus, non solùm de hac arte copiosè conscripsisse, sed etiam ad minutissimas eius partes excutiendas demisisse? Hoc idem P. Nigidius, M. Varro, M. Messala, C. Plinius, multique alij præterea ex ipsa nobilitate Romana clarissimi viri fecere. Quæ res apertissimè declarat,

Nat. Hist. lib. 7. c. 25.

rat, hanc professionem semper habitam fuisse liberalem: cùm præsertim à priscis illis temporibus inter ingenuarum artium professores, etiam Grammaticos fuisse connumeratos satis constet. Nam illos etiam accepimus, qui primi Romæ per huius artis professionem ad hominum cognitionem famamq; peruenerunt, Seruium, Nicanorem, Aurelium, Orbilium, Antonium Gniphonem, magno in honore habitos. Proditum enim est, ipsum etiam Ciceronem, cùm iam in foro & causis floreret, & omnium Oratorum ætatis suæ princeps haberetur, nobilissimoq; Prætura munere fungeretur, ad Antonium Gniphonem audiendum frequenter accessisse, & præterea Curtij Niciæ consuetudine mirificè delectari solitum. Nam Crates Mallotes, qui Grammaticæ studium primus in orbem intulit, Aristarchi æqualis, nobilissimus sanè fuit; quippe qui Attali regis Legatus antea fuerat. Verrius autem Flaccus tanta beneuolentia populi Romani docuit, ut non aliter, atque Imperator quispiam egregius, in foro statuam meruerit. Sed quid singulos commemoro? cùm vniuersos simul Grammaticos non semel à summis Imperatoribus atque Principibus honestatos fuisse legamus? Nam Iulius Cæsar, vir omni laudum genere cumulatus, cùm iam in Republica Princeps & Monarchicus atque Dictator esset, Grammaticos omnes, qui eo tempore Romæ profitebantur, ciuitate donauit, cuius liberalitatem imitati Seuerus & Antonius, omnes, qui hanc artem docerent, à publicis muneribus immunes ac liberos esse voluerunt. Sed longè maiorem Grammaticis honorem & vtilitatem Antonius il-

Prius

Pius, Principum omnium dignissimus, exhibuit, qui omnes, vbicunque docerent, ab omnibus tributis atque exactionibus prorsus immunes esse Constitutione sua pulcherrima atque sanctissima stabiliuit. Age verò, quantus demum honor ille existimandus est, quo nostrum ordinem diuinus Imperator Constantinus affecit? qui non solùm res nostras atq; fortunas immunes ac liberas, sed etiam nos à priuatis, quasi castos Musarum sacerdotes, maximè ijs, qui nos læderent, proposita pœna, prorsus inuiolatos esse voluit: iussit enim eos arbitrio iudicis puniri, à quibus nostri ordinis homines aliquo modo vexati fuissent. Quid, quòd M. Antonius Imperator, qui Philosophus cognomento dictus est, Frontonem Præceptorem suum Consulem creauit? Quid, an non eandem Consulatus dignitatem Gratianus Ausonio Burdegalensi Magistro suo tradidit? At fortasse dicet aliquis! Hæc quidem antiquis illis temporibus accidisse, nostro verò tempore paruo esse in honore Grammaticos. Verùm si quis diligenter aduertat, eos profectò intelliget, qui hoc nomine digni sunt, nō minoris hoc tempore fieri, quàm olim apud veteres habiti sint. Vt enim Hadrianum prætermittam, quem non ita pridem Carolus Imperator ex obscuro loco natum ad Pontificatus Maximi dignitatem euexit: vt nihil de Politiano, Calderino, Beroaldo, Cælio commemorem, qui patrum nostrorum memória maximè floruerunt: quid Baptista Egnatio nostro tempore clarius, quem, annos iam amplius quadraginta publicè docentem, summis honoribus Venetorum Respublica persecuta est? Quis Romu-

lum Amaseum, eloquentissimum Grammaticum, nos celebrat, quem nuper Ferneſius Cardinalis, magno propoſitu & ad opes, & ad dignitatem præmijs, Romam accerſiuit? Quid de Lazaro Bonamico dicam? ad quem, Patauij profitentem, non tantùm ex tota Italia, ſed etiam ex Germania, cæterisq; ex gentibus magni concurſus fiunt. Quid Alexandrum Guarinum commemorem? qui quamuis non valdè Grammaticus ſit, tamen ab Hercule, ſecundo Ferrarienſium Principe, magnos honores atque dignitates quotidie conſequitur: nam & Principis Conſiliarius eſt, & honeſtis plerunque legationibus fungitur. Nefas eſſet profectò, in hac commemorationis parte Riccium meum prætermittere, qui cùm vir eiuſmodi ſit, vt quauis amplißima dignitate dignus eſſe videatur, ab eodem Principe Ferrarienſium, non quidem pro meritis ample, ſed tamen honeſto ſtipendio ſuſceptus, cum tota familia ſuſtentatur. Noſtrum etiam Collegam Othonem Lupanum, quem præſentem aſtare video, virum certè non tantùm in Grammaticis, ſed etiam in alijs ſcientijs peritißimum, duos ab hinc annos, quamuis ob bellorum tumultus admodum concuſſa eſſet Reſpublica, tamen à Senatu noſtro ſcimus omnes ſatis amplo ſtipendio conductum fuiſſe, qui in hac ciuitate literas humaniores profiteretur. De me autem nihil opus eſt dicere, quem vir integerrimus Philippus Sacrus, Senatus Princeps, itemq; ſanctißimus Antiſtes Angelus Arcimboldius, Nouarienſis Epiſcopus, quidus Gymnaſio publico præfecti ſunt, ex totius Ordinis Senatorij conſenſu, penè inuitum ac repugnantem ad

huma

hunc ampliſsimum (vt ego quidem iudico) dignitatis gradum euexerunt. Sed quid exemplis opus eſt? cum in omnibus ferè ciuitatibus magno precio virtutem hanc exiſtimari videamus? Proh Deûm atque hominum fidem! Erítne quiſquam tam rerum ignarus, tam amens, tam nullius neque conſilij, neque intelligentiæ, qui Grammaticæ Profeſsionem improbare audeat? quæ nos ab ignorantiæ tenebris prima liberat? quæ nos ab immani atque agreſti vitæ ad ciuilem cultum, atque humanitatem reuocat? quæ mentes atq; animos noſtros ad omnem virtutem atque honeſtam actionem conformat? Quod enim vitæ genus? quæ conditio? quæ viuendi ratio reperitur, cui non vtilis maximè Grammatica ſit? Nam ſiue militiam exerceas, ſiue mercaturam ſequaris, ſiue teipſum demiſeris: vt officinæ aliquæ contentus ſis; hæc te ſemper ſcientia plurimùm adiuuabit; quòd ſi maiora quædam aggredi volueris, & ad res gerendas, aut Rempubl. adminiſtrandam animum tuum applicueris, non tantùm tibi vtilis, ſed etiam neceſſaria erit iſta ſcientia. Quam enim Reipublicæ partem literarũ omnium expers homo ſuſtinere poteſt? Quid de ſcientijs illis dicam, ad quas aſpirare omnes intelligo, Rhetorica, Dialectica, Iuriſprudentia, Medicina: quæ, ſi Grammatica non ſit, nullæ prorſus eſſe poſſunt? Itaq; mihi libet exclamare: O vitæ Grammatica dux, ſcientiarum omnium indagatrix, expultrixqúe ignorantiæ! quàm enim ſine te obſcura, quàm rudis, quàm imperfecta, quàm denique calamitoſa eſſet hominum vita! Te certè, quoniam pro dignitate nulla eſt tanta di-

cendi vis, tantaq; copia, quæ satis laudare atq; extollere possit, te (inquam) ante omnes ingenuas artes, quam humano generi maximè propitiam atq; salutarem Deam, tota mente atque animo semper colemus, & venerabimur. Tu nostros animos ex altissimo domicilio depressos, atque istis corporis compagibus adligatos, erudiendos prima suscipis. Tu nos ad humanitatem princeps informas, tu linguam nostram blæsam & balbutientem, ad purè loquendum primæ reddis. Tu literas informare, atq; scriptis mandare, quæcunque mente concipimus, sola condocefacere potes. Tu igitur sola totum terrarum orbem regis, ac gubernas. Quis enim sine te Iurisconsultus, quis Medicus, quis Mathematicus, quis Reipublicæ administrator, quis Princeps, quis Legislator? an non omnia prorsus in tenebris iacerent, nisi tuum lumen accederet? Tu diuino fulgore cuncta collustras, tu mores hominum componis, tu vitæ rationem instituis: tu priuatã domum custodire, tu ciuitatem regere doces: per te animi sensa dicendo exprimimus, verum à falso distinguimus, res obscuras atque ab ipsa natura inuolutas indagamus. Tu nobis aditum in cœlum patefacis: per te deniq; cœlum, terras, maria, cognitione comprehendimus. O diuina atq; admirabilis scientia! O mentis nostræ clarissimum lumen! O vitæ humanæ præcipua moderatrix! Tu mihi magistra, tu patrona, tu domina, dum hoc cælo fruar, erus sempiterna. Agite ergo generosi. Vos autem Iuuenes appello, quos hæc omnium præstantissima doctrina numine afflauit suo: per Deos immortales animum erigite, totis remis velisq; ad hanc contem-

tendite, quæ auro splendidior, margaritis preciosior, æthere ipso clarior est. Quod ita facilimè facietis, si vos famæ, si gloriæ, si dignitatis aliqua cura ceperit. Nihil enim est, quod maiores vobis honores, maius emolumentum, maiorem celebritatem afferre possit, quàm si vos ita literarum studijs dederitis, vt nullum frustrà tempus conteratis. En aperta vobis via est: Me socium aut comitem assumite: Non vos somnus, non voluptas, non frigus, non calor ab hoc tam præclaro incepto retrahat: non vos labor vllus absterreat. Animi vestri præstantiam atq; pulchritudinem intuemini, quam nisi hac doctrina excolueritis, omnino prorsus euanescet. Hæc vna dignitatis atque nobilitatis via est. Non enim ij nobiles existimandi sunt, qui preciosis atque auratis vestibus induuntur, & qui aurea monilia collo circumponunt: sed qui virtute sua se suosq; pro virili parte conantur illustrare. Ad quam quoniam hæc nostra, quam profitemur, Scientia vos facilimè perducere potest: ita mentem atque animum ad eam percipiendam applicare debetis, vt nihil sit, quod ea vos magis moueat atq; delectet. Ita enim facilè fiet, vt vobis maximam gloriam ac dignitatem, parentibus vestris solatium & animi quietem, & patriæ decus & ornamentum, inimicis mœrorem, amicis lætitiam comparetis. Reliquum est, P.C. vosq; cæteri Ciues nobilissimi, qui me vestra præsentia tam benignè decorare, & tam attentè audire voluistis: vt, non quas debeo, quod penè esset infinitum, sed quas possum, gratias agam, cùm præsertim nulla ratione referre possim: nisi fortasse vos, (vt Parentes patriæ decet) quæ

in

in Rempublicam beneficia cõferuntur, in vos ipsos collata existimetis. Hoc enim pacto me omni cura, studio, diligentia polliceor effecturum, vt erudiendu assiduè iuuenibus, & officio meo diligenter & integrè præstando, vobis & cumulatè satisfactum, & abunde relatam fuisse gratiam à me iudicetis.

DE VARIETATE.

ORATIO XXI.

SI quantum animi mei sensus celeres & varij sunt ad cogitandum, tantum etiam vberes & copiosi essent ad explicandum: sperarem profectò, quæ mihi de varietate dicenda proposui, non minùs eleganti politaq; oratione complecti, quàm eadem suaui iucundaq; cogitatione concepi. Sed tam veloci præcipitiq; cursu mens mea per infinitatē naturæ summa cum iucunditate peregrinatur, vt vix ea volando satis aduertere possit, in quibus eius interpres oratio linguaq; versatur. Quòd nisi iucundissimus conspectus vester concitatæ menti meæ quasi frenos iniiceret, sine dubio iucundæ hæc, & maximè varia, quam hodie sum

sum habiturus, oratio mihi tota excideret. Itaque ne fortè animus tanta rerum varietate distractus, à proposito longiùs euagetur, facite quæso, vt mihi silentium & audientia vestra suffragetur. Non enim de re vulgari aut inani, sed de ipsa beatitudine verba facturus adueni; quam res omnes, tanquam extremum bonorum, & finem suum expetunt. De qua cùm tam varias ac multiplices inter se hominum esse opiniones videam, per longo sanè tempore mecum hæsitaui, quæ potißimùm ex tam diuersis opinionibus mihi sequenda esse videretur, aut cui sententiæ, tanquam certiori, adhærescerem. Alios enim esse intelligebam, qui finem bonorum esse dicerent, Secundum naturam viuere, sic affectum, vt optimè affici posßit, ad naturamque accommodatißimè, quam opinionem, à Stoicis acceptam, Carneades acutißimè defendebat: alios, qui ita sentirent, Nihil esse bonum præter scientiam, quod Herillus affirmabat: alios, qui securitatem, quæ est animi tranquillitas, quam appellant εὐθυμίαν, tanquam summum bonum amplecterentur, vt Democritus: alios, qui ad corporis & animi voluptatem omnia referrent: vt Cyrenaici atque Epicurei: alios, qui doloris vacuitatem extremum felicitatis esse statuerent, vt Hieronymus Rhodius: fuerunt etiam, qui voluptatem censerent ad honestatem adiungi posse, vt summa felicitas existeret, quod Calliphoni Dinomachoq; placuit. Sed qui meliùs sensisse videntur, ij corporis & externa bona, cum honestate copulata, summam efficere beatitudinem censuerunt, vt Academici atq; Peripatetici. Ego verò tandem post frequentes & din-

Cic. 5. de Finib. has opiniones recenset.

diuturnas animi agitationes, diligentissimè perspectis & cognitis aliorum opinionibus, in eam sententiam discessi, vt existimem, Nihil aliud esse finem bonorum ac beatitudinem, quàm summam vitæ iucunditatem in Varietate collocatam. Quæ mea sententia ne fortasse cuiquam vestrum aut mira propter nouitatem, aut absurda propter discrepantiam ab aliis, esse videatur: rationes & argumenta, quæ me in eam quasi inuitum & repugnantem pertraxerunt, breuiter explicare constitui. Vos quæso, diligenter attendite. Rem enim peruulgatam illam quidem, & ab omnibus ferè cognitam: sed tamen (quod mirum est) à paucis animaduersam, & adhuc à nemine pene huc modò tractatam audietis. Ac primùm quidem nullum esse hominem tam alienum à veritate, tamq; auersum à communi sensu arbitror, quin illud mihi concedendum esse statuat: A iucunditate beatitudinem separari nullo modo posse, cui tanquam pars quædam siue species suo generi, subiecta est, vt nihil sit beatum, quod idem non etiam iucundum sit. Nam si quis enim vitæ iucunditatem auferat, quæ beatitudo vel pars beatitudinis poterit existere? Quis est, qui beatus appellari possit, si vitam agat prorsus iucundam? Quænam in miseriis & calamitatibus vita dici beata potest? Valeant enim hac in parte Stoici, quæ minutis quibusdam & contortis conclusiunculis asserunt, Etiam in tormentis & cruciatibus virum sapientem omnino beatum esse: qui dicunt, Etiam in Phalaridis taurum beatam vitam esse descensuram. Meo quidem iudicio longè melius ille Terentianus Pamphilus:

Ter. Andr. Act. 5. Sc. 5

lus: qui Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitratur, quòd voluptates eorum propriæ sunt. Nam si beatitudo posset in calamitatib. & miseriis aliquando reperiri: certè Dei immortales, qui perpetuò beati sunt, & æuo sempiterno perfruuntur, interdum in miseriis esse vellent: quod quàm absurdum sit, quis est, qui non intelligat? Exulant enim à Deorum vita calamitates omnes atque miseriæ. Neque ibi potest vllus esse dolor aut tristitia, vbi sempiterna iucunditas est & lætitia. Maneat igitur hoc fixum, & probè stabilitum: Non posse beatitudinem à iucunditate separari. Quòd si probare potuerimus, Iucunditatem omnem esse in Varietate constitutam: nimirum id erit perfectum & conclusum, quod initio nobis placere diximus: Nihil aliud esse beatitudinem ac summum bonum, quàm vitæ iucunditatem in Varietate positam. Quo igitur potissimùm argumento probari potest, Nihil esse iucundum, quod non ipsa Varietate commendetur? Satis hoc quidem apertè declaratur eo, quòd Omnibus in rebus (vt etiam Orator testatur) similitudo est satietatis mater. Nihil enim tam iucundum est aut suaue, quod, si semper simile sit, & nihil vnquam varietur, non illico molestiam afferat. Idem semper cibus nauseam creat: eadem semper oratio sensum auriũ non mediocriter vexat. Quid in reliquis rebus? nonne cùm eadẽ sæpiùs iterantur, maximũ semper secum afferre fastidium solent. Vnde tritum illud est sermone prouerbium, Crambe bis posita, mors. At sine vlla dubitatione remota est omnis à beatitudine molestia: cùm beatus ille dicatur, qui sit omnibus cumu-

Cic. 1. de Iuuent.

cumulatus, nullo adiuncto malo. Quare iucunditatem eam, quæ beatitudo nominatur, in Varietate positam esse necesse est. Quam rem Mimus etiam ille permagatus affirmat:

Nihil iucundum, nisi quod commendat varietas.

Cap. 11. Et Aristoteles primo Rhetoricorum, his quidem verbis: Et commutatio res est iucunda. Nam commutatio naturæ accommodatum est. Quod enim semper idem est, in exuperantiam transit, & præsentem habitum corrumpit. Vnde bene dictum est: Omnium rerum vicissitudo iucunda. Est autem Varietas (sicut ait Cicero) Latinum verbum, idq; propriè quidem in dispariibus coloribus dicitur, sed transfertur in multa dispar ria. Varium poêma, varia oratio, varij mores, varia fortuna: voluptas etiam varia dici solet, cùm percipitur è multis dissimilibus rebus. Atque hæc quidem est illa Varietas, de qua nos loquimur, qua semper cum voluptate iucunditateq; percipitur: in qua posita est beata vita, non tam rationibus, quæ sermissemq; sunt atque apertissimæ, quàm etiam exemplis penè infinitis & euidentibus ac manifestis intelligi potest. Nam Deus ipse beatus & æternus ita statuisse perspicitur, vt propter Varietatem Naturam non tantùm sensus omnes exteriores, visum, auditum, odoratum, gustatum, tactum, sed etiam interiores, communem sensum, visionem, cogitationem, memoriam, mentem denique ipsam mirificè delectet: atque à rebus hisce caducis & fragilibus, quæ maximè variæ sunt, ad æternas illas & immortales, quæ nullo sensu corporis, sed tantùm intelligentia comprehenduntur, omnes cogitationes

De Finib. 2

nes nostras subducat: vt animus tandem hoc mortali corpore solutus, & quasi carcere cœco liberatus, in cœlum subuolans, in illa diuinarum atq; immortalium rerum varietate purissima cũ voluptate conquiescat. Hac ductus ratione Plato, censuit oculos nobis ad Dei cognitionem esse duces optimos, qui cùm opera Dei aspectabilia, tam pulchra, tamq; varia conspiciunt, diuinam sapientiam & potestatem admirati, cogitant quantò pulchrior, quantoq; magis varia sit illa ratio perfecta, mensq; sempiterna, quæ procurat cœlestia maximè, deinde in terris ea, quæ ad homines pertinẽt. Quid est enim in hoc toto mundi complexu, atq; in omni rerum vniuersitate, quod non à rerum omnium conditore Deo varietate quadam distinctum ac perpolitum sit. Nam si libet, ab ipsa prima causa bonorum omnium procuratrice principium ducamus, & eius opera præstantissima quasi per transennam breuiter percurramus. Sic enim facilè intelligemus, non tantum in procreatis rebus, sed etiam in ipso Deo quandam esse varietatẽ, in qua sit omnis fœlicitas atq; beatitudo. Tradunt enim sanctissimi religionis interpretes: Vnum quidem esse Deum, sed in tres tamen personas distinctum, vt vna omnino sit diuina natura, variæ verò personæ. Patrem ipsum vniuersitatis aiunt esse; qui Mentem siue Filium vnicum ab æterno genuit, atq; omnes illi perfectiones attribuit, in eoq; tanquam in horto quodã amœnissimo, maximè varias ac diuersas & ab omni parte perfectas rerum omnium ideas ac species quasi conseuit: vnde Platonici, non sine maxima ratione commoti: Mentem illam Iouis Paradisum

appellare consueuerunt. Filium autem dicunt eŭ, qui genitus à patre, sapientiam omnem ab initio secum habuit, vt hæc omnia, quæ sunt in vniuersa mundi machina, ad idearum exemplar & pulchritudinem variaret, atq; conformaret: in quibus omnibus quanta sit varietas, nemo est, nisi planè cæcus, quin apertissimè videat. Spiritum deniq; tradunt esse, qui res omnes à diuina illa Mente procreatas, fouet, alit, auget, & per
Aen. 6. omnes mundi partes infusus, totam (vt ait Poeta) molem agitat, & magno se corpore miscet: quem ipsum mundi esse animum ac vitam rectissimè Platonici censuerunt. Porrò Deus ipse varijs etiam nominibus delectari respectu nostri magnopere videtur. Nam Hebræi, rerum diuinarum eruditissimi homines, tradunt, plurima quidem esse Dei nomina, sed præcipua decem, quæ tanquam numina quædam in res procreatas influunt, ac primò quidem in nouem intelligentiarum ordines, & beatorum choros, deinde in cæleste globos, & fixas stellas, atq; erraticas, tum in homines postremò in alias res omnes: vt ab illis diuinis numinibus res singulæ vim atq; virtutem accipiant. Quam rem etiam M. Varro videtur attigisse, cùm ait: Sicut omnes animæ reducuntur ad vnam animam mundi siue vniuersi: ita Deos omnes referri ad vnum Iouem, quia idem Deus sub varijs colitur nominibus. Hac penè eadem ratione Themistius Philosophus Valentem Imperatorem (vt Sozomenus scribit) ab impia Christianorum persecutione retraxit, cùm ad eum scripsisset, Propterea de religione dogmata crudelem esse non oportere: quandoquidem plus quàm trecentarum sectarum varie-

varietas in Deorũ cultu reperiretur, & vnusquisq; pro dogmate sectaq; propria in diuersa variaq; sententia consisteret ac perseueraret: atq; hoc ipsi Deo longè gratius esse, dũ non facile cognoscitur, & varijs modis magnificè glorioseq; colitur. Quibus Themistij rationibus multò mitior in Christianos Imperator factus esse dicitur. Iam quantam Dæmonum, & Angelorum multitudinem, quantamq; varietatem Deus procrearit, testes sunt omnes Theologi veteres; qui propè innumerabiles eorum myriadas esse tradiderunt. Non enim tantùm supra totius mundi ambitum, in conspectu diuinæ Maiestatis atq; Sapientiæ summa cũ lætitia semper exultantem incredibilem Angelorum, feliciumq; Animorũ multitudinẽ astare dicunt: sed etiam singulis cœlestib. globis, & sideribus ac stellis quasdam præesse motrices Intelligentias volunt; quæ certa quadam ratione perpetuoq; ordine cœlũ in gyrũ torqueant. Quin etiam elementis, & mixtis corporibus, & regionib. & vrbibus, & deniq; singulis hominibus Genios custodes assignant; quorum non vna, sed maximè varia sit natura. Nam alios esse dicunt igneos, alios aêreos, alios aqueos, alios deniq; terrestres: in quibus permagnam etiam morum varietatem constituunt. Sed hæc, quæ sunt obscuriora, dimittamus, quæ sensum omnem effugiunt, & cogitatione tantum apprehenduntur. Ad ea veniamus, quæ sensibus ipsis percipere, atq; indubitatis argumentis, quasi manibus ipsis, tenere possumus. Quis est enim, qui cùm oculos ad cœlum extollit, nõ eius varietatem, & multiformem aspectum admiretur? Nam vsq; eò varium ac multiplex cœlum est,

vt in eo summa cum voluptate siue Deus, siue Natura lusisse videatur. Quot enim sunt in octauo globo stellæ fixæ, quamq; inter se diuersæ ac variæ? quibus innumeras animalium effigies, rerumq; cunctarum impressas esse, argumentis (vt ait Plinius) indicatur: quoniam vt de deciduis rerum omnium seminibus, innumeræ, (inquit) in mari præcipuè, ac plerunq; confusis monstrificæ gignantur effigies. Quot deinde sphæræ cœlestes plurimùm inter se dissimiles? quàm varia stellarum vis atq; natura! quàm multiplices in his inferioribus reb. effectus stellæ producunt! In hac enim vna re omnis Astrologorum ars, per magna sanè, perq; obscura, summa cum animi contentione occupata est: quæ comites etiã alias, quæ Mathematicæ vocantur, in magna varietate versantes, ad se trahit. Quanta vero admirabilitas est cœlestium rerum, vt perpetuo gyro tanta machina contorqueatur; & erraticæ stellæ singulæ suos ac maximè varios motus habeant, & modò ad Septentrionem, modò ad Austrum vergant: tum occultentur, tum rursus aperiantur: tum abeant, tum recedant: tum præcedant, tũ subsequantur: tum celerius moueantur, tum tardiùs: tum omnino ne moueantur quidem, sed ad quoddã tempus insistant? Iam Sol ipse, luminum omnium moderator & parens, quot & quãtas tum in cœlo: tum reliquis mundi partibus varietates efficit, dum orbem illum varijs distinctum signis, quem Zodiacum appellant, quot annis totum illustrat? Nam modò Vernam temperiem summa cum amœnitate nobis affert, dum Arietem, Taurum, Geminos peruagatur: modò Aestatem torridam maturis frugib. inducit,

Nat. Hist. lib. 2. ca. 3.

ducit, dum Cancrū, Leonem, Virginem peragrat: modò fertilem Autumnum efficit, dum in Libra, Scorpio, Sagittario spatiatur: modò sæuā nobis atq; horridam Hyemem lōgiùs abscedens relinquit, quo tempore Capricornum, Aquarium, & Pisces breuissimo die percurrit. Quid climatum varietatem commemorem, quibus dies & noctes penè quotidie commutantur? Quid diuersas, & maximè varias mundi regiones persequar? cùm (vt ait Poëta) Virg. Georgic. 1.

Quinq; teneant cœlum Zonæ; quarū vna coruſco
Semper Sole rubens, & torrida semper abigni,
Quam circum extremæ dextra, lævaq; trahantur.
Cæruleæ glacie concretæ, atq; imbribus atris.

Duæ verò tantùm sint habitabiles: hæc, quam nos incolimus, & altera, quā Antipodes tenere dicuntur. Hæc autem omnia, quæ cœlo continentur, tam multiplicia, tam varia, continuo mundi motu, siderumq; influxu, & vario lumine sapientes homines regi atq; gubernari volunt. Agè verò, Luna, quæ stellarum omnium infima est, & humoris atque adeò generationis domina, quantas singulis mensibus varietates ostendit! Semper enim aut augetur, aut senescit: & modò curuata in cornua, modò æqua portione diuisa, modò sinuata in orbem, maculosa, eademq; subitò præniteus, immensa, orbe pleno, ac repentè nulla. Atqui supra Lunam, vt eruditissimi viri statuunt, æterna sunt omnia, immortalia ac beata: nihilq; inter ea traditur esse, quod non varietate mirificè delectetur. Quare sine vlla dubitatione concludendum esse videtur, in vna Varietate summam esse beatitudinem. Quid enim opus est, vt ad

caducas, fragiles, continenterq; mutabiles res discendam, & Elementorū instabilem naturā, maximamq; varietatem persequar; inter quæ tamen perpetua quædam concordia discors, & discordia concors esse perspicitur? Nam ignis calor cum Aêre cōuenit, siccus ab eodem discrepat: Aêris humor Aquam attrahit, calor aquæ repugnat: Aquæ frigus Terræ amicum est, humor inimicus. Quæ quamuis omnia aliqua ex parte repugnantia sint, & multùm varia ac diuersa: tamen ad corporum omnium reliquorum generationem bene cōueniunt. Nullum est enim omnino corpus, præter illud cæleste, quod nō ex quatuor elementis constituatur. Ita illa quæ in sublimi aêre fiunt, quæ Græco nomine Meteora nominantur, & à quibusdā Imperfectè mixta corpora; quām diuersa, quām varia sunt! Quanta in rore, pruina, niue, pluuia, grandinibus, tonitruis, fulgurationibus, fulminibus, nebulis, ventis, cometis, ignibus per aêrem discurrentibus, cæterisq; eius generis, nō solùm quot annis, sed etiam singulis penè diebus & noctibus varietas apparet! Quid de maris natura multiplici, de fluxu atq; refluxu, de aquarum mirifica varietate dicam? Sunt enim alibi sulphureæ & calentes aquæ, alibi frigidæ, alibi salsæ, alibi dulces, alibi salubres, alibi pestilentes, marinæ, lacustres, fluuiatiles, fontanæ, palustres, puteales, pluuiæ, innumerabilium penè generum. Adde huc fontium gelidas perennitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, amœnissimas lacuum piscationes, irrigationes q; pratorum. Quid terra vniuersa, locata in media sede mundi, solida & globosa, & vndique ipsa in sese nutri-

bus

bus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur? Nihil sanè opus est, vt ea recitem, quorum varietas in omnium conspectu posita est: vt montes, campos, nemora, syluas, vineas, arua, villas, vrbes, ædificia: quæ nemini penitus ignotum est, quàm inter se varia, quàm diuersa sint. Quid marmorum, saxorum, lapidum, gemmarum, metallorum varia genera proferam? ex quibus quàm varia sibi homines instrumenta confecerint, & quàm ad varios vsus accommodarint, nimis longum esset enumerare. Nam sine ferro, ære, plumbo, vix vllum opus effici commodè posset: vt omnis penè opificum varietas, quam propè infinitam esse omnes intelligunt, eis metallis debeatur. Aurum autem atque argentum cùm multis alijs vsibus accommodatur: tum verò nummis & pecunijs conficiendis omnem humanarum actionum varietatem variè regit & gubernat. Verùm vt ea, quæ nutriuntur & aluntur, etiam attingamus: In herbis, anni vnius interuallo & nascentibus & intereuntibus, quantum varietatis inest! quanta amœnitate prata virentia, varijs floribus, varijsque coloribus distinguuntur! Quis est, qui non summopere lætetur, cùm videat ea, quæ terra nascuntur, tam varijs formis ac figuris esse distincta: cùm intelligat, Herbarum tantam & tam variam esse virtutem, vt ad omnia ferè morborum genera sint vtiles, & diuina quadam prouidentia progenitæ: plures ad vescendum aptæ sint: plures varios ex se fructus, variasque fruges proferant? Nam quis non videt, quot sint frumen-

mentorum, leguminum, seminum, quæ vel sua sponte nascuntur, vel hominum industria coluntur, species? Licet hortos bene cultos, & herbescentem ex se viriditatem fundentes, contemplari: licet aruas sata, segetesq; iam flauescentes & maturas spectare: licet colles apricos verno tempore, cùm genitalia semina vitalis caloris excitantur, intueri. Sequuntur frutices & arbores: quæ non solùm variis generibus inter se discernuntur, sed etiam in vnoquoq; genere perquàm variæ sunt, ac diuersæ species. Quod elegantissimè Virgilius in Georgicis ita expressit: Lib. 2.

Præterea genus haud vnum nec fortibus vlmis,
Nec salici, lotoq;, nec Idæis cypariss is:
Nec pingues vnam in faciem nascuntur oliuæ
Orchades, & radij, & amara pausia bacco,
Pomaq;, & Alcinoi syluæ: nec surculus idem
Crustumijs, Syrijsq; pyris, grauibusq; volemis.
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

Et non ita multò post sic ait:

Sed neq; quàm multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus, Quid pomorum?

quid nucum? quid, frugiferarum arborum quanta est dissimilitudo! quàm multiformes, quàm varij fructus! Neq; sanè minor, atq; haud scio, an etiam maior in animantibus Varietas inuenitur. Nam vt omittam: alias vagas cœlo fruj libero, alias nantes, & aquarum incolas esse, alias in terra tantùm nutriri, alias denique quasi anticipites modò in aquis, modò in terra viuere. Quid in auibus, volucribus q; quàm varia est natura!

quot

quot earum species! quot formæ! quot figuræ! quàm inter se variæ, quamq; diuersæ! Quin etiam non modò in formis nulla similitudo conspicitur: sed neque in pennis ac plumis ipsis mirifica quadam colorum varietate distinctis. At verò in piscibus, cæterisq; omnibus, quæ in mari, quæ in lacubus, quæ in fluuijs, quæ in fontibus, quæ in stagnis, quæ in paludibus degunt, quàm multiformis natura sit, nemo est quin intelligat. Quin terrestres bestias, vel feras, vel domesticas, perquàm varias esse planum est ac manifestum: quibus homines variè vtuntur, partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad corpora vestienda. Neq; tantùm genera ipsa, sed in singulis generibus species sunt maximè variæ. Quàm enim multiplices equi! quàm varij canes! Quid, illa Varietas in bestijs quantopere delectat? quòd aliæ corijs tectæ sunt, aliæ vilis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ: pluma alias, alias squama videmus obductas, alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Sed iam sentio, me, nescio qua varietatis dulcedine distractum, longiùs abijsse. Tempus est, vt ad homines ipsos veniamus, & quanta sit inter eos Varietas, consideremus. Quamuis enim omnes rationis sint participes, & hac in re similes esse censeantur: tamen neq; corporis, neq; animi similitudinem seruant. Mirum enim hoc profectò est, neq; sine diligenti cõsideratione prætermittendum: Quòd in tanta hominum multitudine, qui Europam, Africam, Asiam incolunt, & si quis est alius in toto terrarũ orbe locus habitabilis, nequaquam duo reperiri possint, etiamsi gemelli nascantur, tam inter se

similes, vt non aliquo tamen signo distingui valeat. Omnino Deus ipse, cùm animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione genera uit, quanti Varietatem faceret, aperte declarauit. Cùm enim, ex tot animantium generibus atque naturis, hominem solum participem rationis & cogitationis, cùm cætera omnia sint expertia, conformarit, & omnibus hominibus eandem formam, eandemq; faciem affinxerit: tanta tamen singulos varietate discreuit, vt vnus ab altero facilè dignoscatur, atque in corporis quidem partibus non alia de causa aptæ sunt opportunitates, habilitatesq;, nisi propter rerum variam vim atq; potestatem: in quibus etiam instrumenta sensuum, oculi, aures, nares, palatũ, lingua, varias nobis rerum scientias atq; differentias afferũt. Eadem etiam Varietas in vocibus & locutione sentitur: vt frequentissimè, cùm aliquos inter se loquentes audimus, quamuis ipsos non videamus, tamen ex sermone ipso alterum ab altero dignoscamus. Vt interim de Linguarum Varietate nihil dicam: quæ quanta sit, quis est, qui nesciat? Mithridatem, Ponti regẽ, mirum quiddam præstitisse legimus, vt duarum & viginti linguarum varietatem intelligeret. Neq; tantùm diuersi populi, & longinquæ nationes variè loquuntur: sed frequenter accidit, vt in eadem regione, magna sit inparum distantibus locis loquendi varietas. Iam verò de animis & voluntatibus verissimum est illud, quod ait Cicero: Vt in corporibus (inquit) magnæ dissimilitudines sunt: sic in animis existunt maiores etiam varietates.

Val. Max. lib. 8. ca. 7.

Offic. 1.

tes. Vt non sine causa tritum sit iam sermone prouerbium: Quot homines, tot sententiæ: & Persius Iure optimo clamet:

Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus. Satyr. 5.
Velle ſuum cuiq; eſt: nec voto viuitur vno.

Neq; malè Varietatem hanc animorum ad palatum transtulit Horatius: cùm ita inquit:

Tres mihi conuiuæ propè diſſentire videntur, Lib. 2.
Poſcentes vario multùm diuerſa palato. Epiſt. 2.

Idem Horatius totam primam cantionem ſuam in ea re conſumit, vt oſtendat, varias hominum eſſe voluntates, variaq; ſtudia. Nam alij dignitates & honores exquirunt, Rempubl. adminiſtrant, magiſtratus ambiunt: alij ludos & publica certamina conſectantur: alij rem militarem amplectuntur: alij mercaturam exercent, & diuitijs inhiant: alij nihil venatione iucundius arbitrantur: alij re ſua familiari delectati, viuunt in agris, & agriculturæ dant operam: ſunt qui literarum ſtudijs immorantur: ſunt etiam, qui ſe totos voluptatibus & ocio dedant. Nam quid explicare contendam, quantum artes & ſcientiæ Varietatis habeant? Teſtes ſunt ipſi artifices & periti homines, qui ſuis in artib. perquàm varijs ſinguli quotidie noui aliquid excogitant: & tamen ſe nunquam ad earum perfectionem omnino peruenisſe & agnoſcunt, & confitentur. Teſtes ſunt omnes, quicunq; animaduertunt, opera ferè quotidiè noua reperiri. Quæ Varietas extrinſecus etiam in veſtibus apparet. Neq; enim tātùm à nationibus, populis, gentibus, ordinibus, ſacerdotibus, profanis, ruſticis, ciuibus, cuiuſque generis hominibus,

Lib. 1. Ode. 1.

bus, veſtes variantur: ſed etiam in vnaquaq; domu & familia, pro cuiuſque arbitrio atq; libidine, vel longæ, vel breues, vel latæ, vel anguſtæ, vel nigræ, vel candidæ, vel dubio varióve colore conficiuntur. Quid dicam de moribus ætatum, ſexuum, ordinum, nationũ? quantum inter adoleſcentem & ſenem intereſt! quantum inter marem, & fœminam! quantum inter pauperem & diuitem! quantum inter Græcum & Barbarum! Quin etiam Animus, qui maximè ſimplex eſſe videtur, tamen in duas partes varias, & plurimùm inter ſe diſtantes diuiſus eſt, hoc eſt, in Rationem & Appetitum: quæ duæ partes inter ſe perpetuo quodam certamine digladiantur, & contendunt. Appetitus enim varijs aſſiduè perturbationib, & motibus rationem quaſi de gradu deijcere tentat; dum aut nimis effusè lætatur, aut vehementiori ægritudine contrahitur, aut acriori libidine incitatur, aut nimio metu deprimitur: contrà verò Ratio tanquam domina conatur exultantem, & imperium renuentem Appetitum ſibi ſubijcere. Hinc variarum virtutum & vitiorum ſeminaria. Quatus enim Ratio ſuperat, virtutes & præclaræ actiones prodeunt, & maximo quodam ſplendore præfulgent: quoties autem Appetitus ſuperior fit, vitia ſtatim emergunt, & virtutes omnes obruunt. Ita fit in animo perpetua quædam pugna, in qua ſi ratio deniq; victrix fuerit, animum vagum & liberum tandem in æternam illam domum, & cœleſtem varietatem iucundiſſimam cum voluptate perducit. Ipſa verò degendæ vitæ ratio quò magis variatur, eò iucundior eſſe ſolet. Itaq; nemo eſt, qui in eadem actione, quamuis honeſtiſſima iucun-

diſſe-

dissimaq3 sit, diutiùs perseuerare possit: atque illi felices existimantur, qui tantas opes habent, vt arbitrio suo modò in vrbe, modò ruri, modò in vno loco, modò in alio viuere commodè possint. Quid in dicendi facultate, quàm grata est, & quàm iucunda Varietas! Quis enim eum æquo animo potest audire, qui eodem semper tenore, atque eadem voce verba faciat! quis contrà cantus varia orationis pronunciatione dulcior inueniri potest? Quid suauius, quàm acutæ crebræq3 sententiæ? Quid admirabilius, quàm res vario splendore illustrata verborum? Quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Quin vocem, vultum, gestum, pro rebus, quæ dicuntur & aguntur, variare plurimùm iuuat. Iam Musicæ cantiones, & harmoniæ, quò magis variæ sunt, eò iucundiores & suauiores habentur: quæ de causa tot & tam varia Musicæ artis instrumenta reperta sunt. Quid spectacula? quid ludi publici? quid magnifici apparatus? quid cõuiuia? nonne quantò magis variantur, tantò plus commendationis & admirationis in se habent? Quære in sacris anniuersarijs, in celebritatibus, in diebus festis, in nuptijs, in rebus denique omnibus, quæ vel religionis, vel consuetudinis, vel lætitiæ gratia comparantur, nihil omnino reperies, quod sine Varietate laudetur. Quære inter lusus puerorum, amores adolescentium, actiones iuuenum, vota senum: maximam vbiq3 Varietatem inuenies. Quære inter agricolas, inter vrbanos, inter milites, inter principes, deniq3 inter homines cuiusq3 generis: vbiq3 certè videbis, gratiarum omnium matrem atq3 dominam esse Varietatem. Sed quid moror, in medium muliebre

liebre genus adducere? de quo Poëta præstantissimus ita Virgilius clamat:

Aen. 4. *Varium & mutabile semper*
Fœmina.

Quamuis enim hoc propter iratam, Aeneæ discessu, reginam Didonem quasi in fœminarum vituperationem Poëta dixisse videatur: tamen illud certum & exploratum est: Nullam in mulieribus esse gratiam, nullam venustatem, nullum decorem, nullam deniq; iucunditatem: nisi Varietas eas exornet, & amabiles efficiat. Hoc in vestibus earum maximè varijs, varijsq; coloribus depictis, in capitis ornamentis, in aureis redimiculis, in torquibus, in catis monilibus, in armillis, in annulis, in variis gemmis ac lapillis, in margaritis, in omni denique mundo muliebri facilè perspicitur: cui quidem ornamentorum varietati si corporis venustas & pulchritudo, quæ in proceritate, in conuenientia partium, in colore suauitate posita est, accesserit: tum verò nullum spectaculum magis iucundum, nulla res magis conspicua, nihil, quod magis animos alliciat, & amoris illecebris ad se trahat, inueniri potest. Ex hac autem, de qua iamdudum loquimur, Varietatis commendatione factum est, vt, cùm aliquam rem aut hominem vehementer laudare volumus, eum varium & multiplicem appellemus. Ita Virgilius de agricolarum felicitate:

Georgic. 2. *At secura quies, & nescia fallere vita,*
Diues opum variarum.

De Nat. Deor. lib. 2. Ita Cicero de Platone suo, quem vnum omnium maximè admiratur, quem Deum Philosophorum vocat, quem vbique ma-

ris

ris in cœlum laudibus extollit: Plato (inquit) varius & multiplex, & copiosus fuit. Et de Socrate sic ait: Tum verò eloquentia, varietate, copia, quam se cunq; in partem dedisset, omnium fuit facilè princeps. Ipsius autem Socratis disputationes vehementer in eo laudat, quòd variæ, & diuersæ, & in omnem partem diffusæ fuerint. Cùm igitur omnibus in rebus, quæ intelliguntur, & quæ sentiuntur: quæ sempiternæ sunt, & quæ mortales, quæ simplices sunt, & quæ coagmentatæ, quæ animatæ sunt, & quæ inanimatæ: quæ ratione vtuntur, & quæ non vtuntur: maxima quædam, & admirabilis Varietas esse videatur, & sine Varietate nihil omnino sit, quod aut gratum, aut iucundum esse possit: nemini profecto dubium esse debet, quin omnis felicitas, omnis vitæ iucunditas, omnis beatitudo sit in Varietate constituta. Quam rerum omnium conditor Deus, omnibus suis oporibus idcirco miscere voluit, vt eam homines præstanti animo atq; ingenio cõtinenter intuentes, etiam animos suos ad illud varium & multiplex æternitatis exemplar, varijs artibus, scientijs, & virtutibus exornarent: & ipsi Deo procreatori suo, qui ideo beatissimus est, quoniam omnem rerum Varietatem perfectissimè intelligit, quàm simillimi esse studerent. Nihil enim optabilius, quàm varias & diuersas rerum causas effectusque cognoscere, &, vnde omnis rerum Varietas ortum habeat, quóve recedat, intelligere. Quod ita Virgilius clamando testatur:

Academ. Qu. lib. 1. Lib. 3. de Orat.

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

Georgic. 2.

Hæ verò rerum causæ, varietatesque tantùm ab ijs intel-

intelligi possunt, qui sese optimarum artium studijs dediderunt: & qui omnem curam, diligentiam, studium in scientia & sapientia collocarunt. Quamobrem qui hanc veram & gloriosam animi felicitatem assequi concupiscit, & ea perpetuò frui, cùm in præsenti vita, dum (vt ait Poëta) spiritus hos regit artus, tum in cælo, Deorumq; domicilio, cùm in illud verum beatorum Concilium cœtumq; proficiscetur: is honestarum rerum Varietatem semper intueatur: eam vnam admiretur, suspiciat, amplectatur: & per scientias atque artes ingenuas eam intelligens, bonis & variis actionibus exprimat, ac repræsentet. Sic enim demum id assequetur, quod nulli fortasse veterum Philosopho-rum, falsis opinionibus inhærentium, & quæ vera summum bonum esset, nequaquam satis intelligentium, assequi potuerunt.

Virg. 4. Acn.

DE

DE AMORE, CVM VIRGILII LIBRVM QVARTUM Aeneidos iterum publicè interpretaturus esset.

ORATIO XXII.

CVM in omnibus suis Operibus Virgilium admirabilem, ac verè diuinum, siquidem diuinitatis nomen Poêtæ sibi vendicant, esse semper iudicarim; tum in Æneidos suæ Libro Quarto se ipsum etiam vicisse, atque omne suum ingenium, artem & doctrinam ostentasse, facilè quiuis paulò doctior intelligere potest! Quàm enim ingeniosè, quàm artificiosè, quàm doctè in eo vires Amoris indicat! quid ad graues illos Didonis affectus, & ad Amoris impotentiam ostendendam, hoc Virgiliano Poêmate fieri potest illustrius, atque euidentius? Cùm autem vetus opinio sit, à priscis illis ducta temporibus, & sapientum hominum consensu approbata: Eam Amoris esse vim, quæ cæteras omnes vires antecellat: non alienum ab instituto nostro futurum existimaui, si, priusquam ad huius Poêtæ Carminum explanationem veniо, de Amore nonnulla præfatus fuero. Qua in re non sanè mihi explicata dicendi

Vide infrà Præfat. 8.

ratio proponitur: cùm non tantùm de Amore ipso, sed etiam de ipsius nomine magna sit apud Authores controuersia. Priùs ergo de Amoris nomine, posteà verò etiam de ipso Amore disseremus. Igitur apud Græcos Amor, Ερως nominatur. Quod quidem nomen in Phædro Plato ἀπὸ τῆς ῥώμης, hoc est, à robore deductum existimat: quòd impetu quodam, non ratione, mortales ad voluptatem impellat. Plotinus autem eo in libro, quem de Amore composuit, ἀπὸ τῆς ὁράσεως, hoc est, à visione deductum ἔρωτα censet: propterea quòd ex aspectu plerunq; nasci solet amor. Quod etiam prouerbiali quodam Senario iactatur apud Græcos:

Ex τῶ εἰσορᾶν γὰρ γίγνεται ἀνθρώποις ἔρως.

Lib. 2. Eleg. 15. Et Propertius eo carmine satis indicat:

Si nescis, oculi sunt in amore duces.

Quare Iuuenalis quasi prodigium senem quendam refert:

Satyr. 4. Qui nunquam visæ flagrabat amore puellæ.

In Cratylo verò Plato putat, ἔρωτα trahi ἀπὸ τῆς εἰσρύσεως, hoc est, ab influendo: quòd extrinsecus per oculos in animum influat. Sed pluribus sanè nominibus apud Græcos Amor appellatur. Nam etiam ἵμερος dicitur; quod nomen à ῥέω, quod est fluo, deduci Socrates existimat; quem sanè intemperatum Sophocles appellauit, hoc est, ἄκρατον ἵμερον. Quidam etiam πόθον, Amorem appellari volunt. Verùm in Cratylo Socrates ostendit, πόθον, absentis amorem. Verùm rei desiderium esse, non præsentis amorem. Videntur, qui Apollonium reprehendant super illis verbis; Αἰσονίδας πόθῳ, quod πόθον pro amore vsurpari.

Plu-

Πτερόεντα verò dicunt à cœlestibus appellari, quasi sit alis præditus: quòd, tanquam volucres, huc & illuc volitent amantium vota. Propertius ventosas Amoris alas appellat, ob inanem credo spem. Eius carmen hoc est:

Idem non frustrà ventosas addidit alas: Lib. 2. Eleg. 12.
Fecit & humano corde volare Deum.

Alexander Aphrodiseus in Problematis scribit: Veteres ideo fultum alis Amorem finxisse, quòd in altum, tanquam alites, amantium vota tollantur. Φιλίαν etiam atque ἔρασιν pro Amore nonnunquam apud auctores reperire est. Latini verò sine vllo discrimine vtuntur Amoris vocabulo, siue paruum affectum indicare, siue magnam voluerint: & tam honestis, quàm turpibus nomen hoc accommodant. Quamuis cùm aliquam turpitudinem & obscœnam cõsuetudinem indicare velint, amores potiùs in multitudinis numero, quàm amorem appellare consueuerint. Vanam quidem & lasciuium amorem etiam in singulari numero dixerunt: sed qui honestum & laudabilem amorem in multitudinis numero expresserit, vix quenquam ex probatis auctoribus inuenies. Hoc autem nomen latissimè patet, & ad omne desiderium transfertur: vt in sexto Sibylla loquens ad Æneam inquit:

Quod si tantus amor menti, si tanta cupido,
Bis Stygios innare lacus.

Et in eodem libro:

Tendebantq; manus ripæ vlterioris amore.

Quin etiam mortis desiderium Amoris nomine Cicero interpretatur ex Æschilo: Tuscul. 2.

Amore mortis terminum inquirens mali.

Cupido verò & pro Amoris Deo, & pro vehementioris appetitu solet ab Authoribus vsurpari. Iam verò vulla amoris intentißima nomina Furoris plerung; significatur, quem Græci μανίαν vocant: quamuis multitudinis numero politiores scriptores frequentiùs vsurpent: quod eo Catulli carmine intelligitur:

In Argonaut.

Indomitos in corde gerens Ariadna furores.

Quod autem etiam Cura pro Amore frequenter nuncupatur, nemini dubium esse arbitror: quod vel ex huius libri carmine liquidò satis intelligi potest:

Virg. 4. Aeneid.

At Regina graui iamdudum saucia cura,

Et paulò pòst:

nec placidam membra dat cura quietem.

Sed quid Amor sit tandem, vtrum aliqua natura, quæ per se possit esse, vt Deus, aut Homo, aut Daemon: an affectio tantùm animi quædam: non satis inter scriptores conuenit. Poëtæ namq; Deum illum esse volunt omnino, qui potestate sua nõ homines tantùm, sed immortales etiam Deos sibi subijciat. Vnde Euripides eum stolidum & imperitum vocat, qui non Amorem maximum omnium esse Deum censet: cuius hæc carmina citantur à Stobæo:

In Auge.

Serm. 61.

Ἔρωτα δ' ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν,
Καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
Ἢ σκαιός ἐστι, καλῶν ἄπειρος ὤν,
Οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Cic. Tusc. 4 in fine.

Alibi verò scribit idem Euripides: Non tantùm viros & mulieres ab Amore inuadi solere, sed etiam Deorum animos vulnerari: vt ne Iupiter quidem illi resistere

In Hippol. Actu. 1.

stere posit, sed ab eo frequenter dometur. Hesiodus in Theogonia sua scribit: Primò quidem factum Chaos fuisse, postea Terram, postremò Amorem prodüisse. Simonides autem ex Venere & Marte natum asserit, Acusilaus ex nocte & athere: Alcæus ἐκ τῆς Ἐρίδως καὶ Ζεφύρου· Sappho Veneris & Cœli filium tradit. Cicero de Natura Deorum libro tertio tres Cupidines memorat: quorum primus Mercurio & Diana prima natus dicitur: secundus Mercurio & Venere secunda: tertius, qui Anteros dicitur, Marte & Venere tertia. Sunt etiam, qui Venere & Vulcano genitum Amorem velint: vt Tragœdia decima Seneca testatur. Platonicus verò Phædrus Amorem magnum esse Deum, in Conuiuio Platonis probare contendit: itaq; multis in locis apud antiquos tanquam Deus colebatur. Legimus enim, Athenis iuxta Palladis statuam, etiam Amoris simulachrum extitisse, cui non aliter, quàm Palladi, rem diuinam Athenienses facerent. Lacedæmonios verò accepimus, priusquam cum hoste congrederentur, Amori sacrificare solitos: tanquam is Deus solus victoriam ac salutem præstare posset. Iam apud Thebanos etiam Gymnasium Amori dicatum fuisse comperimus; vbi Cohors quædam, quæ Sacra diceretur, ex amantibus & amatis conflabatur. Maximè verò omnium Thespienses, & Pariani, qui in Hellesponto sunt, Amorem colunt & omnium Deorum principem habent. Sunt etiam, qui Amorem neque Deum, neque hominem esse affirment, neq; marem neq; fœminam: quemadmodum Athenæus libro decimo tertio scribit, vbi plurima de Amore tractantur. Fingebant

In Octauia Act. 2.

bant autem puerum, & volucrem, & sagittis armatum: quemadmodū elegantissimè Propert. lib. 2. cecinit. Eubulus tamen neq; leuē, neq; pennigerū Amorem esse dicit, sed grauem potiùs & stabilem: & Alexis minimè volucrem esse vult, quātuis ab ignaris pictorib. ita fingatur. Sunt præterea, qui illū cæcū esse velint: quia, quod ait Propertius, Insano nemo in amore videt. Et id Theocriti autoritate probare contendunt, qui ita scribit in Eidyllio, cui Θερισὰι titulus est.

Eleg. 12. Lib. 2. Eleg. 14. Eidyll. 10.

Τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ Πλοῦτος
Ἀλλὰ καὶ ὁ φρόντις Ἔρως.

hoc est, Non tantùm Plutus cæcus est, sed etiam curarum plenus Amor. Verùm Moschus in eo pulcherrimo carmine quod Ἔρως δραπέτης inscribitur, Amoremoculos acres & ardentes, hoc est, δριμύλα καὶ φλογώδη ὄμματα habere scribit. Neq; sanè meminisse, vbi apud probatos Auctores Amor pro Deo cæcus fingatur. At verò quid Amor sit, optimè Seneca Tragœdia decima, quæ Octauia inscribitur, his versibus edocet:

Actu 2.

Volucrem esse Amorem fingit, immitem Deum,
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcusq; sacros instruit sæua face:
Genituinq; credit Venere, Vulcano satum.
Vis magna mentis, blandus atq; animi calor
Amor est: iuuenta gignitur, luxu,
Ocio nutritur, inter læta fortunæ bona.
Quem si fouere atq; alere desistas, cadit,
Breuiq; vires perdit extinctus suas.

Non igitur Deum, neq; Dæmonem, neq; Hominem esse Amorem, sed vim quandā mentis, atq; animi calorem exsti-

existimandum est: atq; ideo nonnulli dicunt: Amorem nihil aliud esse, quàm boni desiderium: alij verò dicũt, appetitum esse fruendæ pulchritudinis. Quæ sanè definitiones ambæ à Platonis schola profluxerunt. Theophrastus autẽ eximius Philosophus, qui diuinitate loquendi nomen inuenit, Amorem ita describit: Ερως ἐστὶν ἀλογιστῶν ὀπιθυμίας ὑπερβολὴ, hoc est, Amor est eius, quæ ratione careat, cupiditatis exuperantia. Sed difficilimum esse, rectè intelligere, quid sit Amor, Plutarchus ostendit, cùm scribat: Amorem ab alijs mentem quandam, siue intellectum, quem ille νοῦν vocat, existimari: ab alijs diuinam animi motionem, atq; Dæmonium: atq; alia præterea multa refert, quæ tamen Amoris naturam apertè non declarant. Quamuis autem plures Amoris species ab aliquibus numerentur: duæ tamen sunt in primis, quæ à Platone atq; Platino celebrentur. Alium enim vulgarem Amorem appellant, qui ab ea pulchritudine, quæ sensu percipitur, oriatur: quam quidem pulchritudinem, vulgarem etiam Venerem appellare solent: aliũ autem cœlestem nominant, qui à diuinarum rerum, quæ intelligentia cognoscuntur, pulchritudine nascatur: & hanc cœlestem & diuinam Venerem vocant. Itaq; Lucretius, Poêta & Philosophus egregius cùm hoc intelligeret, suum opus ita exorsus est:

Plato in conuiuio seu de Amore.

Æneadũm genitrix hominũ, Diuumq; voluptas,
Alma Venus.

In hac enim parte præclarissimè Platonici philosophati sunt: dum colligunt: oculos nobis ad Dei cognitionem & immortalitatem duces esse. Nam cùm

In Sympo-sio. *Amor pulchritudinis desiderium sit, (vt ait Plato) per huius pulchritudinis, quæ sub sensum cadit, affectum paulatim erigimur ad cœlestem pulchritudinem atque diuinam: cuius ideam animo concipientes, admirabili quodam desiderio ad eam trahimur, atq; hac terrena, quasi vilia & abiecta, negligimus. Hoc est, quod etiam*

Cap. 1. *Paulus Tarsensis, vir sanctissimus, ad Romanos scribens, ait: Diuina mysteria per harum rerum, quæ cernuntur, considerationem intelligi posse. Vates autem*

Psal. 28. *ille diuinus, Cœlum (inquit) Dei gloriam enarrat: & Anaxagoras, Ad cœli contemplationem homines esse natos, asserebat. Sed ad Amorem nostrum reuertamur: quem ante res omnes genitum fuisse quidam existimant: vnde etiam Phanes dictus est, quòd primus apparuerit: qua in sententia Parmenides fuisse videtur, cùm ita cecinerit:*

Metaph. 1. cap. 2. Πρώτιστον μὲν ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων.

Aristoteles quidem ait: Hermotimum Clazomenium, & Parmenidem, & Hesiodum statuisse, Amorem rerum omnium motricem atq; efficientem causam. Plato in Conuiuio scribit, Amorem in natalibus Veneris in hortis Iouis, cùm Porus Peniæ coniunctus fuisset, esse genitum. Sed diuersos animo Amores esse consentiunt omnes: qui tamen ad duas species, quas diximus, reducuntur: vnde Seneca geminum Cupidinem appellat in Oedipo:

Actu. 2. *Concinit tædas geminus Cupido.* Et alibi:

In Hippol. Act. 1. *Quam Vocat matrem geminus Cupido.*

Nostri etiam Theologi primum illum Amorem diuinum mirificis laudibus celebrant. Itaque Dionysius Are-

Areopagita cùm de Sacris Nominibus ac diuinis scriberet, Amorem non prætermisit : inde illa eius verba: θεῖως ἔρως, ἀγαθὸς, ἀγαθῶ, διὰ τὸ ἀγαθὸν· docetq; ab Amore diuino bona omnia profluxisse. Mentes verò illas supremi chori, quæ Deum propè contingunt, ab Amoris incendio Seraphin nominatas fuisse, Hebrææ Linguæ periti testantur. Sed plurimum refert, à qua Venere noster Amor oriatur. Hinc enim omnis vitæ felicitas, & omnis miseria pendet: siquidem omnes, naturali quodam instinctu, boni amore trahimur: sed à Venere, hoc est, ab earum rerum, quarum amore capimur, pulchritudine plerunque decipimur. Hic enim nihil pecunia speciosius esse putat, atque ideo studium suum omne congerendis pecunijs accommodat : alius amore militiæ ducitur : alius sine literis vitam non vitalem (vt ait Ennius) existimat: plurimi, si corporis voluptatibus priuentur, se miseros esse iudicabunt: sunt etiam (quamuis admodum rari) qui tanto virtutis amore flagrent, vt cætera omnia pro nihilo habeant: neque, nisi quantum cogit necessitas, curent. Atque hi soli sunt, quos cœlestis Amor ad immortalem gloriam & felicitatem aliquando perducet. Hic autem Amor ille est, quo referti sunt omnes & Platonicorum, & Theologorum libri: cuius tam mirabilis effectus, vt animum à corpore prorsus abstrahat, & ad res sublimes atque pulcherrimas considerandas erigat. Cùm enim mentis oculis, sapientiæ splendorem intueri quis potest, admirabiles in eo amores excitantur sapientiæ: atque ita rerum altissimarum cogitatione fruitur, vt ad hæc infima stupeat. Hoc est, quod in Phædone So-

crates ait: Philosophorum vitam nihil aliud esse, quàm mortis commentationem. Nam qui alicuius rei amore captus est, de ea semper cogitat, & in ea quasi viuit: vn de Pythagoras dicere solebat: Amorem vnam esse animam in duobus corporibus habitantem. Hinc est, quòd Poêtæ mulieres eas, quas amant, vitam suã appellant: vt Propertius: Lib. 1. Eleg. 2.

Quid iuuat ornato præcedere vita capillo,
Teq; peregrinis vendere muneribus?

Volunt autem Amorem primum ac principalem actum esse voluntatis: vnde voluntatem amoris efficientem esse causam statuerunt: pulchritudinem autem, quasi materiam quãdam, ex qua amor generetur: quæ quomodo fiat generatio, sanè quàm egregiè Picus in Hymnis suis ita cecinit:

Namq; vbi membrorum vultus discordia concors
Fulserit, & grata fuerit compaga reuincta,
Ipsa oculos afflat subitò, celeriq; meatu
Labitur affecti tacita ad penetralia cordis,
Idq; trahit, veluti chalybem magnesia cautes,
Et tractum incendit, generatque in pectore flammam
Illecebris fotam placidis, gratoq; decore.

Verùm non alia ratione quisquam ab hoc amore vulgari se liberare poterit, nisi id efficiat, quod Archytas Tarentinus in eo Libro, quem Περὶ Θρόνων inscripsit, præcepisse dicitur: Vt ab ipso Deo ad res, ab ea procreatas, cogitatione procedamus: rursusq; à creatis rebus ad ipsum Deum reuertamur. Cùm enim res aliqua pulchritudine sua nostrum animum mouet, statim ab

ea

ea progredientes, cogitare debemus, quantò debent ea pulchriora esse, quæ non oculis, sed intelligentia percipiuntur: rursusq; ab illis ad Dei pulchritudinem ascendere, in eaq; demum acquiescere: cùm ab hoc amore diuino (quemadmodum antea diximus) felicitas omnis atque beatitudo pendeat. Hic autem amor etiam in Deo est: quippe qui (vt Platonici volunt) amore ductus, hunc mundum procrearit. Et Aristoteles duo- Cap. 2.
decimo primæ Philosophiæ libro, primam illam Mentem omnia mouere propter amorem censet. Plato in Conuiuio docet: Ab amore diuina ad homines, & humana ad Deos transferri: eumq;, qui harum rerum peritus sit, maximè felicem nuncupauit. Clemens Alexandrinus id in nobis situm esse asserit, vt amoris diuini periti fiamus: ideo initio eius libri, quē Pædagogum inscripsit, ita inquit: Τὸ φίλτρον ἔνδον ἀνθρώπῳ ἐστίν. Atq; hic sanè diuinus amor tantopere incenditur, vt ab aliis rebus mentem alienet, atq; in amatum Deum mirabili quadam potestate transformet, vt Dionysius ecstasin ab eo fieri censeat. Hoc illud sanctissimum coniugium animæ cum Deo est, de quo multa Theologi nostri verba faciunt: & Proclus, in Hymno ad Lyciam Venerem ita canens:

Σύμβολ' ἔχων νοεροῖο γάμου, νοερῶν ὑμεναίων.

Nunquam autem hic amor nimius, aut nimis intensus esse potest: cùm reliqui amores, cùm intenduntur, magnas animo perturbationes afferre soleant. Scribit enim Theophrastus in Amatorio libro, Cheremonem Tragicū existimasse, amorem, si mediocris sit,

esse

esse gratiosum, si verò fuerit intensus, molestias & perturbationes afferre quàm plurimas. Sed neq; illud prætermittendum, quòd hac vna ratione vel maxime cæteris animantibus homo præstat, quòd rerum pulchritudinem intelligit, atq; eius amore capitur: quod de Officijs primo Cicero fatetur his verbis: Itaque rerum ipsorum, quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit. In quarto Tusculanarum libro probatur, Aptam membrorum figuram, cum quadam coloris suauitate, corporis esse pulchritudinem: Animi vero pulchritudinem esse censuit, opinionum, iudiciorumque æqualitatem & constantiam, cum firmitate quadam & stabilitate, quæ virtutem subsequatur. Vtrum autem à corpore, an ab animo, principium habeat sensilis Pulchritudo, quæstio est. Nam plerunque accidit, vt animorum magis, quàm corporum, pulchritudine moueamur: multiqúe ad amandum magis fœminæ honestate ac pudicitia, quàm procacitate & lasciuia concitantur. Quis enim, nisi vilis & perditus homo, meretricis amore, quamuis pulcherrimæ sit, capitur? At contra, quemadmodum præclarè Lucretius cecinit:

Deteriore sit, vt forma mulierecula ametur.
Nam facit ipsa suis interdum fœmina factis,
Morigerisq; modis, & mundo corpore culta,
Vt facilè insuescat secum vir degere vitam.

Eidyll. 6. qui inscribitur Βουκολιαζάς. Quid, quòd propter iudiciorum varietatem sæpenumero fit, vt quæ nō pulchra sunt, pulcherrima videantur? Quod etiam eo Carmine Theocritus indicat:

Πολ-

Πολλάκις ἡ γὰρ ἐρωλι, τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.
Vnde Polyphemus apud Ouidium, rigidus homo, ita canit: Metam. 13. fab. 11.

Barba viros, hirtæq; decent in corpore setæ.

Apud Persas autem propter summas delicias nihil pulchrum habebatur, quod non molle atq; effœminatum esset. At contrà Virgilius in hoc libro Didonem, fœminam quidem, sed quæ tamen virile nescio quid præ se ferret, non tantùm Æneæ pulchritudine captam inducit, quantum eius fortitudine & rebus gestis, quib. admiratа clamat:

Quẽ sese ore ferens? quàm forti pectore & armis? Aenèid. 4. in princ.

Et non ita multò pòst:

Heu! quibus ille
Iactatus fatis? quæ bella exhausta canebat?

Morum enim similitudo ea est, quæ maximè amorem conciliat. Non igitur mirum, si bellicosa fœmina fortem & bellacem virum adamarit. Nam illam habitu quodam quasi virili postea depingit.

Sidoniam picto chlamydem circumdata lymbo,
Cui pharetra ex humero.

Erat enim chlamys, non muliebris vestis, sed potiùs militaris. Vnde Plautus in Curculione: Quæratis chlamydem & machæram hanc, vnde ad me peruenerit. Act. 5. Sc. 2.

Et ipse Virgilius in octauo:

ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde & pictis conspectus in armis.

Et Cicero pro Rabirio Posthumo statuam Scipionis cum chlamyde in Capitolio fuisse: & Neapoli Syllam Imperatorem chlamydatum scribit. Sed qua de causa acci-

dit,

dit, vt amata mulier longè pulchrior amanti, quàm cæteris videatur? & contra vir amatus amanti mulieri? Hoc quidem propter ideam illam atq; formam amatæ rei, quam semper animo versat amans, accidere necesse est. Longè enim pulchriores animo formas accipimus, quàm quæ oculis subijciuntur: itaq; tantùm ea cogitatione, qua sibi formam absentis amicæ repræsentat, incenditur: vt omnino talem etiam reuera esse, qualem animo concipit, existimet. Potest etiam in causa esse temperamentorum corporis, atq; humorum varietas, vt nonnulli fœminæ alicuius amore capiantur, quam tamen alij deformem existiment. Sic Plato Archeanasses Colophoniæ pulchritudinem præcellere omnibus existimabat: sic Aristoteles Herpillidem amicam suam cæteris omnibus, tanquã omnium pulcherrimam, anteponebat. Hoc est, quod Horatius Sermonum libro primo scribit: Satyr. 5.

Illuc peruertamur, amatorem quòd amicæ
Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum Polypus Agnæ.

Hinc est, quòd quidam cæcum amorem esse dicunt: quoniam amantes recto iudicio plerunque priuare solet. Magna sanè atq; obscura quæstio est, qua ratione aut causa fieri possit, vt homines ab amore tantùm immutentur, vt non amplius ijdem esse videantur. Nostri omnino Theologi censent, prauorum Dæmonum malefícijs frequenter accidere, vt quis amore turpi capiatur. Nam sæpenumero videre licet, non adolescentes tantùm, ætatis feruore concitatos, sed etiã prouectioris ætatis viros, licet vxores castissimas & forma præstantes

tes habeant, ita meretricis alicuius petulantissimæ amore detineri, vt ob eius consuetudinem, non tantùm vxorem, sed rei familiaris & filiorũ curam negligant. Ab hac autem Theologorum sententia, non admodum discrepat Porphyrius: qui spiritus quosdam incorporeos ab eiusmodi hominibus attrahi, atq; hauriri cẽsuit, à quibus ad amores tam turpes impellantur. Nonnulli Genios in causa esse voluêre. Sunt etiam, qui siderum atq; astrorum potestati furorem hunc acceptum ferant. Sed quis Genius, aut quæ astra possunt expertia rationis animalia ad homines amandos impellere? Tradit enim Theophrastus in Amatorio suo, Puerum quendam Olenium, Amphilocum nomine, non mediocriter ab anserefuisse dilectum. Nicander etiam author est: Nicomedis Bithyniæ regis filium, qui Secundus diceretur, gallinaceo gallo in delicijs fuisse. Quid, quòd Clearch. Peripateticus tantum pauonis amorem in puellam Leucadiam fuisse memoriæ prodidit, vt puella mortua non amplius viuere voluerit, sed eius desiderio vita excesserit? Quot exempla delphinorum à Plinio memorantur qui puerorum amore capti sint? Sed horum amorum nihil aliud certè, quàm imaginationem quandam in causa crediderim, qua non homo tantùm, sed cæteræ etiam animantes, teste Aristotele, præstant. Capiuntur autem homines amore, obiecta quidem totius corporis pulchritudine, sed tamen propter faciei splendorem maximè: qua in parte magis etiam oculos, quàm reliqua, spectant. Nam vt Aristoteles Ethicorum libro nono scribit, Amantibus ipse aspectus charissimus est, ijq; sensum hunc præ cæteris

Plin. Nat. Hist. lib. 10 cap. 22.

Nat. Hist. lib. 9. ca. 8. Gell. lib. 7. cap. 8.

Cap. 12.

expe-

expetunt: quòd ex eo potissimùm amor nascatur. Sed idem Aristoteles à pudore homines in amoris rem impelli subindicat, cùm amatores nihil magis in amato corpore, quàm oculos respicere affirmet, in quibus habitare τὴν αἰδῶ, hoc est, pudorem vult. Et fuit perantiqua opinio: Pulchritudinem aut pudori inesse, aut ipsum esse pudorem. Vnde maximè tunc incendi amatores Poëtæ fingunt, cùm amatas virgines pudore suffusi viderint: quod de Lauinia & Turno scribit in duodecimo Virgilius his versibus:

In Probl.

In princip.

Accepit vocem lachrymis Lauinia matris,
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violauerit ostro
Si quis ebur; vel mixta rubent vbi lilia multa
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitq; in virgine vultus,
Ardet in arma magis.

Sic etiam Anacreon Teius virginalem aspectum in puero suo celebrat his verbis: ὦ παῖ παρθένιον βλέπων. Ad quod alluisse videtur Phrenicus in Troilo, cùm dixit: Amoris lumen in purpureis splendere genis. Podarus autem faciei splendorem celebrat in Theoxeno Tenedio: cuius hæc sunt verba: Ἀκτῖνας προσώπου μαρμαρίζουσας. Verùm non tantùm apta membrorum compositione, sed etiam animi qualitatibus, quæ cum aliqua gratia atque venustate in corporis actionibus splendent, amatores capi non dubium est. Sed qua ratione fieri possit, vt quis ab Amore liberetur, varia præcepta dari solent. Nam Ouidius cùm artem

Apud Ath. Lib. 13.

artem amandi tradidisset, etiam eius remedia versibus mandare conatus est. Galenus autem Medicus eximius, & Auicenna, cùm Amorem putent vehementem esse animi morbum, propterea curandum esse corpus præceperunt; & de curandi ratione non pauca præcepta tradiderunt. Cicero Tusculanarum libro quarto de Amatore loquens: Sic (inquit) affecto hæc adhibenda curatio est: vt & illud, quod cupiat, ostendat quàm leue, quàm contemnendum, quàm nihil sit omnino; quàm facilè aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit. Adducendus est etiam nonnunquam ad alia studia, solicitudines, curas, negocia. Loci denique mutatione, tanquam ægroti non conualescentes, sæpe curandus est. Etiam nouo quodam amore veterem amorem, tanquā clauum clauo eijciendum putāt. Maximè autem admonendus, quantus sit furor Amoris: omnibus enim ex animi perturbationibus est profectò nulla vehemētior. Alij causas illas præcidere iubent, quibus in Amoris laqueos homines incidere plerunque solent, vt compotationes & conuiuia. Nam (vt ait Comicus) Sine Cerere & Baccho friget Venus. Ideo noster ingeniosissimus Poëta fingit, in conuiuio splendido atque regali, inter lusus & blanditias amore captam esse Didonem. Sic enim Venus Amori filio præcipit:

Pag. 225. b

Terent. in Eunuch. Act. 4. Sc. 5

Virgil. Aen. 1.

Vt cùm te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas, laticemq; Lyæum:
Et dabit amplexus, atq; oscula dulcia figet:
Occultum inspires ignem, fallasq; veneno.

Vitanda est mulierum consuetudo: proponenda sunt

exempla continentiæ: Vt Cyrus apud Xenophontem, cùm in Assyriorum prædia diuidenda, pulcherrima quædam mulier, quæ Susiorum regis vxor fuerat, sibi obtigisset, eam nec aspicere quidem voluit, ne in aliquam obscœnæ libidinis cupiditatem incideret. Et Alexander ille Macedo, cùm Darij vxorem, quæ forma cæteras omnes Persicas mulieres antecelleret, eiusdemq; regis filias cœpisset, eas honestissimè custodiri iussit. Et Africanus Scipio præstanti pulchritudine virginem Hispanam, cùm admodum ipse iuuenis esset, sponso suo tamen intactam illibatamq; restituit. Plurimùm igitur prodest Virtutis Amor, atq; animi propositum, ad insani Amoris stimulos auertendos. Sed nihil magis hunc furorem arcere potest, quàm si quis cogitet quæ inde mala proueniant. Nam, vt ait in Eunucho Terentius:

Act. 1. Sc. 1. *In Amore hæc omnia insunt vitia:*
Iniuriæ, suspiciones, inimicitiæ, induciæ;
Bellum, pax rursum.

Cic. Tusc. 4 pag. 226. a *Certè amatores videre licet modò algere, modò æstuare; nunc spei plenos, nunc planè desperantes, denique præcipites in omne facinus; atq; illud Plautinum in ore habentes:*

In Cistellaria, Act. 2. Scena 1. *Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser. Tibullus sanè, quanta sit Amoris impatientia, quantus dolor, his versibus ostendit:*

Lib. 2. Eleg. 4. *O ego, ne possem tales sentire dolores,*
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis!
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet vnda maris!

Menander cùm Amoris incommoda sensisset: clamare

mare non dubitauit:

Φεῦ φεῦ, βροτοῖς ἔρωτες ὡς κακὸν μέγα,

Heu quàm magnum mortalibus malum Amores sunt! *Quis enim facilè numerare posſit, quot regna subuersa, quot deletas vrbes, quot homines trucidatos, quot familias exitio traditas, quot bella, quot cædes, quot regiones ferro igniqúe vastatas, insani huius amoris causa, Scriptores & Græci & Latini memoriæ prodiderunt. Vt non illepidè Plautus dixisse videatur: Amorem primùm apud homines carnificinam commentum fuisse.* In Cistellaria, Act. 2. Scena 1. *Poêtæ verò non alia de causa finxerunt homines in belluas à Circe commutari, nisi quia capti amore, vim omnem rationis amittunt. Possunt autem Amatores scaro pisci non inconcinnè comparari, quem præ cæteris omnibus piscibus, aiunt, libidine furere. Cùm enim piscatores vnam ex eo genere fœminam habere possunt, eam in insidijs collocant, & rete circumponunt: tunc scari eius potiendæ fœminæ desiderio, quasi œstro quodam perciti, ruunt, & alius alium præuertere contendit, vt prior amata fœmina fruatur: quo fit, vt eorũ maxima multitudo parata in retia se inuoluat: atq; ita, quemadmodũ M. Antonius Philosophus & Imperator scribit,* διδόασι δίκλωνος ἁφροδίσιον ταύτλῳ οἱ σκάροι. *Magnũ etiam corpori detrimentũ affert intẽpestiua Venus: vnde illud Demosthenis dictũ: Pœnitere tanti non èmo: quoniam Venerem semper dolor & pœnitentia sequitur. Nam (vt ait Aristoteles in Problematis) Semen ab homine pro corporis proportione plurimũ emittitur, & ab omni corporis parte: quo fit, vt totum corpus concutiatur. Hinc est,* Section. 4.

quòd Abderites Sophista, Paruam quandam epilepsiam coitum esse censuit. Quam quidem sententiam Gellius Hippocrati asscribit his verbis: Hippocrates autem, diuina vir scientia, de coitu Venereo ita existimabat: Partem esse quandam morbi teterrimi, quam nostri Comitialem dixere. Nam ipsius verba hæc traduntur: Τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν. Et Cornelius Celsus frequenti coitu corpus dissolui scribit. Iacentia longè minori detrimento sanguinem per venarum sectionem emitti, quàm intempestiuè semen fundi existimat. Cogitandum est igitur quod ait Ouid:

Noct. Att. lib. 19. c. 2.

Vt semper multos Venus immoderata dolores
Afferat, innumeras labes, morbosq;, necemq;,
Et curuæ ante diem prætendat damna senectæ.

Quamobrem hanc turpem Venerem atque hunc furiosum Amorem relinquere; & illum castum ac cælestem, qui à virtutis & sapientiæ pulchritudine splendoreque proficiscitur, sequi decet; qui alios omnes ex animo procul amores eijcit, & præsentia sua magnam hilaritatem, & voluptatem affert incredibilem. Veri autem amatoris signa sunt: Ad Amatam rem sapienter inclinare, de ea cogitare, loqui, scribere, somniare. Neque enim (inquit Virgilius)

Aeneid. 1.

patrius consistere mentem
Passus amor.

Eclog. 8.

Et alibi:

Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.

Satis enim constat, intensum amorem etiam dormientes suis imaginibus aut oblectare, aut etiam contristare. Quod multò ante Virgilium Smyrnæus Bion vidit, qui in suis Bucolicis ita de amore cecinit:

Ἀ μὲν

Α' μεγάλα μοὶ Κύπρις ἔθ' ὑπνώντι παρέστα.

Aristoteles in Rhetoricis ad Theodecten scribit: Veros amatores de re amata etiam cum gaudio somniare, & propter perpetuam eius memoriam, quamuis absit, tamen quasi præsente latari: quin etiam ἐν τοῖς πένθεσι καὶ θρήνοις, hoc est, in luctibus & lamentationibus quandam tamen amatæ rei recordatione suborivoluptatem, quam oculis animi, tãquam præsentem, intuentur. Itaq; summus hic Poëta noster, sicut omnes animi affectus, ita ingeniosissimè vim Amoris explicans, ita de amante Didone scribit: Lib. 1. Cap. 11.

Illum absens absentem auditq; videtq;.

Quæ res effecit, vt etiam in dolore gratus sit amor: vnde apud Poëtas Dulcem amaritiem frequenter inuenies, quod vno verbo γλυκύπικρον Græci vocant. Catullus in quodam Epigrammate ita de Venere scribit: Plutarch. Orpheus. Musæus.

Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.

Apud Plautum in Pseudolo quidã adolescens de amicæ suæ epistola sic ait: Dulce amarumq; vna nunc misces mihi. Quòd si aliquã rei amatæ imaginem, aut si quam prolem habere potuerint, tum verò sæuos dolores aliquantulum mitigare solent: atq; ideo Dido, cùm abiturus esset Æneas, ita inquit: Act. 1. Sc. 1. Virg. 4. Aeneid.

Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles: si quis mihi paruulus aula
Luderet Æneas, qui te tantùm ore referret:
Non equidem omnino capta, aut deserta viderer.

Ac sanè cùm quis amare incipit, statim etiam incipit

id, quod amat, laudare: quod cùm Poëta noster non ignoraret, amore captam Didonem, statim facit tanquam Deum quendam suum, Æneam admirari:

Virgil. Aen. 4.

Credo equidem: (inquit) nec vana fides, genus esse Deorum.

Et quemadmodū amans rem amatā maximè suspicit, & nihil non magnum atq; honorificum de ea sentit & loquitur: ita nullo modo ferre potest, quæ illi molesta esse cognouerit. Quā intensi Amoris proprietatem Virgilio non incognitam fuisse, declarat illud, quod in secundo libro de Choræbo scribit: qui cùm passim crinibus Cassandram amasiam suam à Græcis trahi videret:

Non tulit hanc speciem furiata mente Choræbus, Et sese medium iniecit moriturus in agmen.

Quibus verbis ostenditur, Amantes non tantùm incommoda propter amatam rem pati paratos, sed etiam, si ita accidat, mortem: quod de Alceste Admeti vxore Poëtæ fabulantur: quamuis hoc pro re certa in Platonis Conuiuio recitetur, & de Tyberio Graccho loquantur historiæ. Nihil autem durum, nihil asperum refugit amans; modò amatā re potiatur: quod in Ecloga decima sic ostendit Poëta:

Galle, quid insanis? (inquit) tua cura Lycoris Perq; niues alium, perq; horrida saxa secutast.

Quin etiam nullam conditionem subire durissimæ seruitutis recusant, vt id tandem, quod concupiscunt, assequantur: sic Hercules seruiuit Omphalæ: sic Iacobum quatuordecim annos ob Rachelis amorem Labano seruiuisse Sacræ Literæ testantur. Sed quoniam placuit iam fortasse philosophati sumus: hæc, quæ reconditio-

Genes. 19.

ra videri possunt, relinquamus: & videamus, qua de causa Virgilius Æneam suum, quem tanquam aliquod insigne probitatis & sapientiæ exemplar nobis proponit, Amoris tamen laqueis irretitum fuisse velit. Atque vt illas, quæ verisimiles sunt, causas prætermittam, Æneam ideo si Didoni coniunxisse fingit, non quia captus esset eius amore, quod nusquam Poëta docet, sed quia se hospitem egentem & vagum videret, vt ea ratione Didonis gratiam seruaret: quoniam (vt ait Cicero) Tempori cedere, hoc est, necessitati parere, semper sapientis habitum. Quis enim non intelligit, si Didonis, amore inflammatæ atq; furentis, congressum Æneas refugisset, fore, vt paulò pòst à Didone vel expelleretur, vel etiam aliquid grauius pateretur? Notum enim erat Æneæ sapientissimo viro, Furens quid fœmina possit: igitur illi voluit indulgere,

Lib. 4. Epistol. fam. 9

Aen. 4.

Dum pelago sæuiret hyems, & aquosus Orion,
Quassatæq; rates, & non tractabile cœlum:

vt verno postea tempore commodiùs posset in Italiam nauigare. Potuit etiam illa grauis esse causa, quæ Virgilium, vt amatorem Æneam fingeret, impulerit: quoniam etiam Homerum, quem vnum æmulabatur, idem de Vlysse suo prudentissimo viro finxisse videbat: quem scribit in insula quadam à Calypsone diu detentum fuisse, donec Iouis imperio coacta fuit eum dimittere. Sed, vt ego quidem arbitror, voluit hoc in libro Poëta, quanta sit vis amoris, ostendere: qui non fœminas tantùm, sed etiam grauissimos viros plerunq; deuinciat: vt id Æneas dicere posset:

Odyss. 5.

Omnia vincit Amor, & nos cedamus amori.

Virg. Eclog. 10.

Cùm præsertim videret Poëta, duos summos illos Imperatores, quos suis carminibus maximè illustrare cupiebat, Iulium Cæsarem, & Octauium Augustum, amoris illecebris fuisse delinitos. Nam Iulius Cæsar in Ægypto Cleopatræ amoribus indulsit: Octauius autem Augustus amore Liuiæ Drusillæ tantopere incensus est, vt eam (quemadmodum scribit Suetonius) à matrimonio Tyberij Neronis, & quidem prægnantem abduxerit, dilexeritq; semper vnicè, ac probarit perseueranter. Ea verò maxima causa Virgilio fuit, vt Poëticæ Artis consuetudinem seruaret. Nam apud Poëtas, non hominum tantùm, sed etiam Deorum amores celebrantur. Theseus, qui sapientissimus fingitur, duas sorores Phædram & Ariadnam, Minois Cretum regis filias abducit: Peleus Thetidis amore capitur: Hercules amore Deianire flagrat: Agamemnon parenti, quamuis Apollinis iussum intelligat, Chrysida reddere recusat: Achilles abductam Briseida, tanquam puer, deplorat. Quid Iasonem, Paridem, Menelaum, Orestem, Protesilaum, innumerabilemque aliorum multitudinem referam? Ipse Iupiter modò Taurus fit, vt Europam rapiat, modò Cygnus cum Læda concumbit: modò aurum in Danaæ gremium fluit: modò Amphitryon in Alcmenæ complexibus Herculem generat. Pluto per vim Proserpinam rapit. Venus cum Marte, cum Vulcano, cum Anchisa denique cõiungitur. Iuno Zelotypia flagrat, Apollo Daphnes amore cruciatur. Quid plura? nullus apud Poëtas Deus est, nullus homo paulò celebrior, qui non amoris vinclis colla subdiderit. Quid igitur mirum, si

Homer. Iliad. 1.

Poëta

Poëta noster Æneam suum amori indulgentem faciat: cùm hoc non à sapientissimis tantùm viris, sed à Deis etiã ipsis immortalibus fieri Poëtæ omnes consentiant? A qua sanè opinione neque Historiæ, neq; Sacræ literæ discrepant. In Historijs enim habemus, summos illos Philosophos, Socratem & Platonem, Aristotelem, laqueos amoris effugere non potuisse. Quin etiam Socrates, cùm nihil omnino se scire profiteretur, artem tamen amandi se didicisse fatebatur. Apud Romanos omnium sapientissimus Cato vincitur & expugnatur ab amore. Quid M. Antonius Philosophus & Imperator, quanto Faustinæ amore incensus traditur? Multa prætereo consultò, ne nimis longa sumatur oratio. Iam verò in Sacris Literis non adolescentes tantùm, sed etiam grauissimi & sapientissimi homines amore capiuntur. Quis Samsone fortior habitus est? Iudic. 16. tamen ab inimicis Philistæis in amatæ gremio sopitus, comprehenditur, & catenis ferreis alligatur. Quis post homines natos fuit vnquam, qui pietate & religione Dauidem regem superaret? quem vnum ipse Deus immortalis fassus est, in omnibus rebus sibi planè satisfeciisse: tamen hic insano amore Bersabeæ captus, 2. Sam. 11. non tantùm adulterium cum ea commisit: sed etiam viro eius cædem crudeliter machinatus est. Age verò, quis de summa Salomonis sapientia non audiuit? vt nihil penitus esset in rerum natura, nihil in diuinis mysterijs, quod ille vir ignoraret: qui tamen quantopere sit immutatus ab amore, à vobis in Sacris Literis legi, quàm à me commemorari mâlo. Quid ergo? dicet aliquis! Hæccine tu probas? aut

hoc modo laudes Amoris celebras? Ego verò tantum abest, vt probem, vt etiam maximè damnandas esse censeam. Sed hæc ideo commemoro: primùm vt Poëtam nostrum ostendam, non sine ratione suum Æneam finxisse, nonnihil Amori concessisse: deinde vt doceam, quàm difficile sit, nisi quis diligentissimè cauerat, in Amoris illecebras non incurrere, à quo tot ac tales viri deuincti fuerint. Verùm ea paratissima atque expeditissima ratio fugiendi Amoris huius est, vt cum alio amore (quod ait Cicero) tanquam clauum clauo trudamus, & Venereum Amorem Musarum amore propellamus. Solæ enim Musæ vincula & laqueos Amoris non exhorrescunt: quod elegantissimo quodam Epigrammate Græco satis indicatur: in quo Poëta fingit, Musis Venerem fuisse minitatam, nisi Nomen suum colerent, se in illas Cupidinem filium suum armaturam: Musas autem respondisse: Posse eam Martis magis illas intentare: se verò prorsus ab Amoris iaculis tutas esse. Carmen autem illud quidam Musicÿ Poëtæ, quidam Platonis esse volunt: quod in hunc modum conscriptum est:

Tuscul. 4. pag. 225. b.

Epigram. Græc. lib. 1.

Platoni tribuit Diog. Laert.

Ἀ Κύπρις Μούσαισι· Κορᾶσιαι, τὰν Ἀφροδίταν
Τιμᾶτ', ἢ τὸν Ἔρον ὔμμιν ἐρωπλήσομαι.
Χ' αἱ Μοῖσαι ποτὶ Κύπριν· Ἀρεῖ λάσσονα ταύτᾳ
Ἡμῖν δ' οὐ πέταλον τοῦτο τὸ παιδάριον.

Vide Nat. Comitis Mythol. li. 7. c. 15. et Luciani Dialogũ Veneris & Cupidinis, inci. Τί δή ποθ' ὁ Ἔρως.

Quæ quamuis ea venustate reddi Latinè vix possint, quæ Græcè scripta sunt: ea tamen nos olim sic in Latinum sermonem conuertimus:

Alma Venus Musis: Venerem obseruate puellæ,
Aut in vos stringet spicula noster Amor.

At Veneri Musæ: Verba ista procacia Marti.
In nos nil iuris iste Puellus habet.

Habemus igitur paratum Antidotum, quo flagitiosi Amoris tela vitare facilè possimus: Si nos virgineus Musarum Chorus in clientelam suam admiserit.

DE MVSICA.

ORATIO XXIII.

CVm aliquandiu mecum ipse tacitus animo volutassem, Auditores, quonam apud vos, in hoc huius anni Professionis nostræ principio, dicendi genere potissimùm vterer, quod & animos vestros exhilarare, & ad bonarum artium studia vehementiùs incitare posset: suauissimis ac dulcissimis Q. Horatij Flacci cantibus, quos interpretari vobis hoc anno decreuimus, tandem admonitus, de cœlesti illa, ac verè diuina scientia, quam Græco nomine Musicam vocamus, cuius magna quædam atque ampla pars est Poëtica facultas, verba facere, atque eiusdem laudes, vires, commoda, quæ penè sunt innumerabilia, quoad per me fieri poterit, explicare constitui. Neque enim ex tot, tamque varijs ac multiplicibus artibus, quæ vel ab hominibus excogitatæ, vel Dei beneficio sunt nobis traditæ, vlla tam humanitatis est propria: nec

quæ

quæ facilius animum nostrum regere, mores immutare, mentem ad sese rapere, & quibusdam quasi vinculis constrictam atque alligatam retinere valeat. Hæc illa est scientia, quæ dono quodam Prouidentiæ data est humano generi, quo se ex tantis miseriis, laboribus, & calamitatibus aliquo modo recreet atque reficiat. Neq; enim tam graues & acerbos casus, aut turbulentas vitæ tempestates, tot tristia fortunæ vulnera vllo modo pati natura humana diutius posset, nisi molliores interdum & delicatiores cantus adhiberet. Nec verò quicquam in vita iucundum aut dulce videretur, nulla quies, nulla animi remissio, nullum naturæ blandimentum, nullum suaue solatium, hac arte sublata, reperiretur. Hæc omnibus & studijs, & sexibus, & ætatibus opportuna atque accommodata est: hac infantes in cunis adhuc vagientes oblectari, nutricum dulci murmure sopiuntur: hac pueri cum æqualibus cantillantes, frequenter vtuntur: hac iuuenes, atque ætate florentes maximè capiuntur: hac senes, reliquis iam deferuescentibus voluptatibus, natura dulci quodam instinctu delectantur. Nulla denique natio est, nulla gens, nullus ordo, qui non artificiosa canendi ratione moueatur. Saxa & solitudines, ait Orator, voce respondent, bestiæ quoque immanes canta flectuntur, atque consistunt. Qua de causa sapientissimi Poêtæ fictis fabulis tradiderunt, ab Orpheo Linoque cantoribus non tantùm homines, sed etiam pecudes, feras, aues, syluas, montes, saxa, muta denique omnia cantu, fidibusq; fuisse commota: quoniam nihil est penitus in omni rerum vniuersitate, quod

Cic. pro Archia.

quod ab Arte Musica remotum, aut alienum esse videatur. Vnde cœlestes etiam globos, generalemq; totius Mundi animam quadam harmonia constare Platonici crediderunt: neq; quicquam rectum, honestum, laudabile esse posse censuerunt, nisi quod esset Arti Musicæ congruens atq; consentaneum. Quare de tam eximia singulariq; scientia dum breuiter aliqua disseram, quæso vos, sicuti facere instituistis, diligenter attendite. Primùm enim mihi videtur de origine atq; antiquitate Musicæ; deinde de formis eius atq; partibus, tum de viribus atq; vtilitate esse dicendum. Nam ea est huius Artis tum antiquitas, tum dignitas, vt Timagenes auctor sit, Omnium in literis studiorũ antiquissimam extitisse Musicam: & iam illis antiquis temporibus in tanta veneratione, tantoq; studio fuerit, vt ijdem Musici, & Vates, & Sapientes iudicarentur. Sic Musæus, qui multũ in hac arte præstitit, & viuens Theologorum sapientissimus habitus fuit, & post mortem in beatorum sedes ac domicilia translatus putatur, de quo ita Virgilius in sexto:

Quintil. Institit. ca. 17. lib. 1.

Musæum ante omnes: medium iam plurima turba
Hunc habet, atq; humeris extantem suspicit altis:

sic Orpheus, qui, cùm homines in agris passim, bestiarum more, vagarentur, & sibi victu ferino vitam propagarent, nec ratione animi quicquam, sed pleraque corporis viribus administrarent, Musica quadam ratione compulit in vnum locum, & congregauit, atque ex feris & immanibus mites reddidit & mansuetos: sic Linus, qui propter excellentem artis Musicæ scientiam, Apollinis filius habitus fuit: sic alij plurimi propè

diuinos honores ob hanc Artem consecuti. Fuit enim olim Musica cum diuinarum rerum cognitione coniuncta. Cuius rei testes sunt clarissimi Poëtæ: apud quos inter regalia conuiuia laudes Heroum ac Deorum ad citharam canebãtur: & res altissimæ, quæstionesq; dignissimæ, cantibus inserebantur: vt apud Virgilium:

Aenèid. 1. in fine.

citharaq; crinitus Iopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisq; labores:
Vnde hominum genus, & pecudes, vnde imber & ignes.

Eclog. 6.

Et in Sileno:

Namq; canebat, vti magnum per inane coacta
Semina terrarumq;, animæq; marisq; fuissent,
Et liquidi simul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipse tener mundi concreuerit Orbis,

Inst Orat. lib. 1. c. 17.

Quæ verò Artis tam egregiæ fuerit origo variè traditur Quintilianus ab ipsa Natura putat, ad tolerandos facilius labores, velut muneri nobis esse traditam. Siquidem (inquit) & remiges cantus hortatur: nec solùm in ijs operibus, in quibus plurium conatus iucunda voce conspirat, sed etiam singulorum fatigatio, quamlibet serudi modulatione solatur. Quis enim nescit, aut quis non ferè quotidie audit, laborantes, atq; opus facientes agricolas, artifices, & mares, & fœminas in ipsis laboribus medijs aliquo sese cantionis genere oblectantes. Quam rem in Georgicis ita Virgilius exprimit:

Georgic. 1.

Interea longum cantu solata laborem,
Arguto coniunx percurrit pectine telas.

Eclog. 1.

Et in Bucolicis:

Hinc

Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.

Cum enim hominem Natura nudum, & in nuda humo natali die statim ad vagitus & ploratum abijciat: nullumq; aliud ex tot animalibus ad lachrymas, & hoc protinus vitæ principio, generet, vt natus iaceat, manibus pedibusq; deuinctis, flens, & à supplicijs vitam auspicetur: voluit etiam eadem prouida parens Natura solatium aliquod tantis miserijs inuenire: itaque Musicæ dulcedinis sensum etiam ipsis infantibus ingenerauit: quo fit, vt nutricum nænijs, & varijs modulationibus mirificè recreentur, & cessantes à vagitu, iucundè sopiantur. Est enim tam hominis propria, tamque sensibus nostris coniuncta Musica, vt Plato censeat, Nihil facilius in teneras puerorum mentes ingredi, quàm varios canendi modos. Quod apertis & manifestis indicijs facilè quiuis intelligere potest. Quàm plurimi enim pueri nostra etiam tempestate reperiuntur, in omni parte Musices eruditi atque excellentes: cùm tamen in alijs artibus aut scientijs nullus omnino puer excellat. Neque tantùm homines ipsi, sed etiam bestiæ, cantu Musicaq; delectantur. Nam Plinius ait, Ceruos fistularum sono mulceri. Strabo tradit, Elephantos cantu plurimùm oblectari. Pindarus testis est, Delphines citharæ sono mira quadam exultare lætitia. Compertum est etiam vsu ipso, Multos tintinabulorum sonitu strepituque valde gaudere: qua de causa muliones, vt facilius in itinere sarcinarum onera laboresque tolerent, mulorum collo plurima suspendere tintinabula solent. Quid in bello, nonne tubarum clangore, & tympanorum pulsu non

2. de Rep.

Plin. Nat. Hist. lib. 8. cap. 32.

su non minùs equi, quàm milites animantur? Qui a-
uium ille tam varius, tamque multiplex concentus in
agris, nonne declarat apertè, Musicam ipsis etiam ani-
Plin. Nat. Hist. lib. 10 cap. 28. *bus à natura datam & ingenitam? Nam luscinia (si*
Plinio credimus) cantum edit, perfecta Musicæ scien-
tia modulatum: & tam paruulis in faucibus omnia
concinuntur, quæ tot exquisitis summo ingenio atq; in-
dustria instrumentis ars hominum excogitauit. Non
est autem mirū, si in rebus omnibus Musica plurimùm
valeat: cùm totus hic mundus inferior, & omnia, quæ
in eo sunt, à cœlesti corpore pendeant, atq; ab eo vim,
ortum, & incrementum accipiant: præstantissimi ve-
rò Philosophi subtilissima indagatione deprehende-
rint, totum mundum, & globos præcipuè cœlestes, atq;
ipsam mundi animam ab immortali Deo Musicæ ra-
tione fuisse procreatam: atq; ideo magnum quendam,
& dulcem sonum impulsu & motu ipsorum orbium ef-
fici existimāt, qui acuta cum grauibus temperans, va-
Cic. de Somnio Scip. *rios æquabiliter concentus efficiat, quem docti homi-*
nes neruis imitati atq; cantibus, aperuere sibi reditum
in cœlum. Et Græci quidem, vt Eusebius testis est, Mu-
sicæ harmoniæ inuentionem Dionysio attribuunt. Ipsi
verò Eusebius Zethum & Amphionem fratres, qui
Cadmi temporibus fuerunt, Musicæ repertores fuis-
Nat. Hist. lib. 7. c. 56. *se. Plinius etiam ab Amphione repertam Musicam scri-*
bit: de quo sit Horatius:

Dictus & Amphion, Thebanæ conditor vrbis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
In Arte Poet. *Ducere, quò vellet.* *Solinus Musicæ*

studium è Creta insula promanasse credidit, quod ibi
ludi

Idæi Dactyli crepitu ac tinnitu æris deprehenderint, & in ordinem ac proportionem transtulerint. Polybius Arcadibus acceptam Musicam refert, qui semper huius artis studiosi fuerint: quod etiam Virgilius in Bucolicis innuit, cùm ita scribit: Eclog. 10.

cantabitis Arcades, inquit,
Montibus hæc vestris, soli cantare periti
Arcades. Et alibi: Eclog. 7.
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati.

Quod ideo fortasse memoriæ traditū est, quia Pan, Deus Arcadiæ, fistulam inuenisse perhibetur. Virgil.

Pan primus calamos cera coniungere plures Eclog. 2.
Instituit. Harmonias tamen vocum à Mercurio fuisse excogitatas, Diodorus Siculus primo libro auctor est: à quo etiam lyra siue cithara fuisse inuenta traditur: vnde Horatius de Mercurio, Lib. 1. Od. 10.

Te canam magni Iouis, & Deorum
Nuncium, curuæq; lyræ parentem:

eam Apollini postea Mercurius dono dedisse dicitur: qua ita se Apollo exercuit, vt optimus omnium citharœdus euaserit, & Orpheum etiam filium suum, quem ex Calliope Musa susceperat, ita docuerit, vt non feras modò, sed saxa etiam, syluasq; cantus suauitate duxerit. Virgilius: Epigram. 7

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouisse sensus acrium ferarum
Atq; amnes tenuisse vagos.

Quod figmentum Horatius in Arte Poëtica sic interpretatur:

Syluestres homines sacer interpresq3 Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ab hoc lenire tigres, rapidosq3 leones.

Cap. 3. *Iosephus de Iudæorum Antiquitatibus libro primo tradit, Iubalem, Lamechi filium, Musicam artem primum coluisse, & Psalterium ac Citharam potissimum laudasse:* Gen. 4. *quod etiam in Sacris literis scriptum legimus. Itaq3 veram hanc esse sententiam existimare debemus, vt ab Hebræis ad Ægyptios, ab Ægyptijs ad Græcos Musica, sicut etiam literæ cæteraq3 artes ingenua, promanarit: quam ita postea viri sapientes adamarunt, vt neminem satis eruditum putarent, qui non artem Musicam percalleret. Sunt qui tria Musicæ dicunt fuisse principia: Mœrorem, Voluptatem, atq3 Enthusiasmum, hoc est, diuinum afflatum. Nam in mœrore Musicam adhiberi nostro quoque tempore videmus; vt in mortuorum exequijs ac funeribus, quæ Sacerdotum cantibus procurantur: quæ quidem cõsuetudo fuit antiquissima:* Fastor. 6. in fine. *vt apud Ouidium:*

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Quamuis sedandæ potius tristitiæ, quàm incitandæ causa, reperta esse Musica videatur: vnde magnam secum afferre voluptatem consueuit, & tristes animos atq3 afflictos mirabiliter recreare. Quod ita perspicuum, vt nullius omnino probationis indigeat. Qui vero diuino sunt afflati Numine, ij plerunq3 solent futura cantu prædicere: sicut apud Virgilium Sibylla, cùm esset Æneæ vaticinatura: Aen. 6. in princ. *de qua ita Poëta scribit:*

maiorq3 videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando

Lam

Iam propiore Dei.

Et alibi Anchises ita inquit: Aen. 3.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Sed iam de origine, atq; antiquitate Musicæ satis diximus: Nunc de formis eius, & partibus aliqua percurramus. Tres enim Musicæ species eruditi viri constituunt: Mundanam, Humanam, & quæ Instrumentis conficitur. Mundana Musica ea dicitur, quæ ex cœli conuersione, elementorum compage, & temporum varietate colligitur. Est enim in omnib. Mundi partibus conuenientia quædam & proportio musica: quæ dū cœlestes globi mouentur, suauissimos sonos efficit: quamuis Aristoteles leuibus quibusdā argumentis antiquam hanc Pythagoræ, Platonis, reliquorumq; bene sentientium Philosophorum opinionem refellere conatus sit. Lib. 2. de cœlo ca. 9. *Verùm nostri etiam Theologi non tantùm Platonicos, quantum veritatem ipsam, & diuina secuti Oracula, suauissimum in cœlo sonum, dum orbes assidua conuersione voluuntur, perpetuò fieri confirmant. Neq; enim (vt ait Orator) silentio tanti motus incitari possunt: & natura fert, vt extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acutè sonent. Quamobrem summus ille cœli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto & excitato mouetur sono; grauissimo autem hic lunaris atq; infimus. Atq; hac de causa Dorilaus dixit: Mundū nihil aliud esse, quàm musicū diuinitatis instrumentū: quia illi cōcordes in cœlo globi dulcissimos emittant sonos; quos tamē aures nostræ multis de causis capere non possunt: sed cùm animus ex hoc tenebroso domicilio in illam clarissimā, atq; æternam domum cōmigrabit,* Cicer. de Som. Scip.

grabit, tum cœlestis illius harmoniæ mirifica dulcedine perfruemur: quemadmodum sempiternis saculorum ætatibus Spiritus illi diuini, quos Plato Sirenes, nostri Theologi Angelos vocant, iam fruuntur, & vnà cum motu cœlesti iubilantes canere, Deumq; rerum omnium parentem, celebrare non desistunt. Neque aliud antiqui Philosophi, nouem Musas à Poëtis tamopere celebratas esse, voluerunt, quàm musicos octo globorum cœlestium sonitus, & vnam omnium simul consonantiam, quam orbes efficiunt. Vnde Hesiodus in Theogonia Musam octauam, ab ipso cœlo deducto nomine, Vraniam vocat: quòd sursum versus septem errantes stellæ primò nobis occurrant; cœlum verò stelliferum sit octauum: nonam autem Musam, quam efficit sonorum omnium concors vniuersitas, Calliopen appellat, ex nomine vocis dulcedinem volens indicare. Nam Apollinem Musarum Præsidem ideo dicunt esse, quòd Sol sit dux & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio: qui medio in loco Planetarum constitutus, lumine suo moderatur. Ab hac persuasione, fideque, quòd cum suauissimo sonitu cœlum moueatur, fluxit ea consuetudo (sicut ait Macrobius) vt soni musici sacrificijs adhibeantur, atque vt mortui ad sepulturam cum cantibus efferantur. Persuasum enim plerisq; habent, proborum hominum animos post mortem ad originem musicæ dulcedinis, hoc est, ad cœlum reuerti, & ibi perpetua frui beatitudine. Quin ideo in hac vita musicis sonis animum oblectari sapientiores existimant, quòd è cœlo veniens, in corpus hoc eius Musicæ quandam memoriam deferat, quam

quam antea iam in cœlo deguſtaret. Nam homines omnes ita iucundis cantibus deliniuntur, vt nullum ſit tam immite, tam aſperum, tam efferatum pectus, quod non oblectamentis huius ſcientiæ capiatur. Neque ſanè mens noſtra quicquam præſtantius optare poteſt, quàm vt his corporeis vinculis abſoluta, cœleſtibus illis animis tandem aſſocietur, vt cum eis ſempiterna & ineffabili Muſicæ ſuauitate perfruatur. Humana verò Muſica vocatur ea, qua corpus hoc noſtrum animæ ſociatum eſt, quaq; animæ partes inter ſe bene conueniunt, & ſummæ rationi parent, vt & ea concordia virtutum omnium pulcherrimus quaſi concentus efficiatur. Nam animam noſtram, non aliter atque illam generalem totius Mundi animam, ex harmonicis numeris conſtare, ſapientes viri tradiderunt: vnde homo Paruus mundus appellatur. Sicut igitur totum cœlum muſica ratione perfectum eſt: ita etiam totus homo. Atque hæc quidem cauſa eſt, cur Plato atque Ariſtoxenus ex ijſdem numeris, quibus omnis harmonia contexitur, animam etiam noſtram eſſe conflatam velint. Quin etiam certa numerorum ratione corporibus animis coniungi putant: qui numeri dum ſuperſunt, & ordinem ac proportionem muſicam ſeruant, corpus viuere perſeuerat: cùm autem deficiunt, confeſtim arcana vis illa ſoluitur, qua ſocietas ipſa conſtabat: & hoc eſt, quod Fatum (vt ait Macrobius) & fatalia vitæ tempora nominant. Neque tantùm anima corpori muſicis harmonijs copulatur: ſed etiam elementa, quibus corpora conſtant, inter ſe non ſine muſica ratione commiſcentur. Vnde Hierophilus Medicus

μικρόκοσμος. In Timæo.

dicus venarum atque arteriarum pulsus per musicos rhythmos moueri credidit. Hæc est igitur humana Musica, ex quatum anima ipsa constatur; tum animæ partes inter se conueniunt: tum ipsi corpori animo copulatur: tum denique elementorum diuersæ qualitates in humano corpore connectuntur, & bene sociantur. Socrates tamen humanam Musicam in voce atque actione constituisse videtur: sed Aristoxenus & in voce, & in corporis motu. Theophrastus non tantùm in his, sed etiam in animi cõmotionibus humanam Musicam collocauit. Quamobrem rectissimè colligi potest, eum, qui concinnè atque aptè vocem, corpus, & animum moueat, humanæ Musicæ peritum esse: quamuis nullam canendi rationem aut artem teneat. Canendi enim ars atque ratio ad tertiam Musicæ speciem pertinet: de qua, iam tempus est, vt aliqua dicamus. Est igitur Tertia Musicæ species ea, quæ instrumentis, ex hominis ingenio atque industria, conficitur. Instrumenta verò Musica, vel naturalia sunt, vel artificiosa. Naturalia dicimus instrumenta, quibus vox humana suaui quadam harmonia regitur, & per artem Musicam dulci modulatione conformatur: vt pulmones, guttur, lingua, palatum, dentes, & labra: quæ, si benè conueniant, & naturæ dono claram atque suauem vocem efficiant, ars ipsa deinde naturam adiuuans, perfectum facit Musicum reddit. Hanc autem nonnulli Musicam Harmonicam vocant, quæ vocem regit, & numerum habet, & certam soni per tempora dimensionem. Quare tria potissimùm in se continet: Verba, Numeros, atque Ictus. Huic vicina atque finitima est ea, quæ certis

certa pedum ratione conficitur, & metris constat: vnde Metrica Musica nominatur, & frequentiori nomine Poëtica: quam Poëtæ doctorum genus antiquissimum, vt putat Cicero, profitentur. Quæ quidem Musicæ pars (vt initio diximus) longè lateqúe patet, & varia atque multiplicia carminum genera, plurimas scientias, atque artes vna complectitur: vt nemo possit omni laude cumulatus esse Poëta, qui non omnium maximarum rerum cognitionem fuerit assecutus. Quòd autem Poëtica Musicæ arti, tanquam pars quædam, subiiciatur, licet nemini ferè sit incognitum: tamen etiam ex eo facilè potest intelligi, quod ipsi Poëtæ canere se profitentur, & Comici, Tragici, Lyrici Musicam artem exercere dicuntur. Quin Socrates, cùm in somnis ab Apolline fuisset admonitus, vt Musicæ operam daret, carmina pangere, versusqúe facere aggressus est. Præterea Musarum Aues à Græcis Poëtæ vocantur, quibus ipsæ Musæ dicuntur præsidere, itaque frequenter eas in Poëmatibus suis inuocant, & omnem eis scientiam acceptam ferunt. Is verò, qui sine magno labore versus laudabiles facit, apertas Musarum ianuas habere prædicatur: vt penè soli Poëtæ verè Musici possint appellari. Sed de Arte Poëtica seorsum alibi plura diximus. Nunc ad propositum redeamus. Iam enim docuimus, quæ naturalia sint Musicæ artis instrumenta: nunc videndum est, quæ sint artificiosa. Quæ quamuis penè innumerabilia sint: tamen vna in notione omnia percipi, atque comprehendi possunt. Quæcunque enim vel tactu, vel pulsu, vel flatu modulatum & artificiosum concentum efficiunt,

Tusc. Qu. lib. 1. in pr.

Infrà Orat. 24.

unt; ea Musica instrumenta nominantur: qualis ejusmodi thara, psalterium, organum, tibia, cæteraq; eius generis plurima: quibus in singulis excellere per magnum est: rarissimi autē in pluribus excellunt: nulli in omnibus. Sunt enim, qui fidib. egregiè sciunt, & tamen aut nablia tangere, aut tibiam inflare nesciant. Sed antiquis temporibus præ cæteris omnib. musicis instrumentis Citharam, quæ eadem lyra dicebatur, in maximo honore ac precio fuisse notauimus: vt citharœdi cæteris artificibus musicis longè antecellerent: quo factum est iam tritum vetustate prouerbium: Aulœdus sit, quis citharœdus esse non potest. Quatuor autem tantum chordas initio Citharæ dicitur habuisse, quas Mercurius excogitauit: deinde Chorœbus Lydorum rex quintam addidit; Hyagnis Phrygius sextam; septimam Terpander Lesbius, septem errātium stellarum numerum & similitudinem secutus, quæ septem distinctos inter. uallis sonos efficere motu perpetuo dicuntur: vnde vocum etiam septem discrimina Musici notauere: de quibus Virgilius Orpheum celebrans:

Plinius Nat. Hist. lib. 7. c. 56.

Aen. 6.

Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Iamq; eadem digitis, iam pectine pulsat eburno.

Et in Bucolicis ita pastor ille gloriatur,

Eclog. 2.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim.

Octauam postea citharæ chordam Simonides addidit, vt Plinius auctor est: nonam Timotheus: quia nouem esse Musæ perhibentur. Tria sunt igitur Musicorum Artificum genera, quæ maximam & honestissi-

Nat. Hist. lib. 7. c. 56.

mam

mam animis nostris oblectationem afferre solent. Vnum eorum, qui voces & numeros obseruant, & modulationes suas cantusq; assa voce concinunt. Alterum eorum, qui Poêtæ vocantur, & pangendis carminibus studium & operam impendunt. Tertium eorum, qui musicis instrumentis tangendis aut inflandis, aut pulsandis, artem suam ostendunt. Illud etiam obseruatione dignum est, Apud veteres Cantionum genera nomen à gentibus ducere solita. Nam aliqui cantus Phrygij dicebantur, aliqui Dorij, aliqui Lydij, aliqui Æolij. Quæ quatuor genera priscis illis temporibus præcipuè viguerunt. Phrygius cantus partim ad oblectationem animi, partim ad pugnas excitandas adhiberi cõsueuerat: qui cùm acrius intenderetur, quasi furore quodam ad prælium animos inflammabat. Dorius ad honestatem, castitatemq; precipuè animum componere putabatur. Lydius intelligentiam acuere, & à terrenis rebus ad cœlestes ac diuinas cogitationem extollere. Æolius animi perturbationes sedare, somnumq; iam pacatis attribuere persuasum erat, In serijs autẽ rebus Dorium cantum adhibebant: in iocosis vero Phrygium: itaq; cùm lætius ac iucundius aliquid vel dicendum, vel optandum esset, A Dorio, dicebant, ad Phrygium. Atq; hæc de Musicæ partibus dicta sufficiant. Nam omnia diligenter persequi, sicut ij solent, qui de ipsa Musica scribunt, nostri non est instituti. Reliquum est, vt aliqua de viribus & vtilitate Musicæ dicere aggrediamur. Quod cum fecero, perorabo. Maximas esse vires in hac arte, declarat illud, quod præstantes Musici, quoties libet, animos hominum audientium

vel in perturbationes varias impellunt, vel ad tranquillitatem reuocant. Nam Timotheus in arte musica celeberrimus, cùm in conuiuio Phrygium cantum incepisset, vsq; eò regem Alexandrum incitauit, vt statim ad arma capienda prosiliret: atq; eundem, iterùm mutata modulatione, reduxit in conuiuium. Pythagoras ebrium ac furentem adolescẽtem cantu mitiorem, & sui compotem reddidit. Quid Empedocles, nonne virum & incolumem ab inimicis hospitem suũ musicæ artis præsidio seruauit? Iã verò Terpander & Arion musicis cantionibus ciues suos à grauissimis morbis erexerũt. Xenocrates modis Organicis lymphaticos curabat. Thales Cretẽsis citharæ suauitate morbos & pestilentiam fugabat. Asclepiades Medicus phreneticorũ mores per symphoniam sanitati restituebat. Ismenias Thebanus multos ex Bœotijs, qui doloris ischiatici tormentis vexabantur, ab eo morbo cantu liberauit. Tantam verò priscæ Philosophiæ studijs dediti musicæ artis vim esse cognouerunt, vt Pythagorici, cùm vesperi cubitum ire statuerent, quibusdam cantilenis vterentur, vt lenis & quietus sibi somnus irreperet: eadem ratione matutino tempore surgentes è lecto, somni stuporem, mentisque caliginem alijs cantibus eijciebant. Plato libro Legum septimo musicam omne genus Deorum cultus arbitratur. Apud Homerum Vlysses eam demum viuendi rationem optimam esse vult, cùm latis hominibus.

Odyss. 9. v. 3. & seq.

Conuiuas aliquis cantu demulcet amœno
Ordine dispositos. Quippe vitæ degendæ ratio
non tantùm honesta esse debet: (vt ait Aristoteles) ve-

Moral. Eudem. lib. 1. cap. 1.

rùm

rùm etiam iucunda omnium consensu: quandoquidem in his duobus beata vita consistit. Musica verò sine dubitatione in ijs rebus ponenda est, quæ summam afferunt voluptatem, siue nuda sit, siue concentu cõiungatur. Itaq; Musæus rem suauissimam Cantum ait esse mortalibus. Rectè igitur eam & in consuetudine, & congressibus, & in vita adhibent homines, quòd voluptatis sit effectrix. Ex quo intelligi potest, eam pueris esse discendam. Nam quæ res voluptatem sine detrimento afferunt, eæ non solùm cum fine congruunt, sed etiam ad quietem pertinent. Huc accedit, quòd musica animi habitum rectè constituere potest: quia nobis cum harmonijs ac numeris quædam videtur esse cognatio: quare multi sapientes tradunt, partim animum esse harmoniam, partim harmoniam habere. Illud autem permirum esse videtur, quòd Plato quarto de Republica libro tantam vim in musica esse censet, vt musicis cantibus immutatis, mutari ciuitatum status existimet. Quocirca plures Græcorum ciuitates, (vt Martianus affirmat,) ad lyram leges decretaque publicarecitabant. Quid multa? Tanto semper in honore ac precio, propter excellentem vtilitatem, musicæ fuit, vt nemo paulò doctior atque ingenioſior vnquam fuerit, quin ei plurimam operam impendere voluerit, & præstantes musicos ita suspexerit, quasi diuinos quosdam, & multùm supra se positos homines. Itaque Socrates Philosophorum sapientissimus, iam senex institui lyra non erubuit: dicens, Satiùs esse, præclaram artem serò, quàm nunquã perdiscere. Plato ciuili viro non tãtùm vtilem, sed etiã necessariam, musicam

Lib. 3. de Repub.

cre-

credidit. Duces maximos & fidibus & tibijs cecinisse traditum est. Achillem, Græcorum fortissimum, lyra cantu mirificè delectari atq; recreari solitum memorarant: quam artem à Chirone magistro, sapientissimo viro, didicerat: quem imitatus Alexander Magnus, citharæ sono frequenter maximas animi curas ejiciebat. Epaminundam, Græciæ Principem, fidibus optime cecinisse testis est Cicero. Dauidem regem sanctissimum, tantùm citharæ præstitisse memoriæ proditum est, vt iuuenis adhuc & penè puer, Saulis regis animum bilem, & dæmoniacas vexationes artificioso cantu tranquillaret. Lycurgus, durissimarum Lacedæmonijs legum auctor, Musices disciplinam probauit: & Thales Cretensis magno stipendio conductus est à Lacedæmonijs, vt pueros eorum Musicam edoceret. Quin exercitus Lacedæmoniorum Musicis accendi solitos modis ad prælium fama traditur: sicuti Romanæ legiones cornibus & tubis accendebantur: quorum concentu quantò erat vehementior, tantò Romana in bella gloria cæteris præstabat. Iam verò Grammatica quædam & Musica iunctæ fuerunt. Nam (vt Quintilianus ait) Archytas atque Aristoxenus etiam subiectam Musicæ Grammaticam putauerunt: & apud antiquos ijdem erant vtriusque rei Præceptores. Summam autem eruditionem Græci solam censebant in neruorum vocumq; cantibus: vnde etiam ille mos, vt in conuiuijs post cœnam lyra circumferretur: quam cùm Themistocles recusaret, est habitus indoctior. Quin etiam Romani veteres huic Arti plurimam operam impendebant. Maiores enim natu in conuiuijs (vt

Tusc. Qu. lib. 1. in pr.

1. Sam. 16.

Inst. Orat. lib. 1. ca. 17.

Tusc. Qu. lib. 1. in pr.

Vale-

Valerius Maximus scribit) ad tibias egregia superiorum opera, carmine comprehensa, pangebant, quò ad ea imitanda iuuentutem alacriorem redderent. Et tertio de Oratore Crassus inquit: Quorum illa summa vis carminibus est aptior & cantibus: non neglecta, vt mihi videtur, à Numa rege doctissimo, maioribusque nostris, vt epularum solennium fides, ac tibiæ, Saliorumq; versus indicant. Et de Legibus secundo Cicero sic ait: Honoratorum virorum laudes in concione memorantur: easq; etiam ad cantus, ad tibicinem prosequantur. Quia verò Musica semper diuina quædam res habita fuit: ideo iam inde à priscis illis temporibus perpetuò rebus sacris adhiberi solita est: vt nulla omnino sacrificia, nullæ supplicationes, nullæ solenniores preces sine cantu fierent. Nam hoc etiam à sanctissimo rege Dauide præcipitur, vt psalterio, cithara, tuba, tympano, fidibus, organo Deum laudemus. Et apud omnes ferè nationes Deorum laudes cantu Musicaq; celebrantur: nostraq; Religio passim in templis omnibus & vocibus, & musicis instrumentis personat. Quæ res profectò declarat, omnium gentium consensu Musicam artem præstantissimam & sanctissimam fuisse semper existimatam: &, qui ea non delectarentur, rudes & imperitos haberi solitos: vt etiam in Græcorum prouerbio celebratum sit: Indoctos à Musis atq; Gratijs abesse. Vos igitur, Viri Mediolanenses, omni studio, cura, diligentia prouidere debetis, ne tam infame prouerbium in vos iactari meritò possit. Itaq; toto pectore, atq; omnibus (vt aiunt) vnguiculis tam præstantem, atq; eximiam artem amplecti, & iam in

Lib. 2. Cap. 18

Pag. 161. a

Pag. 182. b

Psal. 150.

Quint. Instit. Orat. lib. 1. c. 17.

hac

hac disciplina plurimùm laborare debetis: & in ea
cipuè musicæ parte, quæ à diuino quodam afflatu, seu
furore proficiscitur, quam Poëticam appellamus: in
qua tum in animis oblectandis, tum in moribus compo-
nendis, tum in celebrandis Heroum Deorumq; laudi-
bus, potißimùm excellunt: qui, quoniam ad lyram car-
mina sua concinebant, Lyrici fuerunt appellati. Qui-
licet plurimi fuisse memorentur: duo tamen eminentia
habentur præstantißimi: apud Græcos Pindarus: apud
nos Q. Horatius, qui (sicut ait Quintilianus) fere solus
Lyricorum Poëtarum legi dignus est. Nam & ingre-
git (inquit) aliquando, & plenus est iucunditatis &
gratiæ, & varijs figuris, & verbis fælicißimè audet.
Cumq; duo sint, quæ Poëta præstare debeant, hoc est,
vtilitas & voluptas: nemo sanè vel dicendi figuris, ve-
trorumque varietate iucundior Horatio, vel recondi-
ta doctrina, crebrisq; sententijs vtilior inueniri po-
test. Cuius nos Odas sic interpretari, quoad facultas
nostra feret, enitemur, vt tanti Poëtæ summam sen-
entiam rerumq; variarum cognitionem vobis lucu-
riùs explicemus. Sed quamuis musica suauitas nos ad
illecebriu ad se traxerit, & multa de præstantia ei
nos dicere coëgerit: non tamen ideo veterem Amicam
nostram, cuius delicijs iampridem innutriti sumus, &
quæ nos gremio suo, longo iam tempore mira quadam
beneuolentia detinet, omnino deserere volumus: ea
verò est Dicendi ratio, & Rhetorica doctrina Cicero-
nis: quam (vt scitis) ego semper plurimùm adamaui.
Quare cùm aliâs Oratorem ad Brutum interpretati
fuerimus: tamen vnà cum Horatio, libros etiam illos de

Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

de Oratore ad Q. Fratrem, qui totam dicendi viam & rationem, & elegantißimè & copioſißimè pateſaciũt, interpretabimur: vt vno eodemq; tempore & Poêticæ mella, & Oratoriam dulcedinem nõ tantûm deguſtare, ſed etiam haurire pleno ore valeatis.

DE ARTE POETICA.

ORATIO XXIV.

SI quis eſt veſtrum, Viri Mediolanenſes, qui fortè cenſeat, aut me, cuius ingenium eſt perexiguum, aut quenquam alium, qui maiore quadam orationis vbertate copiaq; ſcateat, quanta ſit Artis Poêticæ præſtantia, dicendo ſatis commodè explicare poſſe: is certè aut ſanctißimas muſarum fores nunquam penetraſſe, aut eloquentiæ plus facultatis atque virium, quàm ipſa veritas concedat, attribuere meritò iudicandus eſt. Quis enim totius humanæ vitæ magiſtram, benè beateq; viuendi ſpeculum, veritatis imaginem, omnis denique ſapientiæ fontem merita laude proſequatur? Ac mihi quidem, Auditores, quam

quamuis impellente nemine, mea vnius sponte tantùm, huius Artis ornandæ, publicèq; docendæ prouinciam susceperim: tamen cùm immentem venit, quæ sit eius maiestas, quæ amplitudo, quæ dignitas, vt non tantùm Arti Rhetoricæ, quam tres annos superiores proximos ex hoc loco docuimus, verùm etiam cæteris omnibus artibus & scientijs antecellat: profectò videor humeris meis nimis magnum onus imposuisse, quod vix me ferre posse intelligo, nisi vestrum istud incredibile audiendi studium, & humanitas erga me singularis illud aliqua ex parte subleuet. Est enim ab ingenioso Poëta verissimè dictum:

Ouid 4. de Ponto Eleg. 2.

Excitat auditor studium: laudataq; virtus
Crescit: & immensum gloria calcar habet:

vt nihil omnino reperiatur, quod magis dicentem ad docentem adiuuare soleat, quàm audientium fauor, & approbatio. Quare si quis fortasse Deus vestras ab alijs rebus omnibus mentes auerterit, & ad me diligenter audiendum inclinauerit: quamuis plenè, perfectèq; (quod nullo modo fieri potest) Poëticam artem exornare minimè valeam: tamen illud efficiam profectò, vt intelligatis, nullum hac Arte bonum vnquam optabilius, nullum præstantius, neque datum esse mortalium generi Deorum concessu atq; munere, neq; posthac datum iri. Principiò satis constat, id esse verissimum, quod sapientissimi quiq; viri semper censuerunt. Nihil esse in homine, sagaci ac bona mente melius. Si igitur mentē, quæ pars est hominis præstantissima, longè perfectiorem & diuiniorem ab Arte Poëtica, quam ab vlla alia disciplina, fieri solere docuerimus: nemo

dubitans

dubium esse poterit, quin hæc ars omnium excellentissima sit, ac maximè diuina. Quid est autem, quod magis mentem nostram perficiat, quam rerum diuinarum atq; humanarum cognitio? quæ licet multis nominibus appelletur, tamen grauissimo nomine Sapientia dicitur: quam eandem Poeticam & Philosophiam eruditissimi viri nominarunt. Maximus enim Tyrius, auctor grauissimus, eleganti oratione probat, Sapientiam & Poëticam rem quidem esse nomine duplicem, sed natura simplicem, minimeq; re ipsa differentem. Quod si quis est, (inquit) qui Poëticam à Sapientia differre putet: idem est, ac si quis existimet, diem aliud esse, quam Solis lucem terras illustrantem, aut cursum Solis supra terram aliud esse, quam diem opinaretur. Hoc idem vir doctissimus Strabo, contra Eratosthenem scribens, qui flagitiosè ausus fuerat, Poëticam nihil aliud esse, dicere, quam anile deliramentū, multis rationibus & argumentis affirmat. Antiqui verò (inquit) primam quandam Philosophiam esse Poeticam affirmarunt, qua nos ab ineunte ætate ad honestas viuendi rationes adducit; quæ bonis moribus instruit, quæ motus animi turbidos placat, ac regit; quæ res gerendas summa cum iucunditate præcipit. Quin veteres, illi prudentissimi viri, solos Poëtas sapientes esse crediderunt: quocirca Græcorum ciuitates ab initio liberos suos Poeticam in primis doceri voluerunt: non tantū quia maximam animis afferre voluptatem solet, quā vt ab ea casti animi moduratione vti discerent. Nā Poëtæ, vt sunt, ita etiam se morū magistros, & emendatores esse profitentur. Qua in sententia non

modò Pythagorici omnes, sed etiam Aristoxenus Musicus fuit. Et Homerus ipse Poetas appellat σωφρονιστάς, quòd intemperantes homines ad temperantiam docere soleant: qualis ille Poëta fuit, quem rex regum Agamemnon, cum ad Troianum bellum proficisceretur, vxori suæ Clytæmnestræ custodem apposuit. Neq; sanè Aegisthus, adulter improbissimus, decipere Clytæmnestram potuit, priusquam (vt ait idem Homerus)

Odyss. 3.
Δὴ τότε τὸν μὲν ἀοιδὸν ἄγων ἐς νῆσον ἔρημον.

Abductum Vatem deserto in littore liquit:
Ipsam deinde alacrem proprias perduxit in aedes.

Longè enim melius Poëtæ, quàm vlli Philosophi honestè viuendi viam ac rationem, & morum præcepta tradiderunt. Quod ad Lollium scribens Horatius sic attestatur.

Lib. 1. Epist. 2.

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Prænestè relegi.
Qui, quid sit pulchrũ, quid turpe, quid vtile, quid nõ,
Plenius ac melius Chrysippo, & Crantore dicit.

De Poëtica

Quòd autem Poëtica sit eadem, quæ Sapientia seu Philosophia, innuit etiam Aristoteles, qui doctissimos & elegantissimos Platonis Dialogos, in quibus maximæ quæq; res, & diuinæ, & humanæ tractantur, inter Poëmata connumerat: quod idem etiam Maximus Tyrius facit. Neq; tantùm de vita & moribus Poëtæ philosophantur: sed etiam res occultas, atq; ab ipsa natura inuolutas scrutantur & explicant: quod satis ostendit Iopas ille Virgilianus: qui in conuiuio Didonis, arrepta cithara,

Aen. 1. in fine.

canit errantem Lunam, Solisq; labores:
Vnde hominũ genus, & pecudes, vnde imber & ignes,

Actu-

Arcturum, pluuiasq; Hyadas: geminosq; Triones:
Quid tantùm Oceano properent se tingere Soles
Hyberni: vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Quæ cùm ita sint: quis dubitet, omnem mentis atq; animi nostri perfectionem à Poëtica manare? cùm ab ea rerum omnium, & diuinarum & humanarum, cognitio scientiaq; proficiscatur. Quid, illud quanti tandem æstimandum est, Poetæ, qui primi virtute & consilio præstanti extiterunt, perspecto genere humanæ docilitatis (vt Orator ait) atque ingenij, dissipatos homines vnum in locum congregarunt, eosq; ex feritate illa, qua priùs vtebãtur, ad iusticiam atq; mansuetudinem traduxerunt: tum res communem vtilitatem continentes, quas publicas appellamus; tum conuenticula hominum, quæ postea ciuitates nominatæ sunt, tum domicilia cõiuncta, quas vrbes dicimus, inuento & diuino & humano iure, mœnibus sepserunt? Quod etiam Horatius ita cecinit. Cic. pro P. Sestio. In Arte Poët.

fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis;
Concubitu prohibere vago; dare iura maritis.
Oppida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis Vatibus, atque
Carminibus venit.

Quod igitur M. Cicero primo de inuentione tribuit Eloquentiæ, quinto verò Tusculanarum ad Philosophiã transfert, id sine vlla dubitatione, Poëticæ, proprium est, quæ omnium laudatarum artium parens, & procreatrix semper fuit. Quare longè verius de Poëtica, quàm de Philosophia, quæ Poeticæ quasi quædã filia est,

idem poterat ita M. Tullius exclamare: O vita Poëtica dux. O virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum! quid non modò nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu vrbes peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ conuocasti: tu eos inter se primò domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum & vocum communione vinxisti: tu inuentrix legum, tu magistra morum & disciplinæ fuisti. Hanc verò tantam laudem communis eruditorum consensus Orpheo, diuino Poëtæ tribuit, de quo ita Virgilius:

Epigram 7

Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit:
Doctaq; vitam voce temperauit:
Iusticiam docuit: cœtu quoq; congregauit vno:
Moresq; agrestes expoluit Orpheus.

Et quoniam Antiquitas rebus præclaris maiestatem quandã afferre solet: Tantò enim præstantiora quæq; iudicantur, quantò antiquiora esse creduntur: videamus, quæ Poëticæ fuerit origo: Sic enim facilè quinam intelligere poterit id, quod volumus: Nullum esse Scriptorum genus Poëtis aut antiquius, aut diuinius. Marcus quidẽ Cicero primo Tusculanarum ait: Apud Græcos antiquissimum è doctis genus fuisse Poëtarum: siquidem (inquit) Homerus fuit & Hesiodus ante Romam conditam; Archilochus regnante Romulo. Sed tamen non satis his verbis Cicero, quod nos quærimus, explicat. Illud quidem certè satis constat, multò ante fuisse Poëticam, quàm Oratio soluta reperta fuerit; quod Eustathius in Homerica Iliade, & primo Geographiæ Strabo testatur. Cadmum enim aiunt, & Pherecidem, & Hecatæum primos fuisse, qui solutam ora-

In princip.

ne

ne scribere cœperint: atq; ita paulatim quasi à summo quodam fastigio delapsos fuisse scriptores à Poëtica ad Artem Oratoriam. Plato quidem tertio de Legibus tam antiquos esse Poëtas existimat, vt eorum genus diuinum esse dicat, & à Deis ortum, atq; etiam à Deis agi solitum: sicut in Ione, Non arte, sed afflatu diuino fieri Poëtas affirmat: atque adiungit, Nihil aliud esse Poëtas, quàm Deorum interpretes. In Phædro præclara Poëmata non esse, ait, hominum inuenta: sed cœlestia munera. Quẽ imitatus M. Cicero, pro Archia Poëta sic ait: Atqui sic à summis eruditissimisq; hominibus accepimus; Caterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis, & arte constare: Poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi diuino quodam spiritu inflammari. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat Poetas, quòd quasi Deorum aliquo dono atq; munere cõmendati nobis esse videantur. Ante bellũ Troianum Poetas quosdã fuisse pleriq; tradunt. Pausanias Olenem quendam primum Poetam nominat. Marcus Cicero de Claris Oratoribus ita scribit: Nec dubitari debet, quin fuerint ante Homerum Poetæ: quod ex eis carminibus intelligi potest: quæ apud illum & in Phœacum, & in procorum epulis canuntur. Eustathius in præfatione Iliadis, Musæum & Syagrum Poetas ante Homerum fuisse memorat. Carmen autem Heroicum ab Apolline profectum fuisse, Plinius auctor est: quod etiã Pausanias & Plutarchus affirmãt. Eustathius Phœmonoën, Phœbi sacerdotem, primùm id genus carminis effudisse censet: quod Vida Cremonensis in Arte sua Poetica sic expressit:

Nat. Hist. lib. 7. c 57.

Munere conceſſum Phœbi, venerabile donum
Phœmonoes, quæ prima dedit (ſi vera vetuſtas)
Ex adyto haud alijs numeris reſponſa per orbem.

Ariſtoteles Poêſin ex imitatione primò natam fuiſſe cenſet: quoniam imitandi ſtudium ſit ab ineunte ætate cunctis hominibus innatum, qua in re à belluis homo differat. Qui igitur ad metrũ naturâ proclives fuerunt, eos ait Poêſim primò protuliſſe ex quodam imperito rudiq; principio, atque ex ſubita ac fortuita dictione. Sed deinceps ex hac imitandi ratione, quaſi in plura membra diuiſa Poêſis, multas in ſpecies abijt: atque ita Poêtæ dicti ſunt alij Comici, alij Tragici, alij Epici, alij Melici, alij Dithyrambici, alij alio nomine: nam pro cuiusq; natura & moribus, imitandi ſtudiũ proferebatur. Honeſtiores enim Poêtæ res egregias & præſtantes, & laudabiles actiones ſibi canendas proponebant: itaq; in Regum & Deorum conuiuijs, virorum excellentium laudes, resq; præclarè geſtas Heroicis carminibus concinebant, vt ad eas imitandas iuuenes excitarentur, & alacriores redderentur. Qui verò abiectiore eſſent animo, viles etiam & humiles actiones canere cœperunt, atq; hunc & illum irridere, ſalibusq; inuadere: vnde poſtea Comœdia atq; Satyra nata eſt. Nam intio res tantùm eximias ac diuinas Poêtæ pertractabant: itaque ſcribit Ariſtoteles, apud antiquos eoſdem fuiſſe Poêtas & Theologos. Quin Strabo neminem inter Poêtas connumerari ſolitum tradit, qui non idem etiam probus vir atque integer eſſet: vt omnino verißimum eſſe appareat id, quod Euſebius Pamphili memoriæ prodidit: Apud Hebræos, omnium

Ci. de opt. gen. Orat.

De Poëtic. cap. 2.

nium antiquissimas gentes, Artem hanc Poëticam primò inuentam atque excultam fuisse. Nam Iosephus etiam in Antiquitatibus suis scribit: Mosem, illum magnum Hebræorum imperatorem atque legislatorem, cùm ex Ægypto populum Hebræum in patriam reduceret, atque diuino consilio mare rubrum, vndis sua sponte cedentibus, transgressus fuisset, hexametro carmine Deo gratias egisse. Testatur etiam Hieronymus, & Iobam illum patientissimum virum, & Dauidem regem sanctissimum, & Salomonem sapientia clarum, & Esaiam vaticinandi peritissimum, Poëtas fuisse præclarissimos, qui omnia pulcherrimis carminibus opera sua conscripserint. Quid igitur hac arte antiquius aut nobilius: per quam iam inde ab initio diuina mysteria literarum monumentis tradita sunt? Nam & Oracula Deorum immortalium versibus edebantur, & Sibyllæ per carmina responsa dabant, & Lib. 2. c. 7.

dictæ per carmina sortes:

vt ait Horatius. Quare Poëtarum nomen tam sanctum semper habitum fuit, vt nulla vnquam illud barbaria violarit. Nam quondam etiam apud Gallos, feros atq; agrestes homines, tanti Poëtæ fiebant, vt quoties in populo seditiones aut prælia nascerentur: Poëtis interuenientibus, statim ab armis discederent: eis enim non parere, nefas esse iudicabant, cùm afflatu diuino tantùm impelli censerent. Tribus autem potissimùm signis Platonici probant, Poësin afflatū quendam, & quasi insaniam esse diuinam. Primò, quia cæteri homines nullā penitus artem percipere possunt, nisi In Arte Poët. Plato in Ione, seu de furore Poëtico.

præceptores habuerint, & multùm ac diu in ea se exercuerint: præclari verò Poetæ, quales fuerunt, Orpheus, Homerus, Hesiodus, omnium omnino scientiarum indicia plurima suis carminibus inserunt: per quæ facilè docent, se illas artes optimè callere, quamuis nunquam didicerint. Deinde, quia nonnunquam Poetæ repentino quodam animi motu res eximias, & admiratione dignissimas effundere solent: quas

Aeneid. 3. postea, calore illo animi sese paulatim remittente, vix ipsimet intelligunt: quasi non ipsi, sed Deus aliquis eorum ore locutus fuerit: quemadmodum apud Virgilium Sibylla: de qua sic ait:

Insanam Vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliis notas & nomina mandat.

Cic. 1. de Diuinat. pag. 97. b. In pr. v. 5. Ideo Democritus dicebat: Absq; diuino furore nullum magnum Poetam fieri posse. Quam sententiam Ouidius secutus, sexto Fastorum libro ita canere non dubitat:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Postremò signum aliud Poeticæ diuinitatis haud minimum est, quòd optimi Vates ab eorum nemine doctrina superantur, qui vel natura prudentiores esse videntur, vel longioribus magisq; assiduis studijs operam ingenuis artibus tribuerunt. Quare non sine causa Plato in Cratylo naturæ nominum & proprietatis solos Poetas veros esse doctores censet: & quamuis esset ipse omnium doctissimus: tamen Sophronis Mimorum Poetæ

Quint. Instit. Orat. lib. 1. c. 17. vsq; eò studiosus fuit, vt moriens libros eius capiti subiectos habuerit. Et sanè Plutarchus in Homeri vita, multis argumentis probat, Nullius Philosophiæ partem

He

Homerum expertem fuisse: quamuis post eum & nata, & alta omnis philosophandi ratio esse videatur. Quam rem quiuis paulò prudentior, etiam in Virgilio & Horatio nostro videre facilè potest: sic enim eleganter & eruditè scripserunt, nihil vt omnino videantur ignorasse: quod non ab humano ingenio, neq; ab arte aliqua, sed ab animorum diuina quadam inflammatione (quemadmodum Platonicis placere diximus) prouenire iudicandum est. Hac etiam de causa Poetarum Lib. 5. c. 11. lib. 12. c. 4.
sententijs (vt Fabius ait) non orationes modò sunt refertæ, sed libri etiam Philosophorum, qui eis tanquam Deorũ testimonijs vtuntur. Igitur optimè institutum est, vt sicut omnium rerum à Dijs immortalibus principia ducuntur: ita Poetarum carminibus teneræ puerorum mentes ab infantia statim imbuantur. Scitum Epist. 1.
est enim id, quod Epistolarũ secundo libro scribit Hora:

Os tenerum pueri, balbumq; Poeta figurat:
Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis:
Asperitatis, & inuidiæ corrector, & iræ.
Rectè facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur & ægrum.

Quid, quòd Plutarchus doctorum omnium approbatione censet, Omnis disciplinæ principium esse Poeticam? Nemo sanè poterit ad alicuius rei exitum (quod ait In Procœm. Inst. Orat. & li. 10. c. 1. in prin.
Fabius) nisi præcedentibus initijs peruenire: quò fit, vt nisi quis Poeticam discat, is omnis disciplinæ semper ignarus haberi debeat: at verò qui hac arte delectatur, is facilè deinde poterit ad aliarum disciplinarum fastigium ascendere. Verum est enim, quod ait Sophocles:

Initia si bona cuiq; des negocio,
Talem rei speres licebit exitum.

Lib. 9. de Repub.

Neque verò sunt audiendi quidam imperiti homines, qui poetas audent vituperare, quasi bonis moribus officientes: atq; in eo Platonem laudant, quòd ex ea ciuitate poetas eduxerit, quam finxit ille, cùm mores optimos, & optimum Reip. statum exquireret. Illud enim primùm omnino falsum est: cùm sanctissimas liceat ex optimis poetis passim sententias colligere, quæ honestè viuendi rationem edoceant: cumq; veri poetæ (quemadmodum superiùs demonstratum est) & boni viri sint, & vitæ magistri. Quod Diuum illum Augustinum, Religionis nostræ columen, & sapientissimum virum non fugit: qui apertè clamat, à poetis se vtilia multa didicisse: neque Hieronymum, & Ambrosium, & alios plurimos, insignes præstanti sanctimonia, viros, qui maximo studio poetarum scripta euolu-

tarunt: quod eorum Opera, poeticis referta verbis & sententijs, apertissimè declarant. Quòd autem è ciuitate sua Plato poetas eduxerit, id quidem nullum est contra illos argumentum: cùm præsertim alijs in locis plurimis idem Plato propè diuinis in cœlum laudibus eosdem efferat, & mirandum in modum admiretur. Verùm quemadmodum in ea ciuitate, vbi nullus omnino sit ægrotus, sed omnes bene valentes, & corpore bene constituto, nihil Medicis opus est: ita Plato, cum omnium beatissimam & sapientissimam fingeret ciuitatem, ex ea poetas eduxit: quoniam ei ciuitati, quæ iam optimum finem esset consecuta, nullis vitæ magistris, nullis institutionibus, nullis morum præceptis am-

pli-

plius opus esse videbatur, cùm per se contenta esset ad benè beateq; viuendum. Qua de re multa sunt à Maximo Tyrio quadam in Oratione copiosè & eleganter disputata. Quanto autem semper in honore ac precio, non tantùm apud eruditos homines, sed etiam apud Reges & Principes poetæ fuerint: nobis monumenta literarum atq; historiæ manifestò declarant: quas hoc in loco recitare, nihil est necesse: tantùm illa politissima Ouidij carmina, quæ sunt in tertio de Amandi arte libro, audite: quoniam ad hanc rem magnopere pertinent. Sic igitur Ouidius:

Cura ducum fuerant olim regumq; poetæ,
Præmiaq; antiqui magna tulere chori.
Sanctaq; maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

Sed si fortè quis est, qui dicat, non esse mirum, ab Ouidio Poeta poetas summopere cõmendari: is ad Ciceronem accedat, qui cùm alijs in locis plurimis, tũ pro Archia multis argumẽtis & exemplis probat, & ostendit, maximam semper fuisse poetarum gloriam. Sed quid hæc agimus? quasi verò cuiquam, in bonis artibus mediocriter erudito, dubium esse possit, quin, vt ab Oceano vis amnium, fontiumq; omnium cursus initiũ capit, ita à poetis omnes sapientiæ partes, & ortum & incrementum accipiant. Vnde enim illa copiosè loquens sapientia, domina rerum & regina, eloquentia? An non à poetis? Vnde illa rerũ obscurarum inuestigatio, ars reconditа, multiplex ac subtilis cognitio rerũ cœlestiũ &

æternarum? An non à Poetis? Vnde historia, fabulæ, rectè viuendi rationes, lumina mentium, ornamenta vitæ: vnde deniq; omnis excellentia, atq; gloria mortalium? An non à Poetis? Meritò igitur Lucanus, cùm hæc atq; alia multa videret, hoc modo exclamare non dubitauit:

Lib. 9. De Bello ciuili apud Pharsaliam.

O sacer & magnus Vatum labor! Omnia fato
Eripis, & populis donas mortalibus æuum.

Quæ cùm ita sint, cuinam dubium esse potest, quin Poetarum cognitio sit cæteris omnibus anteponēda: quam semper optimus quisq; neruis omnibus expetendam esse duxit: quæ laudem, quæ gloriam, quæ immortalitatem afferre solet? Rusticus est profectò, atq; ab omni humanitate alienus, qui Poeticæ cognitionis desiderio non teneatur: sine qua nemo docti nomen assequi meritò potest. Nos igitur, quorum animus Musarum amore perfusus, alta & sublimia spectat, Poetas amemus, amplectamur: ediscamus, eis deniq; nosmetipsos addiscamus: cùm præsertim nihil eorum lectione dulcius, nihil iucundius, nihil amœnius inueniri possit. Prob Deū immortales! quæ suauitas Poeticæ locutionis? quæ concinnitas? qui lepos? quæ venustas? quod inuentionis acumen? quæ compositionis harmonia? qui verborum splendor? quæ sententiarum grauitas? quæ denique generum omnium dicendi maiestas? Modò enim tanto impetu sonitu q; feruntur, vt tonare, fulminare, permiscere omnia videantur: modò paulò pressiores, aurea quadam mediocritate procedunt, vt nihil possit aut concinnius, aut suauius excogitari: modò ita se demittunt, vt, quamuis humi serpere videantur, tamen

men expleatur animus iucundißima lectionis voluptate. Quamobrem si quis ſtudiorum vtilitatem, ſummæ coniunctam amœnitati voluptatiq3, diligit, in Poeticam artem amplectatur, in ea dies atq3 noctes inuigilet: in eam deniq3 totam mentis aciem intendat. Sic enim vberrimos ſtudij ſui fructus aliquando conſequetur. Quod vos, optimi Iuuenes, omni ſtudio, curæ, diligentia facturos ſpero. Vos enim video, & animo excelſo eſſe, & optimarum artium ſtudijs deditißimos: quæres effecit, vt Artis huius Poeticæ, vobis hoc anno declarandæ, prouinciam libentißimè ſuſceperim: cuius quidem vtiliſſima præcepta ſi vobis (vt ſpero & opto) ita perſpicuè explicuero, vt ea facilè percipere poſſitis: tum verò me laboris mei præmium quàm ampliſſimum conſecutum exiſtimabo.

DE

DE BIBLIOTHECA PVBLICA MEDIOLANI instituenda, & omni genere Librorum instruenda,

Ad Alfonsum Aualum.

ORATIO XXV.

Imperfecta.

CVm multis in rebus immortali Deo gratias agere debemus, Alfonse Princeps illustrissime, qui tantarum calamitatum causas, quantas superiore tempore pertulimus, à nobis tandem euerterit ac profligarit, & optatissimam pacem inuexerit, ac rerum omnium abundantiam: tum nulla re magis eidebere nos existimo, quàm quod Te nostræ Ciuitati, summæ Reipub. præesse voluerit, vt amplissimus ac prudentissimus Imperator, pro tua singulari sapientia, atincredibili virtute, Remp. bene gerendo, Diuorum immortalium templa colendo, sanctissimas religiones seruando, Remp. conseruares. Sæpenumero mecum, Alfonse, mirari soleo, &, cùm tuæ religionis ac virtutis mihi venit in mentem, cōsiderare, quē, cùm tantopere bella

bellicis in rebus & imperatoria laude cæteris omnibus antecellas, vt non solùm eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam superaris: tamen ita religioni deditus, ita modestus ac summissus, & vt breuiter dicam, ita Christianus es, vt tibi religiosissimè viuere, summa votorum esse videatur. Et quoniam ad bene beateque viuendum, exploratum habes, plurimùm conducere studia literarum: studiosos earum ita foues & amplecteris, vt non solùm eos, qui sunt in hac ciuitate, subleues: sed alios etiam huc, ex longinquis regionibus, proponens eis vberrima præmia, conducas. Quare iam in certam spem venerunt huius ciuitatis homines, fore, vt optimarum artium studia, superiori tempore, bellorum tumultibus & hostium incursionibus prostrata & inculta, per te restituantur. Nimirum hoc vnum ad ampliſsimam gloriam tuam, & res gestas immortales, adhuc deesse videtur, vt hanc tu amantiſsimam ciuitatem, olim studiorum parentem ac altricem, nunc literarum inopia laborantem, contendas subleuare. Cùm igitur animum tuum in hanc partem tam propensum & inclinatum esse videam, vt nihil addi posse videatur: existimaui me facturum operæprecium, si tibi, quasi digito viam demonstrarem, qua possis in hac ciuitate cum paruo labore, neque maximo sumptu, literarum studia reuocare, iuuentutem excitare, ciuitatem hanc honore maximo cohonestare, famam tui nominis relinquere sempiternam. Quod si res vlla potest inueniri digna maiestate tua, digna virtute, digna religione, quam tibi, relictis omni-

omnibus rebus, amplecti fas sit, & perfici: hac profectò, quam nos hoc tempore in consultationem adducimus, tanta est, vt reliquis omnibus anteponi dignae esse videatur: quam tu, pro tua sapientia, fide, potestate, suscipias: susceptam, industria, consilio, diligentia perficias: quae perfecta, iuuentuti Mediolanensium, assiduosis omnibus incredibilem afferat vtilitatem, tibi verò gloriam acquirat immortalem. Non te praeterit, Alphonse, duas solas Artes in orbe terrarum inueniri, quae mortalem possint in amplissimo dignitatis & laudis gradu collocare, & hoc breue vitae nostrae curriculum ita posteritati commendare, vt in linguis & ore omnium, vnius viri memoria perpetuò celebretur. Disciplina militaris, & Studium literarum. Quarum artium in altera tu iampridem ita versaris, vt virtutis tuae bellicae splendor, tanquam Sol quidam exortus, res gestas antiquorum, tanquam minora sidera, praestrinxerit: Artem autem literarum (vt initio dixi) ita complecteris, vt mihi facilimum fore sperem, quod vehementissimè cupio, tibi persuadere: cum praesertum vtilissimum sit & optimum. Est haec nostra Ciuitas Mediolanirerum omnium (vt optimè nosti) copiosissima non frugum abundantia, non agrorum vbertate, non magnitudine pastionis cuiquam est inferior. Praeterea floret ingeniorum acumine, nobilitatis splendore, animorum in rebus gerendis sagacitate, domi militiaque claritate. Ad haec tanta est artificum cuiusq; modi praestantia ac industria, vt nulla ciuitas vnquam possit homines natos excellentiores habuerit. Huc accedunt duae mirificae substructiones, quae meritò possint inter com-

mo-

morata illa mundi miracula numerari. Quarum altera Fanum est pulcherrimum ac religiosissimū, quod in maximam solet admirationem spectatores omnes inducere: quippe sub astra tendens machina, columnis crassis & sublimibus innixa, tantùm extollitur, vt oculorum acies vix possit ad eius cacumen pertingere, longitudine ac latitudine iuxta sublimitatis proportionem accomodatissima: totum autem ex solido marmore fabrefactum, sed arte tam egregia, vt vix hominis ingenio factum esse credibile videatur. Altera verò Substructio Castrum est Mediolanense: de quo, quid ego plura commemorem, quàm quod omni nationi planum est ac manifestum, esse penitus inexpugnabile: atq; adeò communitum esse, vt non solum munitius fieri non possit, sed ne excogitari quidem: vt etiam ex re nomen assecutum esse videatur. Arx enim Iouis appellatur. Declaratum est hoc superiore tempore, cum tot bellis ac obsidionibus petitum fuerit, tot vineis, aggeribus, tormentis oppugnatum: nunquam tamen vllus ex tot Ducibus atq; Imperatoribus eximijs, & in arte militari peritissimis, potuit illud expugnare. Quare iam satis superq; cognitum est, hoc vnum Castrum ab omnibus belli tumultibus & oppugnationibus esse tutissimum, nec vllo modo fieri posse, vt humanis viribus expugnetur. Quæ cum ita sint, vnum adhuc ornamentum huic præclarissimæ ciuitati, & his tam admirandis substructionibus deesse videtur: quod si quis addat, sibi decus acquirat sempiternum. Cuius quidem ornamenti Te cupimus esse principem & authorem, vt in hac ciuitate, perpetua tui memoria conseruetur, &

tuam posteritas omnis sentiat ac laudet munificentiam & liberalitatem. Hoc autem illud est, de quo loquimur, ornamentum: Vt in templo illo maximo & religiosissimo Bibliotheca, librorum omnium generum refertissima, constituatur: & ædes binæ ædificentur; alteræ iuxta templi sacraria; alteræ in ipsa Iouis Arce, quæ sint huic tantum modo rei destinatæ: vt, quoniam incerti sunt temporum exitus, si quando bellum existatur, possint in Arcem munitissimam volumina transferri, & ibi tuta esse ab omni prædatorum violentia. Quid ego nunc commemorem, quantopere res ista memorabilis & gloriosa futura sit, vbi disseminabitur apud exteras nationes; & olim apud posteros memorabitur: Alphonsum Daualum, omni bellica laude præstantissimum, cuius ad omnes ferè mundi regiones virtutis fama peruaserit, tantopere literas etiam dilexisse, vt locupletissimam Mediolani Bibliothecā reliquerit? Quis non sapientiam tuam laudabit? prudentiam admirabitur? consilium approbabit? Certatim tollent in astra nomen tuum vbiq; studiosi literarum: multorum scriptis & præconijs vbiq; gētium prædicaberis: nunquam poterit hoc factum tuum vetustas abolere. Dum hunc terrarum globum Sol è cœlo radijs suis illustrabit, dum stabit hæc immensa mundi compago, virtutem tuam genus humanum prædicabit. Nam si quidam obscuri mortales, aut non admodum excelso loco nati, nō alia de causa, nisi quòd librorum magnum numerum collegerint, æternum nomen inuenerunt: quid futurum censes, cùm tu iampridem maximis rebus gestis tuis clarissimus, ad literas excolendas animum etiam ad-

iece-

ieceris? Quis Tyrannionem Grammaticum agnosceret, aut tantopere celebraret, nisi magno studio & industria librorum tria millia collegisset? Quid, patrum nostrorum memoria, Cosmus Medices, Florentinus ciuis, num alia de causa fuit vbiq; laudatus, vt etiam celeberrimum nomen doctissimorum hominum scriptis haberit; quàm quòd literas amauerit, & literatorum hominum studiosissimus & amantissimus fuerit, & vndiq; congestis libris, copiosissimas Bibliothecas refersit? Sed ne fortè negocium hoc, tanquam maiestate tua minus dignū, asperneris: habes authores, grauissimos ac sapientissimos viros, qui non solùm omni studio ad colligendos libros, & instaurandas Bibliothecas incubuerunt: sed etiam, accersitis vndiq; doctissimis & peritissimis viris, eos summo honore prosecuti sunt, & eis ampliſsima præmia proposuerunt. Nam vt primùm Ptolemæum illum Euergetem referam, qui beneficentiam suam videtur ipso nomine declarare, nonne pulcherrimum & celeberrimum Alexandriæ Gymnasium instituisse legimus, & multa librorum millia comparasse? cùm priùs ex omni mundi regione prudentissimos ad se viros euocasset, vel hoc solo.

Franc. Pie. colomineus in Philosophia Morali. Gradu 8. cap. 16. & 52.

Reliqua desiderantur.

FINIS ORATIONVM.

LIBELLVS SVPPLEX AD SENATVM,

De Hora vespertina, qua docebat Maioragius, in matutinam commutanda.

CVm vestræ prudentiæ atq; auctoritatis sit, P.C. non solùm intelligere, quid in publicis negocijs agatur; verùm etiam prouidere, vt omnia, quàm fieri potest optimè rectissimeq; gerantur: M. Antonio Maioragio, publico vtriusq; Linguæ Mediolani Professori, qui omnia priùs expertus est, ne molestus esse videatur, Vobis in præsentia significare visum est, se iam quatuor ab hinc annos magno incommodo suo, studiosæq; iuuentutis, hora vespertina Latinè publicè docuisse cùm eo tempore forum mercatorum, Gymnasio vicinum, magnis vndiq; clamoribus obstrepat. Nam semper aut pueri vociferantes, huc atq; illuc, dimissi è schola, cursitant: aut aliquis circumforaneus circulator lyræ cantu, vel assa voce plebeios homines congregat, & iuuenes ad se potiùs audiendum allicit: aut præco publicus tuba inclamat, vt, quæ decreta sunt à Magistratib. enunciet: aut tortor maleficum aliquem in equuleo suspendit: aut deniq; (quod omnium est molestissimum) vaga iuuentus & intẽperans, quæ per forũ illa hora deambu-

ambulare solet, in Gymnasium ascendit, & vel sibilis, vel pulsatione subselliorum, vel pulueris & lapidū conjectu, audiendi cupidos interturbat. Itaq; vos orat atque obsecrat, vt pro communi Iuuentutis vtilitate, pro Ciuitatis dignitate, pro vestra sapientia, pro honore suo, velitis iubeatisq; eum vtramq; Linguam matutino tempore profiteri. Sic enim & omnia prædicta incommoda facilè vitabuntur: & multi iuuenes, qui manè Græcam lectionem ab eodem audiunt, etiam Latinam eodem tempore multò libentissimè audient: quoniam bis in die non eis commodum est in forum accedere. Neque hoc vllo fiet Othonis Lupani, publici Professoris incommodo: modò is obseruare velit, quod aliâs auctoritate vestra constitutum est: vt paulò tempestiuiùs lectionem suam incipiat; & tunc legere desinat, cùm ære Campano minore signum datur. Eodem enim tempore Græcam lectionem in alio Gymnasio Maioragius absoluere solet: quare deinde statim Othoni succedet, vt Latinè legat: atque hac vna ratione studiosa iuuentus, si voluerit, vtriusque Professoris quotidie Latinam lectionem audire facilè poterit. Hæc ideo Vobis, P. C. significare Maioragius voluit: quoniam certum atque exploratum habet, Vos pro consuetudine vestra, quod fructuosum & vtile iuuentuti fore videbitis, illud decreturos.

LIBELLVS ALTER,

De Immunitate publicis Professoribus concedenda.

QVoniam summa æquitas, atq; iustitia vestra, Patres Conscripti, splendorem ac benignitatem suam proportione æqualem in omneis, de Republica bene merentes diffundere solet: ideo nos, Otho Lupanus & M. Antonius Maioragius, quos in hac ciuitate Vos Artis Oratoriæ Professores èsse voluistis, supplicantes petimus, vt eâdem immunitate nos donetis, qua iam Veronensis Gymnasij Professores donastis: cùm præsertim sit eadem nostra, quæ illorum causa, & magis etiam nobis deberi, quàm illis, immunitas videatur. Primò, quia in Metropoli Ciuitate legimus: deinde, quia non tantùm publicè, sed etiam priuatim Reip. prodesse contendimus. Rogamus igitur, vt etiam nos, sicuti alij omnes Lectores publici, vestro munere gaudeamus.

M. AN.

M. ANTONII MAIORAGII

In Homeri Iliadem.

PRAEFATIO I.

VLysses Ithacensis ille, quem Poêtarum parens Homerus prudentissimum ac sapientissimum finxit, cùm per ea loca nauigaturus esset, vbi Sirenes, Acheloi Calliopesque filiæ, dulci modulatione prætereuntes nautas in fraudem periculumq; allicere consueuerant, sociorum suorum aures obturandas esse cera existimauit, ne fortasse cantus suauitate commoti, sese præcipites è nauibus in mare deijcerent: suas autem aures obturare quidē noluit, sed tamē malo nauis firmissimis se vinculis alligauit, vt & earū voces audiret, & tamen securus præternauigaret. Itaq; licet eum illis suauissimis ac iucundissimis versibus inuitarent:

O decus Argolicûm, quin puppim flectis, Vlysses,
Auribus vt nostros possis agnoscere cantus?
Nā nemo hæc vnquā est transuectus cærula cursu,
Quin priùs astiterit, vocum dulcedine captus:
Post varijs auido satiatus pectore Musis,

Odyss. 12. vertente Cic. 5. de Finib. pag. 136. b.

Doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli clademq; tenemus,
Græcia quam Troiæ diuino numine vexit,
Omniaq; elatis rerum vestigia terris:

non tamen eas audiendas esse censuit; sed ad illam, quam iterum tandem aliquando videre vehementissimè cupiebat, patriam, spreta Sirenum voce, properauit. Hic igitur tam diuina, tamq; incredibili sapientia vir in legendis Poëtarum Operibus est à nobis diligenter imitandus. Tam enim dulces, tamq; iucundi sunt, vt, nisi quis altiùs animum suum efferat, & non quid in verborum cortice, sed quid in sententiarum recessu lateat, accuratissimè perpendat; in eorum figmentis, tanquam in Sireneis scopulis, consenescat. Quare qui se infirmo atq; imbecilli esse animo sentiunt, & doctrinæ reconditioris expertes, quales Vlyssis socij fuisse fingunturij debent Poëticæ suauitati, & carminum fabularumq; varietati penitus aures occludere, atque alijs sese studijs ac negocijs tradere: ne fortasse leuibus in rebus occupati, nihil dignum cognitione percipiant, & quæ sunt vtilissima prætermittant. Quemadmodum plerique mansuetiorum Musarum Professores facere consueuerunt: qui cùm se totos Poëtis dederint, & eorum se interpretes esse promittant, in fabellis deinde simpliciter enarrandis, totos dies sine vllo fructu conterunt, & auditores suos duplo stultiores, quàm acceperint, reddunt. Qui verò tam acuto, tamque constanti animo fuerit, vt pleno gradu Poëticæ sapientiæ penetralia ingredi audeat, quod Vlyssem fecisse Homerus innuit: is rationi, reconditæque doctri-

doctrinæ, tanquam malo nauis inhærens, Poêtarum scripta frequenter euoluere, atq; interpretari securè potest. Sunt enim præstantiores Poêtæ celebratis illis Alcibiadis Silenis non absimiles. Nam Alcibiadem ferunt, imagines quasdam habuisse, qui Sileni dicerentur, ita fabricatas, vt clausæ quidem ridiculā aliquam & monstrosam speciem præ se ferrent; apertæ verò statim diuinum numen ostenderent. Eodem modo clarissimi Poêtæ fabellas quasdam aspectu primo ridiculas & inanes ita concinnant, vt ludere velle videantur: verùm in eis fabulis, si quis diligentiùs introspiciat, aliqua semper diuinæ cœlestisq; sapientiæ mysteria reperiet. Hæc causa est, cur imperitiores Grammatici, quamuis Poêtarum Deum Homerum in manibus semper habeant, tamen ex eius lectione paruum admodum fructum percipiant: quia scilicet in verbis ac figmentis tantùm occupati, virtutes eius videre nullo modo possunt. Nam si quis vnquam post homines natos, fictis fabulis res cognitione dignissimas significauit: is certè, omnium eruditorum iudicio atque consensu, Homerus fuit: vt magni sit viri, sicut ait Quintilianus, virtutes eius non æmulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi: quippe qui humani ingenij modum excedat, & omnes sine dubio in omni genere doctrinæ procul à se reliquerit. Itaq; posteriores omnes nō tantùm Poêtæ, sed etiam Philosophi, cæteriq; Scriptores ab Homero plurima sumpserunt. Vnde non sine causa clamat Ouidius:

Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

Amorum lib. 3. El. 8.

Aspice Mæoniden, à quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pierijs ora rigantur aquis.

Nam quemadmodum ab Oceano flumina, fontes, peteiqúe omnes exeunt: sic ab Homero omnis eloquentiæ, copioseqúe loquentis sapientiæ fluxit initium. Itaque nemo vel eorum, qui res occultas & ab ipsa natura inuolutas pertractarunt, vel de vita & moribus scripserunt, vel sese ijs artibus, quæ pertinent ad dicendi facultatem, tradiderunt, Homeri Poëmata quam amœnissimum diuersorium non appetiuit: sed apud eum omnes commorari voluerunt. Nam & Apollinis Oraculum Homeri carminibus sæpe traditum legimus: & Philosophorum principes, Plato atque Aristoteles, Homeri testimonio frequentissimè vtuntur: & ab Homero, tanquam omnis sapientiæ fonte, omnes philosophantium sectæ promanarunt. Rhetores Homerum ita suspiciunt, vt eum omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedisse fateantur. Grammatici non ad alium finem, quàm ad Homericam dicendi rationem omnes regulas suas dirigunt. Poëtæ, qui post Homerum aliquid conscripserunt, quantum facultas tulit, eum omnes imitari voluerunt. Vt enim cæteros hoc tempore prætermittam: apud eminentissimum Poëtarum nostrorum Virgilium, nihil ferè paulò ingeniosius & eruditius dictum reperitur, quod non ad Homeri imitationem sit conscriptum, atq; adeò penè ex Homero descriptum: qua de re cùm ab æmulis aliquando Virgilius carperetur, dixisse fertur: Non minùs esse difficile, carmen ab Homero commodè sumere, quàm Herculi clauam de manibus eripere. Geographi quoque scientiam Homericam venerantur ac suspiciunt: quod Strabo

primus

primo libro copiosè persequitur. Medici praterea vulnerumq; curatores, quos Chirurgos appellant, plurima ab Homero bona mutuantur. Quid, quòd etiam Principes, Imperatores atque Reges Homerica dulcedine, singulariq; sapientia delectantur. Cuius rei testis est amplissimus Alexander ille Magnus: qui cùm inter Darij Persarum regis thesauros pretiosissimum vnguentorum scriniolum, totum ex auro, margaritis, gemmisq; lectissimis confectum, reperisset, amiciqúe varios eius vsus demonstrarent: Imò Hercule (inquit) librorum Homeri custodie detur: vt pretiosissimum humani animi Opus quàm maximè diuiti opere seruetur. Nam in ipsis etiam belli tumultibus Homeri libros, tanquam animi quoddam viaticum & pastum suauissimum, secum habere consueuerat: & cùm somnum capere opus erat, eos capiti suo subijciebat: vt neque insomnis ab Homeri cogitatione abstinere videretur: sed in ipsis etiam visionibus, quæ dormientibus euenire solent, præclara sibi somnia obseruarentur. Achillemqúe ideo fortunatum fuisse clamabat, vt testis est pro Archia Cicero, quia laudum suarum præconem Homerum inuenisset: atque in familiari collocutione Poëtam hunc, modò summum virtutis præconem, modò Vatem regium appellare consueuerat. Et re vera Homeri Poësis regia quædam res est, & Ilias præcipue, qua tot belli duces, tot reges, tot heroës celebrantur. Quamuis enim prouerbio dicatur: Malorum Ilias: quoniam in Iliade Homerica multa mali genera memorantur: tamen rectiùs (vt ait Eustathius) Omnium bonorum Ilias diceretur. Plena

Plinius Nat. Hist. lib. 7. c. 29.

est

est enim Eloquentiæ, Philosophiæ, artis Imperatoriæ, Moralis disciplinæ, variarum denique scientiarum. Nam & dolos ex ea bonos ac laudabiles, & mendaciorum vtiles confictiones, & dictorum acumina licet perdiscere: encomiorum præterea vias ac rationes, atque in gerendis rebus summam prudentiam. Quin etiam quæcunque ex historia bona percipiuntur, eadem ex Homeri lectione percipi possunt: vt multarũ rerum experientia, mirifica iucunditas, animi institutio, ad virtutem adhortatio, quibus in rebus omnibus multùm Historicis Homerus antecellit. Quòd si quis hanc Poëtam ideo non admirandum & suspiciendum existimet, quòd multis fabulis sit refertus, is certè non intelligit, Homericas fabulas non inaniter, neque tantùm ad risum concitandum, aut delectationem afferendam esse confictas: sed rerum cognitione dignissimarum vmbras atque integumenta quædam esse, quæ si quis rectè explicuerit, tunc denique, quanta sit in eis, quamq; recondita scientia, perspiciet. Neque enim alumnus sapientiæ, qualis Homerus fuit, simplicibus & anilibus fabulis delectari potest: cùm Sapientia nihil aliud sit, quàm veritatis contemplatio cognitiog. Sed vt rudes adhuc atq; imperitos alliciat, Poëtica fabulas inserit, quarum dulcedine captus animus, paulatim ad altiora atq; vtiliora prouehitur. Fuit enim hæc antiqua sapientissimorum hominum consuetudo, vt res cœlestes ac diuinas, & sapientiæ mysteria fabulis, tanquam cortice quodam, obtegerent: sicut etiam Theologi nostri parabolis ac similitudinibus in rebus diuinis frequenter vtuntur, quò rudes animi facilius

à cognitis, & sub sensum cadentibus rebus ad incognitas & sublimes extollantur. Cùm igitur ex omnibus Græcis Poêtis mihi esset facultas eligendi, quem hoc anno publicè interpretarer: Homerum mihi potissimùm in manus sumendum esse censui. Cùm enim, vt ait Horatius,

In Arte Poët.

Aut prodesse velint, aut delectare Poêtæ,

nullus Homero maiorem neque vtilitatem, neque iucunditatem afferre potest. Quapropter vt Aratus (quod ait Quintilianus) à Ioue incipiendum putat: ita nos rite cœpturi ab Homero videmur, qui non Poêticæ modò, sed etiam Oratoriæ virtute est eminentissimus: neque vllum extat Opus humanum, quod Homericæ Poêsi præferendum esse videatur. Illud verò videtur admirabile, quòd in tot carminum millibus nihil vnquam Homerus neq; de patria, neq; de parentibus suis memmerit: neq; Operibus nomen suum inscripserit. Vir profectò diuinus, & alta quadam mente præditus, quem nulla ambitio, nulla nominis ac gloriæ cupiditas inflammauit, sed qui ipsius tantùm virtutis & scientiæ gratia scripserit. Hac de causa factum est, vt multæ Græciæ ciuitates suum fuisse ciuem Homerum velint: & dum patriam suam occultat, effecit, vt multæ patriæ sibi eum conentur vendicare. Vnde illud Distichon vulgò celebratur:

Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

Septem vrbes certant de sede insignis Homeri:
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Infrà Præfat. 2.

Cicero pro Archia Poêta sic ait: Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum: Chij suum vendicant, Sala-

Salaminij reperunt: Smyrnæi verò suũ esse confirmant, itaq; etiam delubrũ eius in oppido ded: cauerunt: permulti alij præterea pugnant inter se atq; contendunt. Extat elegans super hac re Antipatri Epigrãma, quod ita Politianus conuertit:

Diceris à multis Colophonis alumnus, Homere:
Hic te Smyrnæum credit, & ille Chium.
Quin & Ion quidam, quidam Salamina superbam,
Thessaliam multi te genuisse ferunt.
Sunt & qui memorent, alijs te sedibus ortum.
Sic varijs natus crederis esse locis.
Dicere si liceat mihi Phœbi oracula: Cœlam
Certa tibi patria est: Calliopea parens.

Natus est etiam incerto patre. Nam Critheïs ea mater, amore furtiuo facta grauida, apud Meletem fluuium eum peperit: vnde primò fuit Melesigenes appellatus. Postea verò, cùm apud Cumæos grauissimo pitudine premeretur, obcæcatus est, atq; ideo Homerus est appellatus. Nam (vt scribit Herodotus) Cumæi solent eos, qui cæci sunt Homeros appellare: sicut etiam Ephorus attestatur. Artemidorus libro Somniorum primo, fictum hoc esse, videtur innuere: cum ita scribit: Qui se cæcum esse somniauerit, si Poëta sit, bonum significat: quoniam multa quiete opus habent, qui Poëmata scribere cupiunt: vnde sermo inualuit, Homerum Poëtam cæcum fuisse. Plutarchus autem est, ab Aristotele scriptum fuisse: Homerum Dæmonis cuiusdam ex eorum numero, qui cum Musis versari solent, fuisse filium. Vnde fortasse Dionysius Halicarnasseus δαιμονιώτατον eum appellat, quod non humanum,

Supra pag. 237. v. 18.

Plutarchus in vita Homeri.

Arist. 3. de Poët.

nam, sed diuinam quandam potiùs naturam præse ferat. Scribit Herodotus, Critheidem, Homeri matrem, cum paruulo infante à Phemio quodam Smyrnæo ludi magistro fuisse hospitio susceptam, atque ita adamatam, vt eam Phemius secum postea semper habuerit, & Homerum puerum ingenuis artibus erudierit: in quibus ait eum tantùm profecisse, vt mortuo Phemio, cum omnium admiratione per aliquod tempus literas Smyrnæ docuerit: postea totam Græciam peragrasse, & in Italiam vsque atque Hispaniam profectum: deinde iterum in Græciam reuersum, arti Poëticæ vsque ad extremum vitæ diem incubuisse. Neque satis constat inter Scriptores, quo tempore vixerit. Nam Herodotus centum sexaginta octo annos post Troianum bellum floruisse Homerum scribit: alij belli Troiani tempore natum dicunt: alij non ita multò pòst. Cornelius Nepos centum & sexaginta annos ante Romam conditam fuisse auctor est. Eutropius Agrippæ Syluij temporibus Homerum in Græcia fuisse perhibet. Sed quocunque tempore vixerit, satis constat, egenum ac mendicum fuisse, vt vix sibi victum, recitandis ac vendendis carminibus suis, posset acquirere: qua de causa factum est, vt Homeri carmina, per totam Græciam sparsa, sine vllo ordine legerentur: donec Hipparchus Pisistrati filius, vt Plato scribit, diligenter & collegit, & adhibitis eruditis viris, in libros ordine literarum, sicuti nunc eos habemus, accuratè digerenda curauit: quamuis Plutarchus hanc laudem Aristarcho tribuat: qui tam ingeniosè, tamq; acutè vera Homeri carmina ab ijs, quæ falsò illi tribuebãtur, distinxit,

In Hipparcho, seu de Lucri cupiditate.

In vita Homeri.

xit, vt postea quicunque de alienis scriptu verè iudicaret, Aristarchus fuerit appellatus. Nam Varro de Lingua Latina Criticos Grammaticos, qui de libris iudicant, Aristarchos appellat: & Cicero vocat Atticum suarum Orationum Aristarchum. Obiit autem Homerus morte, misera quidem illa, sed tamen memorabili. Cùm enim sederet in littore, piscatores è naui egressos percunctatus esset: Ecquid prædæ secum essent: illi responderunt: Quæcunque cepimus, ea reliquimus: quæ verò non cepimus, nobiscum ferimus. Hanc sibi propositam à piscatoribus quæstionem cùm soluere nullo modo potuisset, tanta indignatione correptus est, vt dolore absumptus credatur: quod, præter cæteros, etiam Valerius Maximus nono libro scribit. Erat tamen quæstio illa piscatorum non admodum absurda. Nam cùm nihil piscium cepissent, apricantes in sole pediculis se purgare aggressi sunt: atque ita quos pediculos ceperunt, eos interfectos proiecerunt ac reliquerunt: quos autem non ceperunt, eos secum in vestibus tulerunt. Reliquit autem duo pulcherrima præstantissimaq; Opera, Iliadem & Odysseam. Nam Margites, Hymni Deorum, Batrachomyomachia, & si qua alia Homero attribuuntur: lusus potiùs & exercitationes quædam, quàm iusta Opera esse appellanda, doctiores existimant. Sunt qui opinentur, Iliadem Tragœdiæ instar habere, Odysseam Comœdiæ: sed omnino falluntur: licet eorum errorem etiam rasimus secutus sit. Nam vtrunq; Opus Tragicum est, vt in Arte Poëtica clarissimè docet Aristoteles. Carmen enim Heroicum atq; Hexametrum, Tragœdiæ quidam

Ci. ad Att. Lib. 1. Epist. 13.

Cap. 12. Ἀσσ' ἕλομεν, λιπόμεθα· ἃδ' οὐχ ἕλομεν, φερόμεθα. Defero, quę capio: quæ nõ capio, mihi seruo.

dam species est. Illud probabilius videtur, quod Plutarchus tradit, Homerum in Iliade corporis fortitudinem, in Odyssea verò animi præstantiam exprimere voluisse. Nam in Iliade pugnæ, prælia, cædesq; tractantur, quæ corporis viribus indigere certum est: in Odyssea pericula, tempestates, varij casus ponuntur, quos nemo nisi præstanti animo superare, aut commodè tolerare potest. Iam verò mirum est, quod idem Plutarchus ostendere pluribus exemplis conatus est, & Politianus, Plutarchi penè dixerim interpres, cùm tot sint Philosophorum, tamq; discrepantes sententiæ, vnumquenque tamen cuiusque sectæ principem, Homeri auctoritate nixum, sententiam suam confirmasse. Dion certè Chrysostomus Socratem, qui primus è cœlo Philosophiam deuocasse dicitur, vt de vita & moribus disseret, Homeri discipulum appellare non dubitat: licet ante Socratem Homerus multis ætatibus floruerit. Basilius Magnus, Theologorum grauissimus & præstantissimus, totam Homeri Poêsin laudem esse virtutis affirmauit: quod Anaxagoras, Metrodorum ad Homeri lectionem adhortans, antea dixerat. Archesilaus tanto huius Poêtæ studio tenebatur, vt nunquam manè è lecto surgeret, nunquam vesperi cubitum iret, quin priùs aliquid ex Homero lectitaret. Ptolemæus Philadelphus Zoilum, Homeri detractorem, qui ideo Homeromastix dicebatur, quòd Homerum insectari non desisteret, diu priùs delusum, tandem vinclis ac verberibus atq; omni supplicio excruciatum, necauit. Et meritò. Quantæ enim temeritatis & impudentiæ fuit, eum damnare Poêtam, quem omnes certatim sapien-

In vita Homeri.

tes summis in cœlum laudibus ferunt, quem omnes spiciunt, admirantur, semper in manibus habendum censent. Itaque præter acerbam ac miseram mortem, illa etiam infamia notatus est, vt postea laudum alienarum obtrectatores & inuidi, ab eius nomine Zoili dicerentur. Cicero Tusculanarum Quæstionum libro quinto, ita de Homero scribit: Traditum est etiam, Homerum cæcum fuisse: At eius picturam, non vt ipsum videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigum, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, vt, quæ ipse non viderit, nos vt videremus, effecerit? Sed instituti nostri non est, Homerum quem hoc tempore laudare, quem integris voluminibus multi exornare conati sunt, & tamen nemo vnquam satis eum laudasse dicitur. Illud potiùs videamus; Cur hoc Opus, quod interpretaturi sumus, Ilias dicatur, & quidnam sit in eo Poëtæ nostri propositum? Neque enim, sicut Odyssea ab Vlysse, ita hoc Opus ab vnius viri nomine vocatur: licet ab Achillis ira summum exordium, quæ multorum malorum causa fuit. Neque quòd tantùm Ilienſium mala factaq; contineat, ideo vocatur Ilias: sed quia complectitur ea, quæ Troiano belli tempore circa Ilium acciderunt, & præcipuè quo tempore Achilles Agamemnoni iratus erat. Multa verò calamitates & Troianis, & Græcis eo tempore contigerunt: Vnde Malorum Ilias de immensis miseriis prouerbio dicitur. Cicero ad Atticum: Tanta malorum impendet Ilias. Stratonicus interrogatus, Cur nolles apud Ilienses viuere, respondit: Semper Ilio mala quæ

In fine pag. 250.

Lib. 8. Epist. 11.

quod deinde in calamitosos & afflictos dici cœptum est. Et quia longum est Opus, in quatuor & viginti Libros, eò quòd totidem Græcæ literæ numerantur, Hipparchi iussu siue patris eius Pisistrati fuit digestum. Ideo factum est, vt quoties nimis prolixam ac molestam orationem significare volumus, eam Iliade longiorem esse dicamus: quod Iulius Pollux sexto libro scribit. Ilias igitur dicta est, quòd hoc in Opere scribantur ea, quæ Græci Troianiq; circa Ilium gesserè. Propositum est autem Homero, commemorare, quot mala, propter seditiones & rixas Principum, sæpissimè populis & exercitibus accidere soleant. Itaque sumpsit Exordium ab Achillis ira, quam perniciosam vocat, quòd innumerabiles Achiuis dolores attulerit. Horatius sanè quadam ad Lollium Epistola præclarè docet, quid Homerus in Iliade significare voluerit. Sic enim ait:

Eras. Chi. lia. 4. Cen. 1. prouerb. 20.

Infrà Præfat. 8.

Lib. 1. Epist. 2.

Fabula, qua Paridis propter narratur amorem,
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum regum, & populorum continet æstus.
Antenor censet belli præcidere causam.
Quid Paris? vt saluus regnet, viuatq; beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, & inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter vrit vtrunq;.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.
Seditione, dolis, scelere, atq; libidine, & ira,
Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Illam igitur, præter cæteras, maximam etiam vtilitatem ex Homero percipimus, quòd mores nostros

componere, & vitam meliùs conformare docemur. Nam (vt idem ait Horatius,)

Lib. 1. Epist. 2.

Quid sit pulchrũ, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius ac meliùs Chrysippo, & Crantore dicit.

Quamobrem Opus tã eximium ambabus (quod aiunt) manibus, atq; obuijs vlnis amplectendum est, & in sinu gestandum. Equidem, quod ad me attinet, eximias huius Poêtæ virtutes pro virili parte vobis aperire, interpretari, ac planas facere conabor. Vos videte, ne propter aliquam fortasse negligentiam, tantum vtilitatis, tantumq; boni amittatis. Nam si magna cum diligentia quotidie lectionibus nostris interesse volueritis, profectò vos, quantum proficietis, nunquam (vt spero) pœnitebit.

IN HOMERI ODYSSEAM.

PRAEFATIO II.

FAcere non possum, optimi Auditores, quin arcana pectoris mei vobis aperiam. Ita enim me natura conformauit, & expoliuit industria, vt nihil fucatum, nihil simulatum mihi placere possit, omnia ingenuè, & simplicitate quadam profitear; neque mihi falsam de-

doctrinæ atque scientiæ laudem arrogare velim. Itaq; cùm Homeri Odysseam, coram vobis interpretandam susceperim, hæreo, Iuuenes eruditissimi, neque, quod principium orationis, aut quem finem inueniam, prorsus intelligo. Atq; ego ille, qui nonnunquam tota verborum plaustra profundere soleo, in hac materia tam ampla, tam immensa, quid dicam, non inuenio: non aliter, atque ij, qui diutiùs in tenebris versati, repentinum Solis splendorem ferre nullo modo possunt. Quid igitur faciam? Taceámne Homeri laudes, quem nemo est bonis literis imbutus, qui non cœlum ferendum esse censeat? laudémne, aut verbis exornem, cuius tantus est decor & præstantia, vt facilius eruditissimus quisque tacitus admirari possit, quàm dicendo minimam ex laudibus eius partem explanare? Quare ego supervacaneum omnino existimo, in Homero laudando operam sumere, quem omnes vno consensu admirantur, & vno ore prædicant: ne mihi quis vestrum fortasse dictum illud Antalcidæ succinat: qui, cùm Sophista quidam, eo præsente, Herculis Encomium recitare vellet: Quis (inquit) illum vituperat? Sed neq; de Homeri vita quicquam vobis affero: cùm Plutarchus, Herodotus, Suidas, Politianus, & alij, de ea copiosè scripserint. Quid igitur (inquiet aliquis) nobis affers noui? Equidem in hac re non multùm me iactabo. Omnia iam vulgata. Nihil dictum, quod non dictum sit priùs. Hoc vnum spectaui, quod verissimè Quintilianus scripsit: Optime institutum esse, vt ab Homero atq; Virgilio lectio inciperet. Quid? quòd neq; de Homeri patria quicquam certi possum vobis affirmare. Nam & Rhodij & Inst. Orat. lib. 1. c. 14.

Thessali, & Ietæ, & Chij, & Salaminij, & Colophonij asserunt sibi: & Argiui Milesij, Smyrnæi, Cumæiq; contrà vendicant, repetuntq; eundem ad se, quasi Lucma & Mutia lege (vt ait Politianus) Athenienses. Alij dicunt, Ægyptium fuisse. Apud A. Gellium referuntur hæc carmina:

Noct. Att. lib. 3. c. 11.

Suprà Præfat. 1.

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσιν περὶ ῥίζαν Ὁμήρου·
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν, Ἰός, Ἀργός, Ἀθῆναι.

Quare meritò Antipater, cùm varias de Homeri patria recitasset opiniones, subiunxit hoc Distichon:

Πάτρα σοι τελέθει μέγας οὐρανός· ἐκ δὲ γυναικὸς
Οὐδενὸς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.

Nempe tibi cœlum patria est: non semine natus
Mortali; genuit te Dea Calliope.

Sed hæc relinquamus, quæ ab alijs iampridem diligentissimè disputata sunt. Nos verò cũ præclarè intelligamus, Homericã lectionem plurimùm ad eloquentiam, & ad omnium ingenuarũ artium studia nobis prodesse posse; videamus, an ad mores etiã cõformandos, & honestatem adipiscendã aliquid adiumenti conferre possit. Plutarchus autor grauissimus ait, Homerum, cùm duo Poémata cõposuerit, Iliadem & Odysseam, πᾶσαν διὰ μὲν τῆς Ἰλιάδος ἀνδρείαν σώματος, διὰ δὲ τῆς Ὀδυσσείας ψυχῆς γενναιότητα, hoc est, per Iliadem corporis fortitudinẽ repræsentasse, per Odysseam verò animi præstantiam. Quin & Horatius in Epistola quadã ad Lolliũ scribit: Homerũ meliùs, quàm quosuis Philosophos declarare, quid sit honestũ, quid turpe, quid vtile, & quid itẽ inutile. De Odyssea verò sic ait:

Lib. 1. Epist. 2.

Kar-

Rursus quid virtus, & quid sapientia possit,
Vtile proposuit nobis Exemplar, Vlyssem.

In hoc igitur Opere, Iuuenes suauissimi καὶ φιλέλληνες, licet fieri sapientes: cùm primò videbitis singularis fœminæ Penelopes temperantiam: quæ cùm adhuc esset iuuenis atq; adolescentula, multis expetita procis, atq; ijsdem nobilissimis, nunquam tamen animum ad obscœnitatem inclinauit. Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi, (vt ait Comicus) neque commouetur animus in ea re tamen: scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum. Deinde sapientissimum Vlyssem, in rebus aduersis patientissimum; nullis periculis, nullis calamitatibus animo cadentem: sed alacri semper animo & imperturbato, quicquid accidisset, moderatè ferentem: præterea nullis delicijs, nullis voluptatibus delinitum; sed acriter vitia repellentem, & Sirenum voces, ac Circes pocula despicientem. In quibus rebus veram esse sapientiam, vestrum puto latere neminem. Quæ dum interpretabimur, suis locis singula (Deo fauente) declarabimus. Quòd si quis vestrum fortè me roget; Quo tempore fuerit Homerus: in hoc etiam Auctorum sententias variare video: sed tamen ex Cicerone certi aliquid afferre possum. Scribit enim Cicero quinto Tusculanarum libro: Homerum fuisse temporibus Lycurgi, Lacedæmoniorum Legislatoris, ante Vrbem conditam. Lycurgus autem floruit ante Romam conditam annos circa centum & triginta quatuor: Troia capta ducentos & nonaginta octo. Idem Cicero libro primo Tusculanarum itæ scribit: Homerus & Hesiodus ante Romam conditam

Terent. in And. Act. 1. Scen. 1.

Gel. Noct. Attt. lib. 3. ca. 1. & lib. 17 cap. 21.

fuerunt. Sunt qui putent, Homerum & Hesiodum eodem tempore floruisse: quod Ioannes Grammaticus Philosophus falsum esse ostendit, & probat Homerum multò fuisse antiquiorem. Nam Aristoteles inquit, Stesichorum Poëtam Hesiodi filium fuisse, ex Cumene: qui quidem Stesichorus fuit σύγχρονος, id est, coætaneus Pythagoræ Philosopho, & Phalaridi Agrigentinorum Tyranno: hi verò post Homerum floruerunt annos quadringentos: vt scribit Herodotus. Quæ quidem supputatio ferè conuenit cum Ciceronis sententia. Nam Pythagoras fuit in Italia temporibus eisdem, quibus Iunius Brutus patriam liberauit: quod accidit anno ab Vrbe condita ducentesimo quadragesimo quinto: cùm Homerus fuerit ante Romam conditam annis centum & sexaginta: vt Cornelius Nepos in libris Chronicorum tradit. Sed hæc fortasse curiosius, quàm oporteat. Cùm autem sint varia Poëtarum genera, vt scribit Ioannes Grammaticus: sint enim Monodi Lyrici, Comici, Tragici, & infinita alia nomina: sunt etiam Poëtæ, οἱ κατ' ἐξαίρετον, καὶ ἀνωνύμως καλούμενοι, qui per excellentiam quãdam solum Poëtæ dicuntur, sine alterius nominis adiectione. Ex quorum genere quinq; fuere celeberrimi καὶ ὀνομαστοί: Homerus omnium princeps, Hesiodus, Ascræus, Antimachus, Colophonius, Panyasis, Pisander Camirensis. Τῶν ἄλλων ὅπερ μεγαρέων, οὐδεὶς λόγος.

Cic. Tusc. in princ. Lib. 1.

Verba Plutarchi in Symposiacis, vt refert Eras. Chil. 2. Cent. 1. adag. 79.

IN

IN HESIODVM.

PRAEFATIO III.

CVM ex Græcis omnibus auctoribus Hesiodum potißimùm hoc tempore vobis interpretãdum ſuſceperim, Auditores, vt eum Poëtam, qui non tantùm eruditioni prodeſſe, & dicendi facultatem alere poßit, ſed mores etiam hominum componat, & vtiliſſima vitæ præcepta tradat, non alienum ab interpretis officio me facturum arbitror, ſi quæ de eius vita, & de totius Operis materia atq; ſcopo, mihi apud probatos auctores legere contigit, antequam ad Carminum explanationem veniam, in medium afferam: cùm præſertim multa ſint in eis, quæ nondum apud Latinos planè explicata ſunt. Fuit igitur Heſiodus (vt Suidas tradit) Cumæus genere: non quidem à Cuma, Campaniæ ciuitate, ſed ab ea Cuma, quæ in Æoliæ eſt, quam Stephanus tradit, ante Lesbum eſſe ſitam, & ab Amazone quadam, quæ Cuma diceretur, eſſe denominatam: à qua ciuitate tradit idem Stephanus Ephorum Hiſtoricum, & Heſiodum Poëtam oriundum eſſe: vnde etiam Cumæus Vates fuit appellatus, teſte Suida. Quin etiam Valerius Probus, inſignis Grammaticus, ſuper eo Virgilij carmine in Bucolicis: Eclog. 4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas:
non alium, quàm Hesiodum à Virgilio designari credit: quoniam Cumæus Hesiodus, primus ætates à metallorum nomine distinctas appellauit, primam auream, alteram argenteam, tertiam æneam, vltimam ferream: vt in Opere, cui titulus est, Opera & Dies, expressum legitur. Cumæ igitur natus est Hesiodus. Eius pater Dius fuit, Ampellidis filius: mater verò Pycimede. Sed cùm eius parentes, magno ære alieno pressi, soluendo non essent, in Bœotiam confugerunt, atque in Ascræ vico ignobili habitarunt, vbi puer Hesiodus nutritus atque educatus est: quæ causa factum est, vt Ascræus diceretur: vt in Bucolicis Virgilius:

Eleg. 6.

Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ:
Ascræo quos ante seni. *Dictus est etiam Bœotius, quoniam Ascra Bœotiæ vicus est: vt Columella: Non minimum nostræ professioni contulit Hesiodus Bœotius. Fuit autem Ascra, vicus ignobilis & infœcundus, quem etiam ipse Poëta (vt refert Strabo) his versibus damnauit.*

Hesiod. lib. 2. Ἔργ. καὶ ἡμ.

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ,
Ἀσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποθ' ἑδνῇ.

Hoc est:

Ascram, rus miserum, penes hic Helicona colebat,
Hyberno dirum, triste æstu, optabile nunquam.

In princip. *Ferunt autem Hesiodum primò pastorem ouium fuisse: quod Ouid. Fastorum libro 6. testatur his verbis:*

Ecce Deas vidi, non quas præceptor arandi
Viderat, Ascræas cùm sequeretur oues.

Cùm

Cùm autem parentis armenta custodiret, in Helicone monte dicitur à Musis adamatus fuisse, pulchram eius atq; egregiam indolē admirantibus: itaq; statuerunt, eum Poêtam efficere, sacramq; ideo laurū gustandam puero præbuere. Tradunt enim, eā esse Lauri naturam, vt qui eam frequenter mandunt, Vates fiant: qua de causa Lycophron Poêta Vatem quendam δαφνηφάγον, quasi dicas, lauriuorum, nominat. Sic etiam apud Tibullum Sibylla de se loquens ait: Lib. 2. Eleg. 5.

Vera cano, sic vsq; sacras innoxia lauros
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.

Aphthonius etiam Rhetor Laurum vaticinationis symbolum esse scribit: itaq; veteres ipsam laurum, μαντικὸν φυτὸν, hoc est, diuinationis vim habentem plantam vocauere. Et Claudianus ait: Venturi præscia laurus. Qua de causa volunt eam plantam Apollini sacram esse, qui Deus præesse diuinationi creditus est. Qui verisimiliùs hanc historiā persequuntur, tradunt Hesiodum in Helicone obdormiuisse, nouemq; illi mulieres in somnis astitisse, quæ laurum porrigentes gustare iusserint: postquam autem experrectus fuisset, somnio illo monitus, sese literarum studijs & ingenuis artibus tradere cœpisse: quippe qui cogitaret, munus illud Musarum, sibi oblatum, gustatu quidem amarum esse, sed tamen virorem perpetuum conseruare: neq; enim vnquam, dum viuit, Laurus viriditatem suam amittit. Ita liberales artes, licet initio subamaræ videantur, immortalem tamen secum gloriam afferunt. Tantùm igitur postea labore atque industria sua effecit, vt ex abiecto ac vili ouium pastore Poêta clarissi-

rissimus euaserit. Legimus, eum peregrinationibus delectatum fuisse, quemadmodū etiam Homerum: quoniam ex multarum ciuitatum cognitione, maxima solet acquiri prudentia. Duxit autē vxorem Cleonen. Physigei filiam, ex qua Stesichorum Poëtam suscepisse dicitur. Sed quo tempore, aut qua ætate floruerit, non satis apud authores constat. Sunt enim, qui illum Homeri tempore fuisse tradant: sunt etiam, qui Homerum longè antiquiorem faciant. Nam Cicero & Porphyrius, & plerique alij, volunt Hesiodum Homero multis annis iuniorem esse, natumq; ante primam Olympiadem: quam opinionem etiam Solinus sequitur, qui ita scribit: Inter Homerum & Hesiodum Poëtas, qui in auspicijs Olympiadis primæ obijt, centum & triginta anni interfuerunt. Sed cum Homero aliqui tempore floruisse, rerum antiquarum diligentes authores prodidere; quamuis sit (vt Gellius & Panias tradit) vetus inter Grammaticos disceptatio, vter eorum ætate præcesserit: qua de re Ponticum etiam Heraclidem, duos Dialogos conscripsisse, memoriæ proditum est. Sed Philostratus, & Velleius Historicus, & M. Varro in primo de Imaginibus libro (quemadmodum Gellius refert) non esse dubitandum asserunt, quin eodem tempore vixerint Homerus & Hesiodus: atque id ex Epigrammate quodam probari potest: quod in Tripode, Musis in Helicone dedicato, inscriptum legebatur. Quem quidem Tripodem Hesiodus ipse dedicauit, cùm aliquando in Chalcide diuinum Homerum cantu superasset. Id autem Epigramma & apud Dionem legimus, & inter Epi-

Cic. de Senect.

Gel. Noct. Atti. lib. 3. cap. 11. li. 17. ca. 21.

gram-

grammata Græca circumfertur in hunc modum:

Ησίοδος Μοῦσαις Ελικῶνισι τοῦδ' ἀνέθηκε,
Υμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι δῖον Ομηρον.

Hesiodus posuit Musis Heliconibus istum,
Cùm cantu vicit diuinum in Chalcide Homerum.

Atq; hanc quidem Historiam bis apud Plutarchum relatam legimus, & in quinto, Symposiacῶν libro, & in eo Dialogo, qui Septem Sapientum inscribitur, quem nos olim in Latinum sermonem conuertimus. Ibi enim cùm Periander vellet, antiquam fuisse cõsuetudinem, ostendere, vt ænigmata proponerentur, sic ait: Apud veteres Græcos, ô Cleodeme, fuit hæc consuetudo, vt tales inter se dubitationes proponerent. Accepimus enim olim, cùm ad Amphidamantis exequias in Chalcidem celeberrimi sapientes ac Poêtæ conueniissent, (fuit autem Amphidamas vir peritus administrandæ Reipublicæ, qui cùm Eretrienses vehementer afflixisset, in prælijs, quæ propter Lilantum agrum facta sunt, occubuit) & cùm de recitatis carminibus iudicium ferre difficilimum esse videretur, quænam omnium essent optima, propter æqualem excellẽtiam: cùm præsertim etiam certantium Homeri & Hesiodi gloria multam hasitationem cum verecundia iudicibus afferret: ipsos Poêtas ad huiusmodi sese interrogationes contulisse. Et proposuimus (inquit Lesches) hoc modo, prior Homerus ænigma tale:

Μῦσα μοι ἔννεπε' ἐκγεγάα, τὰ μήτ' ἐγένοντο πάροιθε'
Μήτ' ἐς ἃ μετόπισθεν. Hoc est: θεν·

Dic mihi, quæ nunquã aut antehac, ô Musa, fuere:
Aut nunquam post hec sunt euentura.

Respon-

Respondit autem Hesiodus ita (vt fertur) extempore:

Αλλ' ὅταν ἀμφὶ Διὸς τύμβῳ χαλαχήποδες ἵπποι
Ἅρμαλα συλλίπτωσιν, ἐπειγόμενοι περὶ νίκης. Hes.

Cùm Iouis ad tumulum sonipes certamine hanget
Accelerans currum, quia sit victoria cura.

Atque hac de causa dicitur Hesiodus, cùm omnibus de se maximam admirationem concitasset, victim declaratus, Tripodem reportasse, quem postea Musis in Helicone dedicauit. Vixit autem Hesiodus longissimo tempore, adeò vt etiam prouerbio iactetur Hesiodi senecta, de ijs, qui admodum viuaces sunt. Extat etiam de Hesiodi longa ætate Pindari Epigramma huiusmodi:

Eras. Chil. 2. Cent. 7. prouer. 61. Hesiodi senect. vbi & sequens historia recitatur.

Χαῖρε δὶς ἡβήσας, χὠ δὶς τάφῳ ἀντιβολήσας,
Ησίοδ', ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης, Hes.

Salue bis pubes, & bis mandate sepulchro,
Hesiode, ô sapiens, quantum homo scire potest.

Quod autem Hesiodum bis pubuisse refert Pindarus de extrema senectute intelligendum est, qua quisque modo pueritiam referre videtur, vnde etiam prouerbio per antiquo iactatur: Αἰς παῖδες οἱ γέροντες, id est pueri senes. Sed quòd eundem bis sepultum appellat, ad historiam alludit, de qua Plutarchus in Conuiuio Septem Sapientū meminit in hunc modū, vt nos olim transtulimus: Cùm esset Locris Hesiodus in hospitio domo cum homine quodam Milesio, qui filiam hospitis vitiarat, & in stupro deprehensus fuerat; in suspicionem venit, tanquam ab initio sceleris illius conscius fuisset, & id tamen occultasset: cùm omni prorsus culpa vacaret, nihilominus in odium & iniustam criminationem

incidit. Nam puellæ vitiatæ fratres circa Locrense Nemeum insidias illi struxerunt, & eum vnâ cum eius socio, qui Troilus dicebatur, interfecerunt. Horum corpora cùm essent in mare proiecta, Troili quidem cadauer in Daphnum fluuium, è mari eiectum, adhæsit scopulo, non ita multùm à mari distanti: & ad hanc vsq; diem scopulus ille Troilus vocatur. Hesiodum verò mortuum à littore statim suscipiens Delphinorum multitudo, in Rhium exposuit, iuxta Molycriam: ibi tum fortè Locrenses stata sacra peragebant. Erat enim ea celebritas, quam etiam hoc tempore splendidè seruãt. Itaq; cùm allatum corpus visum fuisset, admirati omnes, (vt fit) ad littus accurrerunt, & cùm recens cadauer agnouissent, rebus omissis, cædis authores inuestigarunt, propter egregiã Hesiodi famam: & hoc quidem celeriter effecerunt. Nam inuentos eos & cõprehensos, in mare viuos præcipitauerunt, & eorum domum subuerterunt. Porrò Hesiodus in Nemeo sepultus est: sed pauci sunt alienigenæ, qui sepulture locũ sciant: siquidem propter Orchomenios occultatus est, qui moniti Oraculo, huius viri reliquias apud se seruare conabantur. Hæc quidem Plutarchus. Sed tamen ab Orchomenijs, qui Minyæ dicti sunt, postea Poêtæ huius ossa exportata fuisse legimus, & in medio foro cum hoc Epigrammate collocata:

Ασκρὴ μὲν πατρὶς τῶ ὁλυλήϊϑ', ἀλλὰ θανόντϑ
Οσέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει,
Ησιόδϑ, τῦ πλῆσον ἐν ἀνθρώποις κλέϑος ὅσσ
Ανδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

Quæ nos paucis quibusdã immutatis ita conuertimus:

Ascra

Ascra quidem fœcunda fuit tibi patria, verum
Bellaces equites ossa tenent Minya,
Hesiode, ante alios fama præstantior omnes,
Qui sapientum vnquam nomine præstiterit.

Quanquam autem de eius interitu nonnihil variant auctores: tamen in hoc omnes conueniunt: Ob admissum à socio stuprum interfectum fuisse. Nam Suidas eum ab Antiocho & Ctimeno per errorē interfectum tradit. Cùm enim ab eis hospitio susceptus fuisset, & illa nocte soror illorum vitiata esset, illis sororis constupratorem sese interficere rati, Hesiodum interemerunt. Scripsit autem Opera multa, quæ Pausanias Bœoticis commemorat. Præter enim Opera & Dies, & Theogoniam, & Scutum Herculis, quæ sola sunt in manibus hoc tempore, scripsit etiam Astronomica, & Hypothecas, id est, viuendi præcepta. Quæ tamen Quintilianus Hesiodi negat esse: licet Aristoteles aliter censeat. Præterea Heroum, & Heroidum Genealogias, & de Mulieribus, & de Vaticinandi arte, quam ab Amphiarai nanis, teste Pausania, didicerat. Nicocles, vt etiam Pindari interpres fatetur, Hesiodum ait primum per Rhapsodias carmina composuisse: cuius etiam carmina refert, in quibus Hesiodus de se fatetur cum Homero certamen iisse, & in Apollinis honorem cecinisse. Ea hæc carmina sunt:

Inst. Orat. lib. 1. ca. 2.

Ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὁμήρου ἀοιδοῦ
Μέλπομεν, ὑμνοισι νεαροῖς ῥάψαντες ἀοιδήν,
Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορα, ὃν τέκε Λητώ. Hoc est:

In Delo tum primum ego, Mæonidesq; Poëta
Lusimus, inq; nouis carmen cantauimus hymnis

Anti-

Auricomum Phœbum, quem Latona edidit alma.
Scripsit etiam de Dactylis Idæis, & Pelei Thedidúq; Epithalamium, & Epicedium in Batrachum amicum suum. Plutarchus in Conuiuio septem Sapientum tradit, etiam de Medicina Hesiodum scripsisse. Plinius de Herbis ab eodem fuisse scriptum tradit, volunt etiam quidam, Hesiodum Apologorum eorum, qui ab Aesopo nomen habent, auctorem fuisse. M. Manilius secundo Astronomicῶn multis versibus explicat, quæ scripserit Hesiodus: quæsi quis videre cupit, ab eo petat: est enim ipse Poêta in manibus. Quin etiam apud Lucianum Dialogus est, qui Hesiodus inscribitur, vbi multa de se loquente ipsum Poêtam Lucianus inducit. Sed de Hesiodi vita satis dictum sit. Nunc Operis huius, quod interpretandum suscepimus, inscriptionem & materiam videamus. Inscribitur enim Opera & Dies: & in eo tractatur de Agriculturæ scientia & quibus Diebus hoc vel illud facere conueniat. Scripsit autem hoc Opus ad Persem fratrem suum: quod exhortationes ad laborem pulcherrimas, & præcepta moralia, & tuendæ rei familiaris rationem continet, & præterea doctrinam Agriculturæ, temporaq;, quibus arandum, seminandumq; sit, & quibus metendũ, quiq; dies felices sint auspicati, qui nefasti & inauspicati. Ferunt enim, post parentum obitum facultates inter se Persem & Hesiodum diuisisse, sed Persen statim se voluptatibus dedisse, & breui tempore totum patrimonium dilapidasse: cùm interim Hesiodus frugaliter & honestè viueret: deinde cùm iam nihil sibi restare videret Perses, cœpisse cum Hesiodo litigare, &

Nat. Hist. lib. 25. c. 2. Quint. Instit. Orat. lib. 5. c. 11.

turpi iudicio cum fratre conflictari: vnde abillaudatissima vita atque inerti conatur eum Hesiodus ad bonam frugem & laborem reducere. Sed cur Opera & Dies inscripsit; & non potiùs contrà, Dies & Opera? aut cur Opera primo loco posuit? Quæstionem hanc soluit Poêtæ huius interpres Ioannes Tzetzes. Quoniam, (inquit) ad desidem & inertem fratrem scribens, priùs eum ad opera excitare voluit, quàm illi dies præscriberet, in quibus operandum esset. Frustrà enim quærit quis, qui dies ad opera & ad laborem apti sint, nisi priùs apud animum suum aliquid operari ac laborare decreuerit. Quæ sunt autem hæc tandem Opera, quæ docet Hesiodus? Nempe quarationc quis procul ab omni strepitu, possit honestè viuere, & per nullius iniuriam rem suam amplificare: Terram scilicet colendo, & quæcunq; ad eam artem spectant, diligẽter præparando. Nam (vt primo de Officijs docet Cicero) omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil agricultura melius est, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Quam apud eundem Ciceronem in eo libro, qui de Senectute inscribitur, Cato Maior copiosè laudat: & nos aliâs integra oratione, quantum facultas nostra tulit, in cœlum extulimus. Opera igitur, quæ ad agricultur am pertinent, hoc in libro tradit Hesiodus. Sed quinam sunt illi dies, qui titulo designantur? Sciendum est, eam esse Dierum partitionem apud Hesiodum, vt alios admittat vel ad inspiciendum, vel ad efficiendum: rursus vt alios, velut emortuos, præreat. Tres tamen Iouis appellat, vt primum diem mensis, quartum & septimum: cur autem hoc faciat, conat-

tur

tur in quadam ad Picum epistola Politianus rationem reddere. Quarto lunaris mensis die rectè nuptias contrahi censet Hesiodus, & naues ædificari. Septimum Sacrum appellat, in quo natus Apollo sit: atq; ob id constare septenis fidibus Apollinis lyram existimant. Sextum puellis inutilem, generandis verò maribus vtilissimum perhibet: quo die castrare agnos iubet, & pecora septis includere: quinetiam cauillis, & mendacijs, & blanditijs, & susurrationibus hunc diem dedicat. Octauum maximè laudat, tanquam operibus aggredien dis admodum efficacem: atq; etiam sues & boues eo die rectè castrari existimat. Nonum appellat innocuum, & procreandis liberis accommodatum: quo die rectè etiam arbores conseri arbitratur. Vndecimum in colligenda messe, laniscq; tondendis consumi iubet: quibus tamen rebus peragendis duodecimū præfert. Nam in eo die scribit araneum sua fila nere, & suas telas cōtexere; formicam autem ex granorum aceruis prædari: præterea duodecimo die mulos sine periculo castrari tradit. Tertiumdecimum ait conserendis arboribus idoneum esse: quoniam (vt ait Plutarchus) pleniore iam lumine insita vis radicibus diffunditur: eundem diem seminibus iaciendis incommodum esse vult. Quartusdecimus à Poëta Sacer appellatur, laudaturque tanquam idoneus fœminis gignendis; bubusque & ouibus, nec non etiam mulis & canibus mansuefaciendis ac domandis: atque eodem die relinendum esse dolium, & degustandum vinum. Sextus decimus nequaquam sationi vtilis est; & potiùs gignendis maribus, quàm fœminis conuenit: neque eo die

nuptiæ sunt auspicandæ. Decimo septimo die Lunæ di arbores tempestiuum est: quoniam decrescere Luna tum incipit, & humor, qui ligni cariem inducere solet, minuitur: comportariq; eo die fruges in aream iubet. Decimum nonum lustrationi tribuit. Vigesimum diem Magnum appellat: & ait, in eo prudentes & industrios homines gigni solere. Vigesimum quartum matutino tantùm tempore probat. Solet autem Hesiodus quartos omnes laudare, quintos verò vituperare: in quibus ait, furias errare, & periuros omnes puniri. Vetat autem vigesimo quarto die curis animum conficere, tanquam eo die maximè noxium hoc sit. Trigesimus etiam magnopere laudatur: in quo iubet, vt opera diligenter inspiciamus, & familiæ cibaria diuidamus. Hæc est eorum summa, quæ de Diebus hoc in Opere tradit Hesiodus. Iam igitur profectò videtis, quæ sit huius tituli significatio, & cur Opera & Dies inscribatur. Quinetiam ipsius Poëtæ scopus atq; intentio manifesta & perspicua est. Nam (vt eius interpres Proclus ait:) παιδευτικός ὅρος, hoc est, ad docendum accommodata. Videtur enim non alia de causa Opus hoc scripsisse: Nisi vt primò fratrem suum, deinde reliquos etiam populos ad rectè atq; honestè viuendum informaret. Totum enim primum librum in præceptis fere vitæ laudabiliter instituendæ consumit, & ad colendam iustitiam præcipuè adhortatur. Qua de causa non tantùm Græci veteres, sed etiam Romani, Poëtam hunc suis liberis ediscendum proponebant: propterea quòd nullum ad teneram ætatem, bonis moribus informandam, vtiliorem esse censebant. Vnde Cicero ad

Atti-

amicum suum Leptam scribens hortatur, vt filium suum iubeat Hesiodum edisce re, & eius præclaras sententias in ore habere: cuius hæc verba sunt: Lepta suauissimus edisc at Hesiodum, & habeat in ore: Lib. 6. Ep. Fam. 19.

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔληκαν.

Plato etiam quarto de Legibus: Primò Hesiodum (inquit) sapientem multi prædicant, cùm dicat, Viam ad vitia planam esse, ac sine sudore peragi, quia breuissima sit: sed ante virtutem (inquit) Dij immortales sudorem posuerunt: & via, quæ ad eum ducit, longa, ardua & aspera primùm est: sed postquam ad summa fastigia peruentum fuerit, quæ prius ardua vita fuerat, facilima redditur. Quin & Aristoteles Ethicorum primo, iubet eos, qui sapientiæ præceptis ad rectè viuendum indigent, Hesiodi carmina audire. Quare non potest non probatissimus videri Poëta ille, quem non tantùm celebris omnium fama prædicat: sed etiam reliquorum omnium præstantissimi scriptores, Plato, Aristoteles, Cicero suis suffragijs maximè comprobarunt. His accedit Quintiliani calculus, acuti sanè atq; ingenioſi Rhetoris, qui hunc Poëtam ita celebrat, vt dicat, vtiles eius ad præcepta sententias esse: lenitatemq; verborum, & probabilem compositionem eius prædicat: denique palmam huic in illo mediocri dicendi genere facilè concedit. Itaque cùm apertè intelligatis, ex huius Poëtæ lectione non tantùm Græcæ Linguæ eruditionem, quæ per se vos maximè mouere debet: verùm etiam grauissimas sententias, & præcepta viuendi vtilissima percipere posse: vnusquisq; vestrum contendere atq; eniti debet, vt ad eius audiendam in-

Cap. 4.

Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

terpretationem, animi alacritatem & celeritatem, ad intelligendam mentis acumen: ad ediscenda carmina memoriam accommodetis.

IN PINDARVM.

PRAEFATIO IV.

QVÆ res in omni vita duæ plurimùm valent, Auditores; hæ mihi semper maiorem in modum placuerunt, Amor & Labor. Quarum altera me incendit & inflammauit ad optimarum artium studia: altera verò fecit, vt quod cupiebam, aliqua ex parte consequerer. Amor ad contemplandam virtutis pulchritudinem scientiarumq; varietatē me induxit: Labor, quam putant alij difficilem atq; arduam Musarum viam, eam mihi planam atq; facilem reddidit. Atq; adeò in hanc mentem me primò induxit sapientissimus Poëta Virgilius, qui & Amori & Labori vim eandem attribuit. Cùm enim in Pastoritio Carmine suo iam dixisset: Omnia vincit Amor: non dubitauit etiam in Georgicis exclamare: Labor omnia vincit. Deinde, cùm per amœna Græcorum vireta mihi spatiari datum fuisset: nihil apud veteres, illos sapientissimos homines, Amore ac Labore magis celebratum inueni. Sed ex omnibus eorum sententijs, quæ penè sunt innumerabiles, duas

Eclog. 10. Lib. 1.

duas mihi eligendas censui, quibus mea ratio melius confirmaretur. Quarū altera Menandri est, de Amore: Ἐρῶ δ' οὐδὲν ἰσχύει πλέον. Altera Euripidis de Labore. Ὁ πόν' εὐκλείας πατήρ. Quibus reb. effectum est, vt à sapientissimo Senatu nostro Mediolanensi, quem honoris & amplitudinis causa nomino, cùm iampridem mihi Latinas literas publicè profitendi prouincia demandata fuisset, hoc tempore dignus existimatus fuerim, cui etiam Græcarum literarum publica Professio committeretur. Quare quid mihi homini nouo, vel ad præsentis temporis fructum commodius, vel ad posteritatis memoriam glorioſius accidere potuisset? Meum est igitur, Auditores, cùm in labore & amore tantas esse commoditates expertus fuerim, vos adhortari, vt duas has res sic amplectamini, nihil vt magis vobis esse cordi videatur: quod & aliàs sæpe feci, & posthac, quoties sese offert occasio, libentissimè faciam. Nunc cùm ex Decreto Senatus nostri, quem Ordinem (vt dignus est) tanquam Numen aliquod veneror, Græcam sum Linguam publicè professurus, reddenda mihi ratio est, cur ex omnibus Græcis auctoribus Pindarum potissimùm mihi interpretandum elegerim: ne, si rationem instituti mei non reddidero, id sine causa feciſſe videar. Mea semper sententia fuit, Auditores, boni Professoris officium esse, non ea, quæ trita sunt atque vulgata, atque omnibus cognita, sed quæ recondita sunt, & non ita multis intellecta, ad interpretandum esse sumenda: si modò pulchra sint ea, magnamq; audientibus vtilitatem allatura. Quis enim per publicā viam (quod aiunt) nescit ambu-

In Heroë.

In Licymnio.

lare? Quis à plurimis iam impressa vestigia sequens-cit? Tentanda via est, per quam non anseres, non-ui, non graculi, sed tantùm Musarum aues volare pos-sint. Verùm inter Græcos Poëtas neminem ex probatis esse censeo, qui, cùm minùs vulgatus sit, quàm Pinda-rus, vel reconditiorem variarum rerum eruditionem, vel grauiores sententias, vel feliciorem vberiorem-que sese contineat: quæ non mea sed doctissimorum hominum sententia est. Quis enim Quintiliani testimo-nium & encomium de Pindaro legens, nō ad eum amandum, legendum, & ediscendum excitetur? Quem non moueat his verbis Quintilianus? Nouem verò Lyrico-rum longè Pindarus Princeps, spiritus magnificentia, sententijs, figuris, beatissima rerum verborumq; co-pia, & velut quodam eloquentiæ flumine: propter quæ Horatius eum meritò credidit nemini imitabilem. Quid? Horatij carmina quàm in sublime Poëtam hunc efferunt!

Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

Lib. 4. Od. 2.

Pindarum quisquis studet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Feruet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore.

Et quæ sequuntur. Iulius Firmicus ex eius Genesi diuinum Poëtam Pindarum appellat. Quid? Græci scriptores quantopere Poëtam hunc admirati sunt! Nam Philostratus in Imaginibus suis hunc prater ce-

teri

teros maximè commendat, & propter eius natalem Nymphas ac Deos omnes festum celebrasse scribit. Quinetiam aiunt Pindarum Apollini gratissimum fuisse: quæ opinio, dum adhuc ipse Poëta viueret, tantopere inualuit, vt ab Apollinis sacerdote frequenter in templum ad cœnam vocaretur; & eorum, quæ offerabantur, sic præcipiente Oraculo, partem acciperet: quo quid honorificentius aut glorioſius excogitari potest? Ferunt etiam Panapastorum Deum Pindari hymno, quem in eius laudem conscripserat, tantopere laudatum fuisse, vt in syluis & montibus eum frequentissimè concineret. Illud ex Historijs sanè constat, Alexandrum Magnum tantum venerationis huic Poëtæ tribuisse, vt cùm Thebas diriperet, Pindari familiæ penatibusq; parci iuberet: cuius rei Plinius auctor est. Hoc etiam antea Lacedæmonios fecisse, memoriæ proditum est: cùm enim Thebas expugnassent, Pindari domui familiæq; pepercerunt, quoniam in foribus versum hunc scriptum legerunt: Plin. Nat. Hist. lib. 7. cap. 29.

Τὸν Μὴ θηβαίοις τὴν στέγαν μὴ κάιετε.

Fuit autem Pindarus (vt aliquid de eius vita attingã) Thebanus genere: vnde & Dircæus Cygnus ab Horatio dicitur: Lib. 4. Od. 2.

Multa Dircæum leuat aura Cygnum.

Est enim Dirce Mons apud Thebas. Pater eius tibicen fuit, qui Scopelinus atque etiam Deiphantus dicebatur. Primò igitur Pindarus patris artem didicit: postea verò cùm à patre Lasso Hermionæo, Poëtæ Lyrico in disciplinam datus fuisset, tanta fuit eius diligentia, atq; diuina vis ingenij, vt non ita multò post Præcepto-

rem ipsum longè superasset: diceret q; verissimum illud esse Prouerbiũ: quod apud Græcos vulgò fertur: πολλὰ μαθητὰ κρείσσονες διδασκάλων. Tradit Pausanias, cùm Pindarus esset adolescentulus, & Thebis Thespias iret: æstu meridiano fatigatum, paulùm è via diuertisse, atque in vmbra quadam obdormuisse: apesq; multas, dum dormiret, ad eum accessisse, & eius ori mel inseruisse: quæres suauissimam eius eloquentiam portendit. Vnde Poêta quidam Græcus ita Pindarum alloquitur:

Πίνδαρε, Μουσάων ἱερὸν σόμα, χὠ λάλε Σειρὴν.

Floruit eo tempore, quo Xerxes Persarum Rex magnum illum exercitum in Græciam adduxit, quo tempore etiam Æschylus in scena florebat. Vixit annos quinq; & quinquaginta: vt Suidas auctor est: demùm cùm petisset ab Apolline, vt, quod omniũ esset optimum, sibi daretur: cùm esset in Theatro, in gremio pueri, à se dilecti, mortuus est. Valerius Maximus, libro nono, cap. duodecimo, Poêtæ huius mortem scribit. Multa quidem Opera scripsit, sed Hymni tantùm in quatuor ludorum genera, Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia superfunt: reliqua eius scripta, temporum iniuriâ interierunt. Poêta Lyricus ideo dictus, quòd ad lyram carmina sua concineret. Nam erat hæc apud veteres cõsuetudo (quemadmodum Iz acius Tzetzes, Lycophronis interpres scribit) vt Lyrici Poêtæ, ad lyram carmina sua concinentes, certarent, & chorus quinquaginta hominum astaret in circulo: victores autem præmij loco Taurum acciperent. Fuit autem Lyra Musicum instrumẽtum, quæ eadem etiam Cythara dicebatur, & à Græ-

Græcis φόρμιγξ. Multùm enim decipiuntur illi, qui putant Lyram à Cythara diuersam esse: propterea quòd vulgò, quæ nostro tempore Lyra vocatur, ab ea, quam Citharam vocant, longè diuersa videatur. Nam apud antiquos eadem erat omnino Lyra, quæ Cithara: quod in Opusculo quodam ad Hieronymum Cardanum multis argumentis probamus. Fuerunt autem Lyrici Poêtæ celebres nouem, quorum nomina quodam Epigrammate Græco sic exprimuntur:

Ἐκλαγεν ἐκ Θηβῶν μέγα Πίνδαρος, ἔπνεε τερπνὰ
Ἠδὺ μελιφθόγγῳ Μοῦσα Σιμωνίδεω,
Λάμπει Σηστίχορος τε καὶ Ἰβύκος, ἦν γλυκὺς Ἀλκμάν,
Λαρά δ' ἀπὸ σωμάτων φθέγξατο Βακχυλίδης.
Πηθὼ Ἀνακρείοντι συνέπαιζε, ποικίλα δ' ᾠδὴ
Ἀλκαίῳ Κύκνῳ Λέσβιος Αἰολίδι.
Ἀνδρῶν δ' οὐκ ἀνάτη Σαπφὼ πέλεν, ἀλλ' ἐρατεινὰς
Ἐν Μούσαις, δεκάτη Μοῦσα κεκλήσεται.

Hoc Poêtarum genus scribere solebat Deorum hymnos, victorum in publicis ludis laudes, iuuenum amores, & conuiuia: quod Horatius in Arte Poêtica significat:

Musa dedit fidibus Diuos, puerosq; Deorum,
Et pugilem victorem, & equũ certamine primum,
Et iuuenum curas, & Libera vina referre.

Sed ad Pindarum nostrum reuertamur, qui suauissimis cantionibus suis victores publicorum certaminum sibi celebrandos sumpsit: Fuerunt autem apud Græcos olim quatuor Ludorum præcipuè genera, in quibus propositis præmijs, & cursu, & pugilatu, & luctæ, & saltu, & disco certabatur. Primùm Ludorum genus

Vide de his quatuor Ludis Nat. Comit. Mythol. lib. 5. ca. 1.

& seqq. & Scalig. De Poëtica.

genus Olympia dicebantur, (nam apud Græcos horum certaminum nomina numero multitudinis, & neutro genere proferuntur.) ab Olympia ciuitate cognominata, quæ eadem etiam Pisa vocata est, auctore Stephano, apud quam agebantur. Fuerunt autem ab Hercule in honorem Iouis instituta, vt suo loco declarabimus, & quinto quoque anno celebrabantur. Victores horum Ludorum Olympionicæ vocari, & oleastro coronari solebant. Secundum Ludorum genus Pythia vocabantur, sic à Pythone serpente, quem Apollo interfecerat, appellata. Tradunt Eurylochum Thessalum Amphictyonum ducem, debellatis Cirrhæis, hos ludos primum apud Delphos instituisse, in Apollinis Pythij honorem: qui quinto quoque anno celebrarentur, quemadmodum etiam Olympia. Sed victores primò coronam esculeam accipiebant: postea verò, succedente tempore, lauream. Sic enim Ouidius Metamorphoseōn, libro primo:

Hic iuuenum quicunq; manu, pedibúsve, rotáve
Vicerat, esculeæ capiebat frondis honorem.
Nondum laurus erat.

Tertium genus Ludorum vocabantur Nemea, sic à loco, vbi fiebant, dicta. Est enim Nemea regionis Argiuorum pars. Celebrabantur autem primò in honorem Archemori pueri, Lycurgi sacerdotis filij, quem serpens interfecerat: & erat funebre certamen, in quo vestibus atratis Iudices induti, de victoribus pronunciabant. Victores apio viridi coronabantur. Postea verò Hercules, deuicto Nemæo Leone, Ioui sacros hos ludos esse voluit. Quartum & vltimum Ludorum genus dicta

dicta sunt Isthmia, propterea quòd apud Isthmum Corinthium agebantur. Est autem Isthmus, terræ quædam angustia, quæ Ionium & Ægæum mare separat. Hi ludi fiebant in honorem Melicertæ, seu Palæmonis Athamantis filij, quem marinum Deum putabant. Sisyphus Corinthiorum Rex primus hos ludos instituisse dicitur. Corona ex pinu victoribus dabatur: & tertio quoq; anno ludi renouabantur, quod Nemeorum Oda[illegible]xta Pindarus indicat: licet Plinius aliter sentiat. Extat apud Græcos Epigramma satis egregium Archiæ Poêtæ, eius quem defendit Cicero, in quo quatuor hæc Ludorum genera, & in quorum honorem fierent, & quæ victoribus essent proposita præmia, breuiter concludit hoc modo: Plinius Nat. Hist. lib. 15. c. 19.

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' Ελλάδα, τέσσαρις ἱροί·
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων·
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμενος, Ἀρχεμόροιο.
Ἄθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Hæc sunt igitur quæ Poêta noster Pindarus celebrat: horum certaminum victores summis ad cœlum effert laudibus: ac primo loco ponit Olympionicas: secundo qui Pythia vicerunt, tertio qui Nemea, postremo, qui Isthmia. Sed dum patriam cuiusque victoris, originem ciuitatum ac familiarum peruestigat, magnas sæpe tenebras & obscuritatem lectoribus offundit. Atque vt in summa dicam: siue res, quas tractat Pindarus, siue locutionem, siue carminum varietatem spectes, magna est in eo difficultas, magna obscuritas. Quæ tamen neminem vestrum deterrere debet: cùm præsertim tantam sitis vtilitatem ex Pindari lectione

re-

reportaturi, quem ego tam apertè, tam facilè sum interpretaturus, vt etiam literarum Græcarum penitus rudes, si modò diligenter audire voluerint, omnia possint intelligere. Vos igitur prompto atq; alacri animo Poëtam hunc amplectimini, amate, colite: quo duce, Græcorum difficultates, atq; (vt ita dicam) Labyrinthos, & Mæandros facilè transibitis. Nam si hunc recte intellexeritis, reliqui omnes longè facilius vobis postea videbuntur. Excitet igitur ille, qui superat omnia, virtutis & scientiarum Amor. Nam (vt ait Cicero) Nihil est, quod amore & studio efficium possit. Facite, vt Epicharmi sententiam illam in animo atque in ore semper habeatis:

Epist. fam. lib. 3. ep. 9.

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγαθ' οἱ θεοί.

Nam si (quod initio dixi) duas has res coniunctas, Amorem (inquam) & Laborem: nihil est, quod quisquam vestrum dubitet, quin non tantùm hunc Poëtam sit intellecturus: sed etiam brevi multùm in omni disciplinarum genere profecturus.

IN DEMOSTHENEM.

PRAEFATIO V.

ET si vereor, Iuuenes, ne fortasse ingenij mei ac virium infirmitas in Demosthenis, ommũ Oratorum principis, Orationibus explicandis, in hac præsertim tam florenti ciuitate, in qua plurimi sunt, & Latinè & Græcè doctissimi, plerisq; satisfacere non possit: minimeq; deceat, cùm nulla sit eloquentia, nulla dicendi facultas, quæ vel auiditati meæ, vel rei magnitudini, vel eruditissimis aurib. vestris satisfaciat, Demosthenis ipsius immortales laudes attingere: tamen iste frequens consessus vester, & hic locus, ad profitendas literas ornatissimus, & ad dicendum amplissimus, non aliũ authorem, quàm Demosthenem interpretandum ac laudandum postulat. Neq; enim vobis bonarum tantùm literarum amatoribus placere potest vllus author, qui non eximius esse videatur: neq; publicum hoc, quo nos fungimur, interpretandi munus patitur, vt vulgares istos ac minutos sequamur authores. Quamobrẽ veteris illius ac laudati prouerbij memores, quo rectè sanè præcipitur: Vt ad res summas & egregias enitamur, sic enim futurũ, vt ad mediocritatem perueniamus: hunc summum omnium authorem vobis exponendum elegimus,

Quint. lib. 10. c. 1. Demosthenẽ in primis legendum, vel ediscendum potiùs puto.

gimus. Nam quamuis multis enitentibus, nullus unquam fuerit, qui perfectè diuinam eius eloquentiam exprimeret: cuius Orationes (vt Demades loco dixit) ad aquam scriptæ, non nisi à sobrijs ac vigilantibus possunt intelligi: tamen vt, qui frequenter in sole ambulant, facilè naturâ fit, vt colorentur: ita qui Demosthenis orationes studiosiùs legunt, sentiunt orationes suas earum cantu quasi colorari. Itaq; consilium meum à vobis omnibus probatum iri confido, quòd ex Græcis auctoribus, hunc potißimùm elegerim, quem omnium eruditorum consensus sic esse primum statuit, vt nullus omnium seculorum memoria fuerit, qui cum eo conferri posse videatur. Cuius ego statum ab mea adolescentia, tanto studio ardoreque flagraui, vt non solùm frequenter accurateque legerim, & totum euoluerim: sed etiam duos annos penè quotidie multis audientibus interpretatus fuerim: & iuuenili quodam feruore, ac propè dicam temerario, nonnullas eius Orationes in Latinum sermonem conuerterim. Quæ res tantùm mihi profuit, & ad dicendum & ad intelligendum, vt quicquid in Græcis literis me profecisse sentio, quicquid dicendo consequi possum, id totum penè Demosthenis acceptum feram. Quapropter ingratus sim, nisi, quantum in me est, exuuias eius laudes efferam, & quasi magistrum eum agnoscam. Quod enim nobis exemplum, aut quem scopum excellentiorem præfigere possumus, quò studium & cogitationem nostram dirigamus, quam Demosthenem? cuius tanta fuit vigilantia, tantus labor, vt de eo meritò dictum sit: Alterum Demosthenem mater ali-

Quint. lib. 10. c. 2. Lōgè omniū perfectißimus Orator Demosthenes.

Val. Max. lib. 8. ca. 7.

alterum industriam enixam esse: qui tantopere studijs eloquentiæ deditus erat, vt vehementer se dolere diceret, si quando opificum antelucana victus esset industria. Sed præstat, aliqua de eius patria, vita, moribus, breuiter commemorare: vt quicunq; vestrũ honoris & gloriæ desiderio trahitur, pulcherrimum sibi ante oculos exemplar studij ac diligentiæ proponat. Nam in nullius hominis vita clarius elucet, quàm in Demosthene quod diuinus Plato dixisse perhibetur: Gloriam esse laboris filiam. Fuit igitur Demosthenes, Atheniensis genere: vt hæc eius prima felicitas habeatur. Nã Euripidem Tragicum Poêtam dixisse ferunt: Eum illustri primum patria propugnatum esse oportere, quisquis fœlix homo sit futurus. Quid autem vnquam Athenarum ciuitate fuit illustrius, quæ inter cæteras omnes totius orbis ciuitates, tanquam sol quidam fulgentissimus inter minora sidera, diutissimè reluxit? Ex hac enim vrbe, sapientiæ principes innumerabiles exiere: in hac (vt M. Tullius ait) alta est atq; nutrita ratio: ad hanc vrbem, tanquam ad bonorũ omnium fontem, populi ac nationes vndiq; confluebant: & quicunq; aliquid percipere, aut audire studebant, vel qui de ingenijs poterant iudicare, cognitione dignam existimabant. Hinc illi sapientissimi Philosophi, Socrates, Plato, Polemo, Speusippus, innumerabiles q; alij, quorum vbiq; nomina celebrantur: hinc historici, hinc Poêtæ; hinc Oratores plurimi, quibus primam hic noster Demosthenes palmam præripuit: hinc omnium disciplinarum Professores euasere. Ad huius ciuitatis inflammationem, & exemplum inflammati Romani, ad

Cic. 4. Tuscul.

Epist. fam. lib. 6. ep. 1.

eam, quam scimus omnes, amplitudinem imperij inuenerunt: neq; vllum est ferè paulò nobilius, aut clarius Romanorum factum, quod non quasi ad exemplar Athenienſium effectum esse videatur. Iam verò fuit Athenis verborum splendor, ea venustas, vt quoties Romani autores aliquid egregiè laudare voluerint, quo nihil splendidius aut elegantius dici posſit, Atticos sales, Atticos lepores, Atticam eloquentiam appellare consueuerint. Quin Aristides scriptum reliquit; Eorum omnium, non solùm Barbarorum, sed etiam Græcorum sermonem, si cum Athenienſium elegantia comparetur, puerorum videri balbutientium. Hinc est, quòd Cicero Platonis Athenienſis dictionem tantum admiretur; vt non dubitarit dicere: Iouem ipſum, si Græce qui velit, non aliter locuturum, quam scripſerit Plato. Hinc est, quòd in Periclis labris veteres Comici templum habitare dixerint; quòd idem ab Aristophane Deorum fulgurare, tonare, & permiscere Græciam dictum est. Ex hac igitur tam clara ciuitate natus Demosthenes. Parentes etiam satis diuites & nobiles habuisse dicitur. Quamuis enim Valerius Maximus Demosthenis patrem cultellos vendidisse scribat: matrem verò dicat Æschines Gylonis cuiusdam, ob proditionem ab Athenis pulsi, & barbaræ mulieris fuisse filiam: tamen eum ab hac infamia Theopompus Historicus omnino liberat, qui Demosthenis patrem tradit in primis honestum Athenis ac probum virum fuisse, qui Macharopœus ideo cognomento dictus est, quòd gladiorum egregiam officinam, multis opificibus instructam, haberet. Quod certè mihi magis sit verisimile; cùm Plutarchus

De Clar. Orat. Cic. 3. de Orat. pag. 155. b.

Cic. ad M. Brutum. pag. 99. a.

Lib. 3. Cap. 4.

chus in satis amplo patrimonio relictum à patre, cùm septimum ageret annum, Demosthenem scribat: sed cùm eius tutores partim bona surriperent, partim negligerent, non potuit ijs artibus ac disciplinis instrui, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari solet: cùm præsertim esset etiam imbecillo corpore, nec sineret eum mater laboribus onerari, verita ne fortasse in aduersam valetudinem incideret. Quod commune ferè matrum solet esse vitium, vt infantiam statim delicijs soluant. Mollis autem illa educatio, quam indulgentiam vocamus (vt ait Quintilianus) neruos omnes & mentis, & corporis frangit. Itaq; cùm molliter educaretur à matre puer adhuc Demosthenes, à pueris Batalus cognomento dicebatur: fuit enim Batalus tibicen quidam mollis & effœminatus, vt Plutarchus tradit: quamuis alij lasciuorum carminum Poëtam Batalum fuisse velint. Dictus est etiam Argas, ob morum asperitatem & amariciem: nã Poëtæ quidam anguem ac serpentem Argan vocitarunt: vel quòd adeò durè loqueretur, vt audientes non mediocriter angeret: ferunt enim Argan quendam fuisse, qui leges duras ac difficiles tulerit. Sed vtinã, quemadmodum adolescentes plurimi Demosthenis puritiã, & mollem & eneruatam, imitantur, sic etiam cum ea doctorũ hominum gloriam & celebritatem suspicientes, ad honestatem atq; ingenuas artes inflammentur! Nam ad Oratoriam artem initio Demosthenes ab huiusmodi causa dicitur animum appulisse. Erat eo tempore Athenis insignis quidam Orator, Callistratus nomine: is cùm Orepi agendam in iudicio causam suscepisset, maximam

In vita Demosth.

Inst. Orat. lib. 1. ca 3.

Eras. Chil. 1. Cent. 6. Prouer. 12. Batalus.

omnibus expectationem de se concitauit: itaque cùm ad eum audiendum vndiq; concurrerent, Pædagogum suum Demosthenes obsecrauit, vt se etiam ad eam actionem duceret. Ille, vt qui cum ostiarijs familiaritatem haberet, facilè in foro locum impetrauit, in quo puer clàm sederet, & audiret. Cùm igitur Callistratus egregiè peroraſſet, atq; in eo iudicio victor extiſſet, omnes eum ad cœlum laudibus efferebant, omnes admirabantur, omnes ingenti plauſu excipiebãt. Quæ cùm Demosthenes, in turba latitans, omnia audiret, cœpit eum laudis & gloriæ deſiderium excitare. Dormiebat in eo videlicet ea diuina vis ingenij, materna blanditijs cõſopita, quæ cùm primùm nitorem ac ſplendorem vidit cœpit emicare. Quam creditis mentem Demoſthenis fuiſſe, Iuuenes? quem animum, cùm tanto in honore Calliſtratum eſſe videret? eum etiam ab omnibus celebrari, à foro magna cum gloria deduci, de illo vno voces vbiq; iactari, omnium oculos in illum vnum coniectos? Equidem credo, laudis amore cor illius adeò cœpiſſe palpitare, vt (quod ait Plautus) artem ludicram facere videretur: ipſum verò adeò commotum ac perturbatum amiſſi temporis recordatione, vt nullo modo lachrymas continere potuerit: atq; ita ſecum tacitè locutum: O me miſerum & infelicem, qui florem ætatis fruſtrà conteram, qui non intelligam, has delicias & voluptates breui dilapſuras, qui non æternitatis dulcedine commouear! O triſte fatum meum, ſiquidem inglorius & infamis ſemper futurus ſum! Ergo vnus Calliſtratus in omnium ore verſabitur? Demoſtheni per ignauiam tempus peribit? O ſi pueriles an-

In Aululat Act. 4. Sc. 1

nos rectè collocassem! quib, illi negocijs, quibus ineptijs, per imprudentiam mihi defluxere? O mater! mater, tu tuis me blanditijs perdidisti. Heu sortem iniquam! Nemo vnquam mihi virtutis speciem ostendit, nemo desidem ac inertem excitauit, nemo scientiæ pulchritudinem aperuit. Sic infœlix pupillus, neglectus ab omnibus, rerum ignarus turpiter vixi. Sed iam valeant delitiæ, valeat matris indulgentia, procul ô procul absint voluptates, quibus nullum est cum virtute commercium! En vnicum est remedium: Toto impetu ferar ad labores: ardentiùs ac vigilantiùs literarum studia complectar: nullum mæcium, nullus somnus retardabit: non fames, non sitis, non frigus, non calor ab incepto studio remouebit. Ingens enim (vt video) gloria longo labori comitatur. Hæc secum locutus Demosthenes, maximo animi ardore ad omnium rerum dominam eloquentiam se contulit, cœpitq; & meditando, & dicendo seipsum exercere: & quamuis eo tempore doceret Isocrates, Isæo tamen vti præceptore maluit, vel quia, cùm adhuc esset in tutela, decem minas, quas Isocrates à discipulis exigebat, persoluere non poterat, vel quia magis Isæi dicendi facultatem, vt efficaciorem, & iudicijs aptiorem, probabat. Dedit etiam Philosophiæ operam, & Platonem audiuit, vt quidam scribunt, inter quos etiam Cicero: sed cùm iam esset adultus, & se aliquid in dicendo posse intelligeret, tutoribus suis litem intendere constituit, atq; eos die dicta in iudicium vocauit: & quamuis multas illi calumnias & Mæandros excogitarent: tamen ob assiduam in eos meditandi & scribendi diligentiam, non sine periculo

De Clar. Orat.

superior euasit. Attamen minimam partem horum, quibus ab eis defraudatus fuerat, exegit. Hinc sumpta audacia, atque orandi consuetudine, cùm tam actionum ac iudiciorum ambitionem degustasset, in lucem prodire constituit & Rempubl. administrare: sed cùm ad populum verba faceret, nimio quoq; strepitu mouebatur, omnesq; ridebant eius orationem, longo verborum ambitu confusam, & superuacaneis argumentis elaboratam. Quinetiam vox eius exilis erat, & obscura atq; incerta locutio, & infirma latera, vt non facilè posset, quid ab eo diceretur intelligi. Quarum rerum desperatione motus, tristis ac mœrens secessit in Pyræum, vt ibi fortunam aduersam suam, & infelicitatem deploraret. Sed cùm in Eunomum quendam Tarsium incidisset, ab eo vehementer reprehensus est, quòd, cùm eius oratio Periclis orationi parum similis esse videretur, seipsum tamen per ignauiam & socordiam perderet: neque concionum fluctus, ac fori strepitum perferre posset, sed animi mollicie natura bona frangeret. Quibus ille verbis commotus, iterum verba facturus ad populum processit: sed cum nihilo feliciore successu sperneretur, non mediocriter merebat. Hîc libet hominis mirari constantiam, & animi magnitudinem: qui cùm plurimos videret Oratores in magno esse honore, & attentissimè ab omnibus audiri, se verò penè solum contemni & irrideri, non tamen animo cecidit: sed quò minùs ex sententia rem sibi succedere videbat, eò magis ad labores & vigilias incendebatur. Erat eo tempore Ludius quidam, Satyrus nomine, qui cum magnam Demosthenes familiaritatem habe-

habebat: neq; minorem, quàm habuerit postea cũ Roscio Cicero: apud hunc cùm aliquando tristis conqueretur Demosthenes, quòd cùm omnium maximè tempus & diligentiam ad dicendum adhiberet, nullam tamen apud populum gratiam assequeretur: Ego (inquit ille) si qua mihi Euripidis aut Sophoclis carmina rectare volueris, facilem huius rei tibi medicinam ostendam: quod cùm libentissimè se facturum Demosthenes respondisset, sic eius vocem & actionem Satyrus emendauit, vt non amplius ille Demosthenes horridus & incultus, sed alter videretur. Ex hoc tempore tantùm homini creauit animus ad eloquentiam, tantus ardor ad dicendum, vt nihil posteritati reliquum fecerit, quod ad eius industriam & vigilantiam addi possit. Discite igitur, Iuuenes, quantis laboribus, quantis vigilijs, qua cura, qua solicitudine, sua Demosthenis steterit eloquentia: vt ad eius imitationem animũ erigatis: neq; speretis, per ocium ac negligẽtiam animi bona parari posse: quibus qui ornati fuerint, ij soli verè beati sunt. Cùm igitur præclarè intelligeret Demosthenes, quantum in oratione, vocis, & vultus, & gestus moderatio cum venustate posset, hypogæum quoddam, hoc est, subterraneum ædificium sibi parauit, quod ingressus quotidie solus, ad vocis suauitatem se exercebat, & gestum ac motum corporis fingebat. Sed illud animi pertinacis & admirandi fuit: nam vt exeundi sibi è domo licentiam præcideret, mediam sibi capitis partem abradebat. Itaque sæpenumero duos atque etiam tres menses domi inclusus, nunquam scribendi aut meditãdi exercitationẽ intermittebat. Ouerè studiosum,

& omni laude prædicandum animum! Hæc est exili-
gentia, hoc illud est studium, hæc industria, quæ dam-
simum & celeberrimum hominem reddit. Falsus
Quint. Instit. lib. 1. cap. 1. eorum querela, qui plerosq; dicunt, laborem ac tempo-
ra tarditate ingenij perdere: qui paucissimis homini-
bus, asseuerant, vim eam percipiendi & efficiendi, quæ
voluerint, esse concessam. Sit animus excelsus, indefes-
sa cura, studium pertinax: etiamsi natura parum adiu-
rarit, tamen, quicquid sibi imperat, obtinebit: Hac ra-
tione Demosthenes, quem plerig; crediderunt, natu-
ra & ingenio non multùm valere, tam altè tamen eu-
lauit, vt nullus ad eius amplitudinẽ potuerit vnquam
Lib. 4. cap. 7. aspirare. Prælia tus est enim (vt ait Valerius) cum ru-
rum natura, & quidem victor abijt. Nam cùm ab in-
unte ætate primam eius artis, quam affectabat, lite-
ram pronunciare nullo modo posset, oris sui vitium ta-
Cic. 2. de Diuin. & de Orat. li. 1. in fine. to studio expugnauit, vt postea nullus esset, qui literam
eam expressiùs referret. Deinde cùm eius vox, pro-
pter nimiam exilitatem & asperitatem, auditoribus
molesta esset & acerba, continua exercitatione tan-
tùm effecit, vt nemo suauiùs, aut gratiùs loqueretur.
Cùm verò laterum infirmitate spiritum in dicẽdo non
multum trahere posset, etiam huic naturæ vitio reme-
dium inuenit: multos enim versus vno spiritu comple-
ctebatur, eosq;, ardua loca celeri gradu scandens, pro-
nunciabat: cumq; ad tumultus concitatæ multitudinis
in actionibus obtunderetur, ad vadosa littora declina-
bat, vbi fluctuum immensi fragores audiebantur,
vt eo strepitu completæ aures, concionum fremitus fa-
cilius tolerarent. Fertur quoq; lapillis, ore inserto,
mul-

multùm ac diu loqui solitus, vt ore vacuo promptiùs & solutiùs loqueretur. Quas cùm omnes difficultates, animi pertinacia & constantia superasset, intellexit, eam Periandri sententiam, quam ipse frequenter vsurpabat, esse verissimam : Μελέτᾳ πάντα δύναται, hoc est, Exercitationem omnia posse. Penè praeterieram, quod minimè praetereundum fuit : Habuisse domi Demosthenem ingens quoddam speculum, ad quod seipsum contemplans, gestus conformaret: quibus rebus effecit, vt eius pronunciatio multitudini vehementissimè placeret. Sed quae hactenus à me de Demosthene recitata sunt, ideo copiosiùs ea tractaui, quòd viderem ad optimarum artium studia, & ad eloquentiam per ea vos plurimùm excitari posse. Quae verò de eius vita restant adhuc, ea multò breuiùs perstringam, cùm quia non admodum ad propositum nostrum faciant : tum etiam, quia Plutarchus ea & eleganter, & copiosè tradidit, quae facilè quilibet vestrum apud eum legere potest. Cùm igitur omnes sui temporis Oratores Demosthenes superasset, praeter vnum Demadem, quem adeò naturali ingenio polluisse fatentur omnes, vt non tantùm a Demosthene non vinceretur, sed etiam ei praestaret. Nunquam tamen ex tempore dicebat, neque vnquam in concione volebat assurgere, nisi rem, de qua dicturus esset, antea cogitasset : vnde plerique timidum eum existimarunt: sed in hac re Periclis consuetudinem imitabatur, qui non facilè de omni re dicere, neque fortunae suam existimationem committere solebat. Cùm autem ad Rempubl. sub tempus Phocensis belli se contulisset, nactus est materiam vberem

Quint. Instit. li. 11. c. 3

In vita Demosth'.

& honestam, pro Græcorum libertate contra Philippum Macedoniæ regem decertandi: vnde breui tempore nomen & gloriam assecutus est. Neque solùm vt eloquens, sed etiam vt fortis vir & constans in omnium erat admiratione: suspiciebat eum tota Græcia, Persarum Rex obseruabat, apud Philippum de eo mentus erat sermo: quin etiam eius hostes & aduersarij sibi contra virum fortem & præclarum rem esse satebantur. Quòd si eius eloquentiæ & vitæ integritati virtus bellica respondisset, poterat sanè cum Thucydide aut Pericle comparari: verùm ad dicendum, quàm ad faciendum longè fuit instructior. Tanta fuit enim eius eloquentia, vt cunctas Græciæ ciuitates, quarum, tim Philippo propter eius felicitatem studebant, partim Athenienſibus aduersabantur, dicendo impelleret, vt contra Philippum arma sumerent: sed cùm ad pugnam ventum esset, oblitus verborum, quibus Græciam concitarat, abiectis armis, turpiter aufugit: quo in prælio Græci maximam cladem acceperunt. Postea verò quàm Philippus mortuus fuit, iterum Græciam Demosthenes concitauit, vt aduersus Alexandrum Philippi filium arma caperet: quod cùm esset factum, Alexander in Bœotiam venit, & Thebanorum ciuitatem euertit. Quamobrem fractis Athenienſium animis, Demosthenes vná cum alijs quibusdam, legatus ad Alexandrum missus est: sed cùm regis iram pertimesceret, retrò cessit. Demades autem postea regem Alexandrum Athenienſibus reconciliauit. Vixit in vrbe post hac non satis gloriosè Demosthenes: donec Areopagitarum cõsilio condemnatus, quòd ab Harpalo quodam, qui Athe

nas
car
um
tur,
mas
gim
der
spir
Ath
ac l
ac p
sthe
tur
don
Ath
stat
qua
str
dot
tul
se
lun
gè
per
tur
bu
cùm
the
tie
De

nas ab Alexandro profugerat, pecunias accepisset, in carcerem coniectus est: vnde clàm aufugiens, in exilium concessit. Sed parum viriliter exilium tulisse dicitur, cùm subinde Athenas respiceret, voces q3 & lachrymas non generosas emitteret. Exulauit autem in Ægina & Trœzene, quo tempore mortuus est Alexander: cuius cognita morte, rursus Græciæ ciuitates conspirarunt: sed cùm Pytheas Orator, & Callimedon, ex Athenis profugi, Antipatro adhæsissent, & cum amicis ac legatis eius Græciam peragrantes, ciuitates in fide ac potestate Antipatri continere niterentur, Demosthenes legatos Athenienſium sequutus, eis opitulabatur, multis q3 persuasit, insurgendum esse contra Macedones, eorum q3 dominatum depellendum. Quæ cùm Athenis renunciarentur, adeò grata fuerunt, vt eum statim ab exilio reuocarent. Itaque missa nauis est, quæ Demosthenem ab Ægina reduceret: cui magistratus omnes obuiam profecti sunt, & cuncti sacerdotes, magna q3 ciuium multitudo, vt aduentum ei gratularentur. Ferunt autem ipsum Demosthenem, cùm se à populo, tanto plausu videret excipi, sæpius ad cœlum manus tetendisse, Dijs q3 gratias egisse, quòd longè sibi præclarior, quàm Alcibiadi, reditus contigisset: persuasis ciuibus, non coactis. Sed non diu post reditum suum patriæ conspectu gauisus est. Nam rebus Græcorum affectis & concussis, non ita multò pòst, cùm nunciatum esset, Antipatrum & Cratherum Athenas aduentare, Demosthenes, & qui cum eo sentiebant, ex vrbe profugerunt: populus autem, autore Demade, capitis eos condemnauit: quibus variè dispersis,

ſperſis, Demoſthenes in Calabriam ad Neptuni templum confugit. Ad quem cùm Archias quidam, cum ſatellitibus ab Antipatro miſſus, aduenisſet, eum rogare cœpit, vt vnâ ſecum ad Antipatrum veniret: ſecum curaturum, vt nihil ab eo mali pateretur. Hunc paulisper expectare Demoſthenes iuſſit, donec ad domeſticos ſuos ſcriberet: ſimulq; ad interiorem templi partem progreſſus, venenum, quod iampridem ad eum vſum ſecum habebat, ebibit: atq; ita vir eximius, ac diuinus Orator extinctus eſt: quem Democrates hoc facili genere mortis ereptum è Macedonum ſæuitia ſcribit. Sed ad ea, quæ propoſiti noſtri ſunt, reuertamur, vt aliquando finem dicendi faciamus. Credo neminem veſtrum eſſe, Iuuenes, qui perſuaſum habeat, Oratorum omnium præſtantiſſimum eſſe Demoſthenem, qui (teſte Quintiliano) Ciceronem noſtrum, quantus eſt, effecit. Itaq; non eſt, quòd in eo laudãdo, ingenij velim vires oſtentare: cùm ab ipſo M. Tullio, eloquentiæ parente, multis in locis diuinis laudibus efferatur: vt nihil acutè inueniri poſſit in cauſis, nihil ſubdolè, nihil verſutè, quod ille non viderit: nihil eius dictione ſubtilius, nihil enucleatius, nihil limatius fieri poſſit: præterea nihil grandius, nihil incitatius, nihil ornatius vel ſplendore, vel ſententiarum grauitate. Hæc & eiuſmodi plura cùm de Demoſthene dicat Cicero, quid eſt, quòd noſtra laudatione ad Demoſthenis amplitudinem accedere poſſit? Quare ſatis ille vobis probatus eſſe debet Orator, quem ſummus M. Tullius & ſuperiorem agnoſcit, & admiratur. Hic vos ingenioſum & grauem orationis curſum acutè docebit inuenire: hic pul-

Inſt. Orat. lib. 10. c. 1.

Cic. in Bruto. pag. 167. b.

cherri-

cherrimum quendam in disponendis orationis partibus & argumentis ordinem aperiet: hic exornationum ac figurarum varietate, mira quadam dignitate, quicquid inuentum ac dispositū fuerit, expolire vobis ostendet: vt interim prætermittam Græcarum literarum cognitionem, quam ex hoc autore, qui nō nisi Atticam Venerem spirat, facilimè percipietis. Quid autem hîc attinet, Græcam eruditionem verbis exornare, quam omnes mediocris in literis iudicij homines maximè semper expetiuerunt? licet quidam eam aspernentur, quòd nimis difficilis esse videatur: sed hæc ignauorum est oratio, qui sine sudore & puluere coronari velint. Vos autem agite, nobilioris animi Iuuenes, quibus magis vigilias ac labores, Demosthenis exemplo, quam luxum ac delitias amplecti est animus. Agite, inquam, bonis auibus hunc summum ducem ad æternam gloriam Demosthenem sequamur: huius imitatione, quicquid effœminatum ac mollem reddit animum, negligamus: non nos aduersa fortuna, non spes sæpius frustrata, non irritum votum ab inceptore trahat. Nunquam in magnis rebus, atq; in bonis studijs desperandum. Fortuna ipsa, quamuis diu repugnet, denique tamen aperit viam. Nulla sit tanta vis, quæ debilitare institutum nostrum aut frangere possit. Huc omnis animi impetus aduolet. In studio literarum sint omnes cogitationes vestræ, omnis cura, omnis solicitudo. Quātum alij voluptatibus, quantū conuiuijs, quantum aleæ tribuunt, tātum vos ad hæc studia recolenda sumatis. Veniat in mentem vobis, quàm speciosa, quàm admirabilis, quàm diuina quædam res sit, varijs disciplinis

mens

mens expolita: quàm contrà turpe, quàm indecorum, quàm indignum homine, luxu diffluere, & pecudum more corpus curare. Nec sanè video, quid hac hominum monstra, qui tantùm corpori student, à belluis differant, nisi quòd humanam præ se faciem ferant. At vos, quibus ignea vis est in pectore, quos illecebris suis ipsa Virtus trahit ad verum decus, res arduas & difficiles tentate: quicquid egregium atq; eximium esse videtur, id manibus pedibus capessite: neq; villa res sit tam aspera, quæ vos ab optato gloriæ cursu reuocare possit.

IN

IN ARISTOTELIS DE ARTE RHETORIca libros tres.

PRAEFATIO VI.

VEtustißima consuetudo fuit, vt ait Plinius, referendi bene merentibus gratiam: vt ij, qui mortales, aut omnes, aut certè quàm plurimos beneficijs affecißent, in Deorum immortalium numerum, cùm excesißent è vita, cooptarentur. Fuit enim olim vniuersis ferè gentibus persuasum: Deum esse mortali iuuare mortalem: & hunc esse vnum ad æternã gloriam cursum. Sic Herculem quondam, & Liberum patrem, post exantlatos innumerabiles penè labores, tandem grata posteritas Numinibus adscripsit. Sic Atheniensis Cecropem suum, coniugij auctorem, à quo ciuilem cultum edocti fuerant: Lacedæmonij Castorem & Pollucem, qui deinde cæteras etiam apud gentes ac nationes pro Deis habiti sunt: Ægyptij Theuthum, à quo literas acceperant: Itali Ianum, quem ob singularem prudentiam ac sapientiam, bifrontem fuisse confinxerunt: Romani Quirinum, Vrbis parentem & conditorem: & deniq; alios alij complures post mortem Numinibus æquatos, Deos indigetes appellarunt. Quòd si quis q̃, conditione mortali natus, dignus haberi debet, qui

Nat. Hist. lib. 7. ca. 2.

qui diuinos honores consequatur: ij certè non tantum mea, sed etiam bonorum omnium sententia, digni sunt, qui, quod ait Poëtarum princeps Virgilius,

Aen. 6. Phœbo digna locuti,
Inuentas aut qui vitam excoluere per artes.

E quorum numero, cùm hac in re quàm plurimi laborarint, duo præstantissimi omnium, qui post homines natos vnquam floruerunt, Plato atq; Aristoteles, ingenij gloria sic inter se cõtenderunt, vt alijs omnibus longo interuallo post se derelictis, vter eorum alteri præstet, vix quisquam sanæ mentis iudicare audeat. Vterque enim est in suo genere summus, vterque vehementer admirandus. Sed is, quem nonnulli Philosophorum Homerum appellant, Plato: quem eloquentiæ Romanæ parens, M. Tullius Cicero, audet etiam Aristoteli præponere, quoniam (vt opinor) nondum bene planè intus, quod aiunt, & in cute cognouerat, alia quadam ac diuina mente præditus, ea perscrutari conatus est, quæ non modò nullo sensu satis percipi possunt, sed vix cogitatione atque intelligentia comprehendi: &, quod caput est, quorum antegredientes causæ vel nullæ sunt, vel saltem non necessariæ: quitamen, cùm Antistes haberetur sapientiæ, sic ab omnibus, dum adhuc viueret, obseruabatur, vt eum non tanquam aliquem in terris natum hominem, sed ex cælo delapsum Deum intuerentur. Declarauit hoc Dionysius Tyrannus, aliás sæuitiæ (quod ait Plinius) superbiæque natus, qui vittatam ei nauem, tanquam Apollini Delphico, venienti misit obuiam: ipse verò quadrigis albis egredientem in littore excepit. Sed alij

Tusc. 1.

Nat. Hist. lib. 7. c. 30.

Plato-

Platonem omnes admirati sint, dum ipse Plato cum omnibus vnū, præter cæteros, Aristotelem suspexerit. Constat enim, Platonem Aristotelis solertiam, & incredibile ingenium tantopere miratum fuisse, vt quoties in Gymnasium docendi gratia veniret, circumspicere solitus fuerit, an Aristotelem, qui eius frequens erat auditor, alicubi sedentem videret: quòd si fortè præsens ille nō fuisset, exclamabat Ὁ νοῦς οὐ πάρεστι, Mens non adest: perinde quasi cæteri omnes, præ vno Aristot. priuati mente viderentur. Tantus in eo splendor ingenij, tantum animi decus elucebat. Nam omnino post Platonem, cui dubiam atque incertam victoriam reliquit, omnium eruditorum testimonio, totius Græciæ, cùm prudentia, & acumine, & venustate & sublimitate, tum verò eloquentia, varietate, copia, quam se cunq; in partem dedit, omnium fuit facile princeps. Quod si fortasse quispiam tam pertinax in sententia fuerit, vt hunc in cæteris Platoni parem, aut etiā inferiorem existimet, quòd minimè concedo: illud quidem certè fateatur necesse est, in explicandis rerum naturalium causis, atq; in tradenda scientiarū via atq; ratione, quam Methodum vocant, Aristotelem esse Platone longè superiorem: cum apud illum nihil ferè cum via ac ratione tradatur: apud hunc verò nihil omnino sine methodo. Quamobrem mira profectò quædam res fuit, & quæ non ab hominis natura proficisci potuerit, sed quæ à diuinitate quadam necessario extrinsecus aduenerit, sicut ait magnus ille Peripateticus ex Arabia, quòd in vno homine tanta vbertas ingenij, tam incredibilis rerum omnium cognitio, tāta opti-

marum artium scientia extiterit, vt omnino diuinum potiùs, quàm humanum Aristotelis ingenium existimari debeat. Tres enim omnium excellentissimas artes, vt ait ille idem Auerroês, ipse solus & inuenit, & perfecit: hoc est, Differendi rationem, quam Logicen vocant; Naturalem scientiam, quæ Physice dicitur; & Primam ac diuinam Philosophiam, quæ propriè Sapientia nominatur. Nam quod ab antiquis de his rebus antea dictum fuerat, pro nihilo putandum est: quæ nullam harum maximarum artium partem penitus absoluerunt: nec quisquam eorum, qui post Aristotelem scripsere, quidquam his artibus addidit, quod alicuius esse momenti videatur. Sed illud multò maximè mirandum est, quòd in tot Aristotelis scriptis, quæ passim à præclarissimis ingenis continenter versantur, nullus vnquam apertus error, aut animaduersione dignus repertus fuerit: nisi quis paucula obijciat, in quibus à Christiana pietate dissentire creditur. Quæres profectò declarat immensam quandam, ac verè diuinam huius viri rerum omnium scientiam. Verùm vt reliqua prætermittamus hoc tempore, quæ sunt ab hoc auctore diuinitus conscripta Opera, & quæ tot vbique terrarum rarissima quotidie exercent ingenia: quis non admiretur, si bene intelligat, quàm conquisitam curam, quamq; aptè, distinctè, ornatè præcepta Rhetorica cõscripserit, atq; enodata diligenter exposuerit hoc eius Opere, quod à nobis in Latinum sermonem antea conuersum, nunc interpretandum publicè susceptum est? Ipsis enim inuentoribus artis Rhetoricæ (quemadmodum ait Cicero) tantũ suauitate, & breuitate dicendi præ-

De Inuent. li. 2. in pr.

præstitit, vt nemo illorum libros cognoscat; sed omnes ad hunc, quasi ad quendam multò commodiorem explicatorem, reuertantur; qui non tantùm de arte loquitur, quod alij pleriq; faciunt; sed etiam ex arte, atque adeò artificiosissimè facit. Nam cùm hoc scriptore, vel Ciceronis testimonio, nemo omnium doctior, nemo acutior, nemo in rebus vel inueniendis, vel iudicandis acrior sit: cùm aureum orationis flumen vbiq; fundat, cùm admirabili quadam scientia, & rerum copia scateat: tum certè hoc in Opere tam eruditè præcepta collegit, tam ingeniosè disponit, tam politè eloquitur, vt nihil vsquam in hoc genere præstantius reperiri, nihil melius dici, aut excogitari posse existimem. Vidit profectò ijs oculis etiam hæc præcepta Rhetorica, quibus res omnes obscuras, atque ab ipsa natura inuolutas acutissimè vidit, & in lucem è tenebris eduxit. Quemadmodum enim in reliquis Philosophiæ partibus cæteros omnes scribendo superauit: ita etiam in hac arte tantùm excelluit, vt nullius artis scriptor neque Græcus, neque Latinus sit cum eo comparandus: nisi fortè quis Aristoteli nostrum opponat Ciceronem, extra omnem ingenij aleam positum, vt optimè Plinius ait: qui sine vlla dubitatione, si quis dicendi facultatẽ, & neruos oratorios, omnemq; eloquendi supellectilem spectet, qua non tantùm in orationibus, sed in omnib. scriptis suis vtitur, & Aristoteli & Platonis, & Demosthenis, & denique omnibus, qui post homines natos aliquid vnquã oratoriè scripserunt, aut eloquentiæ laude præstiterunt, longè præponendus est. Sed si quis ad artis præcepta referat oculos, & quid quoquo modo præ-

In Orat. ad Brutum. & 4. Acad.

In Præfat. lib. 1. N. H.

cipiat Aristoteles, quid & quomodo Cicero, diligenter aduertat: non dubium esse videbit, quin hac in parte Aristoteles Cicerone multò sit excellentior. Nec verò hoc accidit iniuriâ. Nam Cicero se totum ad vsum forensem, atque exercitationem contulit, vt qui à mente ætate, & ab Aristotele, & ab alijs artis scriptoribus didicerat, non iam in præceptis contineret, sed ea ipsa experiretur: ipsa vero præcepta, longo vsu doctus, vel contemneret, vel docere non admodum curaret. Aristoteles autem, vir ab agendis causis, & à forensi strepitu remotus, atque ocio suo literario contentus, certum ac definitum tempus pomeridianum tradendis Rhetoricæ præceptis, & erudiendis in Oratoria facultate iuuenibus assignauit. Nam vt Cicero scribit, adolescentes non ad Philosophorum morem remittere disserendi, sed ad copiam Rhetorum in vtramque partem diligenter exercuit. Non igitur mirum, si in dicendi quidem facultate, viribusq; eloquentiæ, propter assiduum forensem vsum, Aristoteli Cicero longe antecellit: in arte verò docenda, præceptisq; tradendis, qua in re non tam frequenter versabatur, multò fuit inferior. In ijs enim rebus ingenium valet, in quibus studium ac diligentia ponitur. Quòd si præstantissimum omnium dicendi magistrum Aristoteles hac in re superat, multò facilius omnes alios, qui sine dubio animo ad Ciceronis gloriam non aspirant, superabit. Atq; hac quidē causa me potissimū impulit, vt cùm annis superioribus Ciceronis Opera, quibus dicendi artem, & Rhetorica præcepta complexus est, interpretatus fuerim: hoc anno hos Aristotelis Libros Rhetoricos aggr-

In Orator. ad Brutum

grederer: vt tandem, si fieri potest, vná cum Cicerone præclaram illã & eximiam Oratoris perfecti speciem & pulchritudinem adamantes, Aristotelicam vim cõprehendamus, rerumq; cognitionem cum orationis exercitatione iungamus. Sic enim nobis aliquando continget id, quod Alexandro Macedonum regi, cui Philippus pater Aristotelem doctorem acciuit, à quo & agendi præcepta, & eloquendi acciperet. Sed laudi huic & tantæ vtilitati res quædam erat impedimento, quam nos magno labore, totisq; viribus nostris amoliri studuimus: idq; iam vt aliqua parte fecisse videmur, & quod superest, vt spero, paulatim deinceps conficiemus. Nam hic tam eximius eloquentiæ thesaurus, quitribus his Aristotelis Libris continetur, iacebat adhuc apud nos, partim barbarorum insciti a deformatus, & squalore quodam obsitus, partim etiam à paulò doctioribus viris ignoratus. Sed huic Operi multa adiumenta nuper contulit vir eruditus, Petrus Victorius, quem, vt meritus est, honoris & amplitudinis gratia nomino: qui multos sanè locos & emendauit, & nitori pristino restituit, Commentarios q; non vulgares in totum Opus conscripsit: qui quidem si Opus etiam ipsum in Latinum sermonem conuertere voluisset, & paulò vberius præcepta Aristotelis illustrasset, hoc me labore conuertendi & interpretandi fortasse leuasset. Nunc, quod ille dedit, grato animo accipimus, & posthac etiam eius laboribus, quatenus licebit, perfruemur. Sed quoniam

Petrus Victorius.

Non omnia (quod ait Poëta) possumus omnes: etiam nos plurima, quæ ille non attigit, adiungemus,

Virgil. Eclog. 8.

& communi vtilitati, quoad facultas nostra tulerit, semper inseruiemus. Nam si Aristotelis summi doctoris præcepta singula cum Ciceronis, Oratorum principis, tum aliorum veterum Latinorum exemplis illustrauerimus, rem & nouam, neque ab alijs adhuc tentatam, & perutilem conficiemus. In quo mihi videor illud iure optimo vsurpare posse, quod in Oratore ad Brutum Cicero: Magnum opus omnino, & arduum tu. namur: Sed nihil difficile amanti puto. Amo autem, & semper amaui ingenium, studia, mores vestros, Optimi Iuuenes: neq; vllus tam magnus est labor, qui pro vtilitate vestra susceptus, non mihi iucundus fuerit futurus. Incendor porrò quotidie magis, cùm istam diligentiam vestram, istam assiduitatem & frequentiam, tum istam denique alacritatem in optimarum artium studijs conspicio, qui pleno cursu ad eloquentiam properatis, quam intelligitis vnam quandam esse de summis virtutibus: vt apud Ciceronem L. Crassus affirmat: & veterem illam doctrinam studetis assequi, quæ fuit eadem & rectè faciendi, & bene dicendi magistra. Neque enim erant apud antiquos disiuncti Doctores: sed

De Orator. Lib 3.

Iliad. 9. Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

ydem viuendi Præceptores atque dicendi: vt ille apud Homerum Phœnix, qui se à Peleo patre Achilli tutorem comitem esse datum dicit ad bellum, vt illum efficeret Oratorem verborum, Actoremq; rerum. Sed apud vos nihil attinet eloquentiam ipsam laudare, quam rerum omnium reginam Poëta, nescio quis, verissime dixit esse: quam esse copiosè loquentem sapientiam prudentissimi viri definiuerunt. Illud tantùm dicam, Nihil esse ex omnibus rebus, in quo vos ista ætate vos

fru-

fructuosiùs laborare, vel glorioſiùs verſari poßitis. De hoc autem Ariſtotelis Opere illud audacter & ſecurè vobis polliceri poſſum: Si quis omnia, quæ in eo traduntur, dicendi præcepta didicerit, nihil eum amplius omnino, quod ad perſuadendi facultatem attineat, deſideraturum. Sic enim accuratè ſingula pertractat, ita diligenter omnia perſcrutatur, vt nihil enucleatius aut explicatius fieri poßit. Quanto enim ſtudio, quæ communia ſunt omnium Dicendi Generum, & quæ propria ſingulorum, primo libro perſequitur? vt nihil omnino, quod aut in deliberationem cadat, aut exornari debeat, aut in iudicium veniat, inueniri poßit, de quo non copioſè præcepta tradat. Quanto porrò acumine, quantaque doctrina duo illa, quæ bene tractata ab Oratore, admirabilem eloquentiam faciunt, ſecundo libro præcipit: quorum alterum eſt, quod Græci Ηθικὸν *vocant, ad naturam & mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum: alterum, quod ijdem* Παθητικὸν *nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo vno regnat oratio. Ac de hoc quidem, quo vehementes animi commotiones continentur, quod eſt vehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur, quod cum rapidè fertur, ſuſtineri nullo modo poteſt, initio ſecundi libri copioſè verba facit. Deinde ſingularum ætatum atq; ordinum mores ita perſpicuè ſpectandos proponit, vt ne pictor quidem quiſquã eximius alicuius rei ſpeciẽ euidentiùs exprimere valeat: tum Locos ac Sedes argumentorum, vnde veriſimilia ducantur, atq; etiã vnde fallaces concluſiunculæ, quæ videntur quidẽ veriſimi-*

Infrà Præfat. 10. Cic. in Orat. ad Brutum, p. 268. b.

les, sed reuera non sunt, ingeniosissimè atq; acutissimè docet. Quid in tertio libro quanta cura subtilitateq; tradit ea, quæ ad dispositionem & elocutionem pertinent? Atq; hæc quidem omnia, quæ tribus his libris diuinitus à Philosopho traduntur, si vobis (vt spero) clarè dilucideq; interpretatus fuero, atq; exemplis optimorum scriptorum, & in primis eius, quem in deliciis habemus, Oratorum principis, M. Tullij Ciceronis, illustrârò: tum verò me egregiè nauasse operam existimabo: neque vos, vt opinor, diligentiæ meæ pœnitebit: quippe qui, me doctore atque interprete, si diligenter aduertere volueritis, dicendi præcepta ab Aristotele, vsum verò præceptorum ab exemplis facilè percipietis. Iã igitur ad ea, quæ priùs examinanda sunt, quàm Aristotelis Opus interpretemur, accedamus. Seuerinus Boëtius ait, hanc esse Magistrorum cõsuetudinem, vt, cùm aliquod Opus interpretandum aggrediuntur, primò sex breuiter expediant: Quod sit Auctoris consilium siue propositum, qui Græcè σκοπὸς dicitur; quæ Vtilitas Operis; qui Ordo; quæ Inscriptio; an eius Auctoris, cuius nomine circumfertur, proprium ac legitimum Opus sit, & denique ad quam Philosophiæ partem referatur: quæ nos etiam, ne ab alijs deficiamus, paucis videamus. Ac primò dicimus, illud Aristoteli propositum esse, vt in hoc Opere doceat, qua ratione viaq; consequamur ea, quæ sunt in quaque re ad persuadendum accommodata. Nam (vt refert Gellius) Commentationum suarum, Artiumq; quas discipulis suis tradebat Aristoteles, duas species habuisse dicitur: alia erant, quæ nominabat Ἐξωτερικὰς, alia

Quæ prædicenda sint.

Noct. Att. lib. 20. c. 4.

aliaquæ Ακροαματικὰ. Ἐξωτερικὰ vocabat, quæ ad Rhetoricas exercitationes, & ad ciuilium controuersiarum cognitionem conducunt. Ακροαματικὰ verò, in quibus Philosophia remotior, occultiorq; cõtinetur, vt quæ rerum causas, & naturæ obscuritatem inuestigant: cuius disciplinæ tempus tribuebat in Liceo matutinum: neq; ad eam temerè quemquam admittebat, nisi quorum antea ingenium, acumen, eruditionis elementa, & demq; studium in discendo, & laborem cognitum haberet. Illas verò Ἐξωτερικὰς meditationes pomeridianis horis in eodem Lyceo faciebat: ad easq; iuuenes omnes sine delectu admittebat. Ac primò quidem has disputationes à causis forensibus, & ciuilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulerat, vt apud Ciceronem L. Crassus ait: sed deinde cùm florere Isocratem nobilitate discipulorum videret, mutauit repente totam formam propè disciplinæ suæ, versumq; quendam de Philoctete paulò secùs dixit: Ille enim turpe sibi, ait, esse tacere cum barbaris: hic autem cùm Isocratem pateretur dicere. Itaq; ornauit & illustrauit doctrinam illã omnem, rerumq; cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Sunt igitur hi Rhetorici libri ex eorum numero, qui Ἐξωτερικοὶ dicuntur: in quibus accuratè dicendi artem tradit, nihilque prætermittit eorũ, quæ fidem in dicẽdo facere possunt: quod ante Aristotelem nemo planè perfecerat. Vtilitatem autem huius Operis atq; artis magnam esse, pluribus ipse argumentis docet: quippe qui non ignoraret multos esse, qui totã hanc dicendi rationem nõ mediocriter improbarent, & multa ciuitatibus incommoda,

Vide Budæum in Cõment. Linguæ Græcæ p. 121. v. 43. & seqq. Item Henr. Steph. T. 1. c. 295. c. & in Append c. 899. b.

3. de Orat. pag. 155. b.

Αισχρόσιωπᾶν, καὶ Ισοκράτους ἐᾶν λέγειν.

multaq3 detrimenta importare contenderent: quorum è numerò Socrates præcipuè fuit: qui quidam pertinaci studio Rhetoras insectabatur, & irridebat, atq3 contemnebat: eò, quòd ipse doctrina quidem & ingenio abundaret, sed à re ciuili, & à negotijs animum quodam iudicio abhorreret. Aristoteles igitur hanc artem iniquè vituperari, cùm magnā vtilitatem, pluresq3 fructus afferat, facilè docet: quod etiam multis in locis post Aristotelem Cicero, & secundo lib. Quintilianus copiosè persequitur. Quin Isocrates ad Nicoclem scribens, multis rationibus ostēdere conatur, eos improbè facere, qui dicendi facultatem improbare audent. Extat præterea Epistola ad Alexādrum Magnū, quam aliqui Aristotelis, aliqui Anaximenis Lampsaceni esse existimant, qua doctissimè suauissimeq3 Oratoria dicendi ratio exornatur, & vtilissima esse ostenditur. Ordo verò, quo nihil ex omnibus rebus melius inueniri posse Xenophon scribit, sic ab Aristotele seruatur hoc in Opere, vt in alijs etiam omnibus solet. Neq3 enim quisquam vnquam auctor ordinatius scripsit: neque tam accuratè non solùm librum libro, sed etiam sententias singulas inter se copulauit, vt si quis non decam versum, sed verbum vnum immutarit, tota quodammodo structura perire videatur. Tractat autem ea primò, quæ communia sunt omnium dicendi generum, deinde singula Rhetoricæ sua Causarum genera persequitur: tum quæ ad animi commotiones, & singularum ætatum atq3 fortunarum mores attinent: deniq3 sedes argumentorum explicat: postremò, qua dispositione, quo elocutionis genere sit vtendum, aperit.

Quintil. cap. 27.

Ἔστιν οὐδὲν οὕτως ὄφελος, οὔτε θηλὸν ἀνθρώποις, ὡς εὖ τάξις.

vit. Quæ omnia sic inter se connectuntur, vt admirabilis harum rerum series appareat. Inscriptio est: De Arte Rhetorica: quod in Oratore ad Brutum his verbis ostendit Cicero: Atque etiam ante hunc Aristoteles principio Artis Rhetoricæ dicit, Illam artem quasi ex altera parte respondere Dialecticæ. Et Quintilianus libro secundo: Aristoteles, inquit, de Arte Rhetorica tres libros scripsit. Licet enim multi dubitarent, vtrum ars esset Rhetorica, nécne, sicut apud Ciceronem M. Antonius ostendit: tamen Aristoteles artem esse censet, idq; accurata disputatione declarat, sicut etiam apud nos Quintilianus secundo suarum Institutionum libro. Neque tamen vnam ex eis artibus esse vult, quæ exquisitæ ac perfectæ sunt: sed ex eis, quæ στοχαστικαὶ vocantur, eò quòd coniecturis plurimùm vtuntur: qualis est etiam ars Medicorum, & Gubernatorum: vnde facultas potiùs quædam, quàm scientia vocatur: sicut etiam huic affinis Dialectica. Quamuis enim finem suum non assequatur, neq; semper dicendo persuadeat: nihilominus tamen, si nihil eorum prætermiserit, quæ sunt ad persuadendum accommodata, munere suo functa esse dicitur: & non aliter est ars, quàm Medicina, quæ non semper sanare potest. Sequitur, vt videamus, An hoc Opus proprium ac legitimum sit Aristotelis: quod in singulis ferè huius auctoris Operibus ab antiquis interpretibus quæri diligenter solet. Cuius rei tres fuisse causas Ammonius censet: quia tres occasiones nacti quidam, quæ non erant Aristotelis propria Opera, illi tribuerunt. Ac prima quidem fuit nominis ambiguitas. Nam

Lib. 1. ca. 2.

Cap. 18.

2. de Orat.

Cap. 18.

alij

alij fuerunt etiam Aristoteles, præter hunc Stagiritam: quorum Opera propter ambiguitatem quidam huius auctoris esse cẽsuerunt. Altera fuit occasio quia multa Opera cum vna atq; eadem inscriptione circumferebantur. Nã ipsius Aristotelis discipuli, vt Eudemus, Phanias, Theophrastus, præceptorem suum æmulati, de ijsdem rebus, quibus ille, scripserunt. Tertia causa fuit huiusmodi: Tradunt enim Ptolemæum Philadelphum, Operum Aristotelis fuisse maximè studiosum: atq; illa pecunias multas tradere solitum, qui sibi aliquos Aristotelis libros attulissent: qua re factum est, vt multi pecuniarum auidi, nonnullorũ Operum inscriptiones mutarent: &, appositio Aristotelis nomine, Philadelpho traderent. Sed tamen à præclaro ingenio viris doctis quasi notis germani Aristotelis Libri cognoscuntur: hoc est, Sententiarum acumine, & Elocutionis genere. Sed de hoc Opere nemo dubitat, quin germanum ipsius Aristotelis sit: quod præter Sententiarum acumen, & Dicendi genus, etiam testimonio tum ipsius auctoris, tum aliorum complurium doctissimorũ hominum, & Græcorum, & Latinorum, probari facilè potest. Quin Cicero noster, & Quintilianus multis in locis Aristotelem huius Operis auctorem agnoscunt. Illud igitur tantum supereſt, vt explicemus, Ad quam Philosophiæ partem hi libri Rhetorici referantur. Ac Cicero quidem multo

Pag. 43.a

librorum de Inuentione, Ciuilis, Scientiæ (quam Politicam appellant) magnam & amplã partem esse censet

Quint. Instit. libr. 2. cap. 16.

Eloquentiam artificiosam, quam (inquit) Rhetoricam vocant: & Quintilianus, Ciceronis sententiam secutus est: quã tamen Cicero videtur ab Aristotele sumpsisse,

qui

qui & primo Ethicorum Rhetoricam Ciuili Scientiæ subiecit: & hoc in Opere, tanquam germen quoddam eiusdem Ciuilis disciplinæ dicit esse. At verò Simplicius in Categorias scribens, hanc artem ad eos libros pertinere censet, qui continent ea, quæ quasi quædam instrumenta sunt ad disserendum. Aristoteles certè primo libro Rhetoricorum, è Dialectica, & Ciuili Scientia constatam esse: vt ad vtranq; quodammodo referri posse videatur. Hoc igitur modo sint explicata sex illa, quæ ante Operis explanationem quæri solere Boëtius scribit. Nunc ad Opus ipsum interpretandum aggrediamur. Cap. 2. Lib. 1. ca. 2. Cap. 2.

IN P. VIRGILII GEORGICA,

De Agriculturæ laudibus.

PRAEFATIO VII.

NOn me latet, in more positum esse, Auditores, institutoq; maiorum, vt ij, qui aliquem publicè interpretandum auctorem suscipiunt, eam primam habeant concionem, qua præstantiam Auctoris, & argumenti nobilitatem summis efferant laudib. Qua in oratione nonnulli aliquando facundi videntur: vel quod apud imperitam multitudinem verba faciãt: vel quod de

Inst. Orat. lib. 2. c. 13.

de mediocri Auctore, & re non admodum egregiâ dotis copiosè loquantur. Neq; enim difficile est imperitis atq; indoctis hominibus, & pullato (vt Fabius appellat) circulo, qui omnia, quæ supra vires suas esse viderint, maiorem in modum admirantur, eloquentem videri: cùm præsertim ille peritus artifex, aurapopulari deditus, qui tantùm vulgo placere studet, eius modi causam, in qua, quicquid dictum fuerit, eminere videtur, sibi tractandam sumpserit. Mihi autem quæ præstantissimi atq; omnium excellentissimi Poëtæ doctissimum atq; elegantissimum Georgicorum Opus coram vobis, optimis artibus institutis Viris & eruditissimis adolescentibus interpretandum suscepi, oblata est omnino durior conditio. Nam neq; Poëtæ nostri dignitatem quisquam, neq; Agriculturæ laudes & vtilitatem digna posset oratione comprehendere: neq; verò vobis, bonarum tantùm literarum amatoribus, vllas satisfacere potest oratio, nisi docta simul & ornata videatur. Noui enim ego vestrum ad omnia flexibile, ac propè diuinum ingenium, noui iudicium, noui mentis vestræ acumen. Scio nihil esse tam obscurum, tam difficile, quin si studium adhibere volueritis, non illud facillimè perdiscatis. Scio, nihil vobis placere, quod nõ elaboratum, elegans, ac politum sit. Hæc cùm præclarè intelligam, tum illud etiam non ignoro: eo vos animi candore, ea modestia præditos esse, vt nullius studium, nullius industriam contemnatis, quem multorum studijs prodesse conantem, ex hoc amplissimo atq; ornatissimo loco publice docere intellexeritis. Itaq; mihi de modestia atq; humanitate vestra cogitanti, confirmatur animus, &

in spem haud dubiam venio, fore, vt mihi de his rebus, quas proposui, nonnulla dicenti, faciles aures praestatu risitis, & quæcunq; dixero, meliorem in partem accepturi. Quam quidem rem si vos præstare mihi videro, efficiam profectò, vt industriæ meæ vos nullo vnquam tempore pœniteat. Dicendum est igitur mihi prius, de Agricultura quæ sapientissimi homines senserint, & quantam eius curam veteres habuerint: deinde nonnullam etiam de Virgilio nostro, & hoc Opere Georgico. Quæ, si diligenter attenderitis, vobis (vt spero) non Pag. 30. b
iniucunda videbuntur. Omnium enim rerum (vt primo de Officijs ait Cicero) ex quibus aliquid acquiritur, nihil est Agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Nam quid ea re præstantius esse potest, sine qua vita mortalium consistere nullo modo potest? Cùm enim ea, quæ in terris gignuntur, ad vsum hominum (vt Stoici sentiunt) omnia creentur: omnino declaratur, humano genere nihil in terris esse præstantius, cuius gratia Dei immortales omnia condiderunt. Itaque quod homini, diuinæ mentis participi, & animalium præstantissimo victum præstat, id sine dubio vt sit optimum necesse est. Quis porrò est, qui nesciat, nisi terra colatur, victum hominibus nullo modo suppetere posse. Est igitur omnium optima Agricultura, ex qua fructus tam varij, tot frumentorum genera, tanta rerum omnium copia, quæ ad victum hominum, & cultum etiam Deorum pertinent. Semper enim boni assiduiq; domini (vt De Senect.
apud Ciceronem ait Cato) referta cella vinaria, olea- 89. a.
ria, mellaria, & penuaria est: villaque tota locuples est.

est. Quid verò dulcius agrorum benè cultorum amœnitate, pratorum viriditate, arborum ordinibus, vinearum oliuetorúmve specie? Quid bene posita villa aspectu iucundius: vbi cœli nitor est & salubritas, vbi terra maximè varijs herbis, & suauissimis floribus exornata, vbi proceræ arbores, & opacæ, maximeq; fructuosæ, vbi fruges grauidæ, vites q; fertilissimæ, vbi fontes limpidissimi, vbi speluncæ recessusq; amœnissimi? Quid reb. quid fieri potest aut fructu suauius, aut aspectu iucundius? Quare verissimè Cato affirmat, Agricolarum voluptates proximè ad sapientis vitam accedere. Vide iure optimo sapientissimus Poeta Virgilius post Philosophiæ studium, quo nihil melius (vt ait Plato) Dijs immortales hominibus tradiderunt, nihil aliud, quam rusticam vitã desiderat: quòd scilicet neq; studiorum vita, neq; agricolarum sit villa præstantior. Eius mihi verba libet recitare.

In Timęo.

Georgic. 2. in fine.

Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis:
Rura mihi, & riguis placeant in vallibus amnes.

Nouerat enim Poeta, vitam Agricolarum simplicem, innocentem, puram, ab omnibus vitiorum sordibus alienam, non occupatam honorum ambitionibus, non fraudibus, dolis, insidijs gaudentem: sed quietam, tranquillam, operum patientem, paruoq; assuetam, variarum opum diuitem. Idcirco magna illius dulcedine illectus exclamat:

Georgic. 2. in fine.

O fortunatos nimiùm, sua si bona norint,
Agricolas; quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.

Hæc

Hoc idem Venusinus Vates Horatius atteſtatur: Fœlicem illum, qui, relictis cæteris viuendi rationibus, ſe ad agricolationem contulerit. Quinetiam multis carminibus Ruſticæ vitæ laudes amplectitur in ea cantione, quæ ita incipit:

Epodon libro, Oda. 2

Beatus ille, qui procul negocijs,
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore.

Terra enim, cui vni (vt ſecundo libro ſcribit Plinius) Cap. 63.
rerũ Naturæ partium, eximia propter merita, cognomen indidimus Maternæ venerationis, benigna eſt, mitis, indulgens, vſuſq; mortalium ſemper ancilla: quæ cùm gremio mollito, ac ſubacto ſemẽ ſparſum excepit, (vt apud Ciceronem Cato philoſophatur) tepefactum De Senect.
vapore & complexu ſuo, diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoq; erecta geniculato, vaginis iam quaſi pubeſcens includitur: è quibus cùm emerſerit, fundit frugem, ſpicæ ordine ſtructam; & contra auium minorum morſum munitur vallo ariſtarum. Quid dicam, quàm bona fide, quãtoq; cum fœnore terra depoſitum reddat? quæ liberiùs etiam nullo cogente producat? vt nihil excogitari poſſit hominib. neceſſarium, aut vtile, quod non è terra naſcatur. Sed quando colendorum agrorum vſus cœperit, variè apud Authores traditur. Sunt, qui ſcribant, ante Iouem nullam penitus agriculturam fuiſſe: quorum ſententiam Virgilius ſequi videtur his carminibus:

pag 87. b

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni: Georgic. 1.

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipsaq; tellus
Omnia liberiùs, nulle poscente, ferebat.

At nos in Sacris Libris scriptum legimus; Primos illos homines, Habelem & Cainum, agricolas fuisse. Sic enim Moses scribit: Fuit autem Habel pastor ouium, & Cain agricola. Neque verò quisquam vestrum mirari debet, quòd pastorem ouium Habelem inter agricolas numerauerim. Nam pecudum curam ab Auctoribus, quibus hæc literis mandare cura fuit, cum agricolatione coniungi notauimus: quam rem etiam Xenophontis Oeconomico suo his verbis affirmat: Καὶ γὰρ ἡ περὶ τὰ ἔργα τευτικὴ τέχνη σωῆπται τῇ γεωργίᾳ. *Est igitur hæc ars Agriculturæ omnium antiquissima, atq; ideo etiam nobilissima, & optima: quæ ab ipsis (vt ita dicam) primordi incunabulis semper humanum genus aluerit. Cæteræ enim artes omnes non tam ad vitæ necessitatem, quàm ad ornamentum sunt inuentæ: hæc sola omnium videtur esse maximè necessaria. Neq; verò negauerim, in diuersis mundi regionibus diuersos fuisse, qui vsum Agricolationis inuenerint, sicut Habis apud Hispanos,* Gèn. 4.

de quo Iustinus ita scribit: Habis Hispanum populum, priùs barbarum, legibus iunxit: boues primò aratro domari, frumẽtaq; sulco serere docuit: & ex agrestibo, melioribus vesci. Saturnus verò (vt fertur) tempore, qui regnabat in Italia, cùm filij Iouis iram fugiens, à Creta in eam Italiæ partem deuenisset, quæ postea Latium cognominata fuit, docuit ignaros Italos arua colere, semina terris dare, matura colligere, & suo tempore stercoribus agros fœcundare, ex quo Hist. li. 44.

Suprà pag. 185.

Stercu-

Stercutius appellatus est: Deo tanto atq; tali profectò splendidum (vt ait Bocatius) & insigne cognomen. Quamuis Seruius libro nono Æneidos, Pilumnum primò stercorandorum agrorum vsum inuenisse scribat, & inde Sterculinum dictum. Mocrobius autem Saturnaliorum libro primo scribit, A Romanis Saturnum Sterculinum fuisse vocitatum: quòd priùs stercore fœcunditatem agris comparauerit. Augustinus de Ciuitate Dei, Pici patrem Sterconfuisse scribit: à quo peritißimo Agricola inuentum ferunt, vt fimo animalium agri fœcundarentur; quod ab eius nomine Stercus dictum est. Plinius, Italia, inquit, regi suo Stercutio, Fauni filio, ob hoc inuentum (nempe stercorationis) immortalitatem dedit. Certè hunc Sterconseu Stercutium (quicunque is fuerit) antiqui Deum agriculturæ indigitauerunt. Iam verò Ceres, quàm à gerendis frugibus Cicero appellatum scribit, Siculis leges & agricolationem tradidit: de qua Ouidius libro quinto Metamorphoseων:

Nat. Hist. li. 17. ca. 9.

Libr. 2. De Nat. Deor. pag. 39. Fabula 5.

Prima Ceres vnco terram dimouit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaq; mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.

Sic & Virgilius Georgicorum primo:

Prima Ceres ferro mortales vertere terras
Instituit. Ferunt etiam Osirim, quem quidam Dionysium esse volunt, Ægyptijs vsum arandi demonstrasse: quod Tibullus Elegiarum primo his carminibus significat:

Eleg. 7.

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.

Primus inexperta commisit semina terra,
Pomaq; non notis legit ab arboribus.

Sunt etiam, qui scribant; Atticos & Eleusinios Agriculturam à Triptolemo Celei regis filio doctos fuisse. Sed quanto fuerit olim apud Priscos illos hominum honore Agricultura, declarant Historiæ: quibus videmus, etiam Reges ipsos agrorum colendorum fuisse studiosos, & pecudū pastores: vnde etiam Homerus quosdam appellat πολύαρνας καὶ πολυμήλους. Nihil enim aliud antiqui diuites possidebant, nisi vel pecudes, vel agrorum prædia: quod Ouidius libro quinto Fastorum his verbis attestatur:

Varro de Re Rust. lib. 2. c. 2.

Iliad. 2.

Aut pecus, aut latam diues habebat humum.

Hinc etiam locuples, hunc ipsa pecunia dicta est. Sunt qui scribant, Theseum bouis figura nummos obsignasse, vt ea ratione Atticos ad agricolationem prouocaret. Constat sanè, Seruum Tullium, sextum Romanorum regem, pecudis figura nummos ex ære signasse. Aristoteles in Oeconomico putat, Agriculturam esse maximè secundum naturam. Quin & Cicero fatetur, Nihil esse tam regale, quàm studium agri colendi. Ergo in hac vita (ait Cato apud Ciceronem) M. Curius, cùm de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, cōsumpsit extremum tempus ætatis. In Agris etiam (inquit) tum Senatores, id est senes: aranti L. Quintio Cincinnato nunciatum est, eum Dictatorem esse factū, cuius dictatoris iussu Magister equitum C. Seruilius Ahala, Sp. Melium regnum appetentem, & occupare volentem interemit. A villa in Senatum arcessebantur Curius, & cæteri senes: ex quo, qui eos arcessebāt, Vi-

Plin. li. 18. cap. 3.

De Senect. pag. 89.

De Senect. pag. 88. b.

Plin. Nat. Hist. li. 18. cap. 3.

Plin. ibid.

tores

tores nominati sunt. Quid, quòd olim Regum cura fuit Agricultura? Xenophon in eo libro, qui est De tuenda re familiari, qui Oeconomicus inscribitur, ait, Regem Persarum non minorem curam agricolarum diligentium, quàm strenuorũ militum habere solitum: cumq; munera dare statueret, primùm aduocare milites, testantem: Ὅτι οὐδὲν ὄφελος πολλὰ ἀρῦν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἀρήξοντες, Nullum agricolationis fructũ esse, nisi sint, à quib. hostiũ excursiones & impetus arceãtur: Secundo loco diligentes agricolas, addentẽ illud elogium: Ὅτι οὐδ' ἂν οἱ ἄλκιμοι δύναιντο ζῦν, εἰ μὴ εἶεν οἱ ἐργαζόμενοι, Quòd neq; strenui milites viuere possent, nisi essent agricolæ, qui terrã colerent. Quum & Cyrum Minorem, olim Regem clarissimũ, cùm ad munera Persæ vocarentur, dixisse ferunt: Se meritò posse virorumq; munera capere: Καλασκευάζειν γὰρ ἄριστος εἶναι ἔφη χώραν, καὶ ἀρήγειν τοῖς καλασκευασμένοις, quòd & optimus esset in præparandis excolendisve prædijs, & potens etiam ea retinere, quæ cõparauerat. Huc accedit, & Lysandro Lacedæmonio, summæ virtutis viro, eundem Cyrum iurasse Xenophon scribit. Nam cùm ostendisset ei pulcherrimam illam Paradisum, de qua Cato apud Ciceronem meminit, & se dimẽsum omnes illos ordines, ac multas illarum arborũ sua manu conseuisse testatus esset, huiusmodi verba subtexuit: Ὀμνυμί σοι τὸν Μίθρην, ὅταν ὡς ὑγιαίνω, μὴ πώποτε δειπνῆσαι πρὶν ἱδρῶσαι, ἢ τὴν πολεμικῶν τι, ἢ τῶν γεωργικῶν μελετῶν, Iuro (inquit) tibi per Mithram (sic enim Solem Persæ solent appellare) quo tempore valeo, me nunquam cœnare solitũ, nisi priùs aut in aliquo bellico, aut

De Senect. pag. 89. b.

georgico opere sudorem contraxero. Itaq; nō immerito Socrates apud eundem Xenophontem exclamat. Τὴν γεωργίας οὐδ' ἂν οἱ πάνυ μακάριοι δύναιντο ἀπέχειν, *neq; qui valde beati sunt, ab agricultura possint abstinere. Cuius rei cura cùm magnam nobis solertiæ iucunditatem, & rei familiaris incremētum apportet: tum ad corporis exercitationem, & ad omnia, quæ digna sunt homine libero, plurimùm valet. Bene igitur (vt ait Socrates) ille dixisse videtur, qui dixit:* Τὴν γεωργίαν τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφὸν εἶναι, *Agriculturam aliarum artium quasi matrē quandam ac nutricem esse. Quapropter apud Priscos illos, quos Cascos appellat Ennius, maximam ille laudem cōsecutus videbatur, qui ita laudabatur: Bonus agricola, Bonus colonus. Ex agricolis (inquit Cato) & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur; maximeq; pius quæstus, stabilissimusq; consequitur, minimeq; invidiosus; minimeq; malè cogitantes sunt, qui in eo studio sunt occupati. Nullum aliud profectò genus hominum magis necessarium est Reipublicæ, quàm agricolarum. Itaq; Plato in Ciuitate sua, quam ille diuinus Philosophus perfectissimam cogitatione finxit, primum locum Agricolæ, secundum Architecto, tertium Textori tribuit. Eius verba secundo de Republica libro notanimus:* Πρώτην καὶ μεγίστην τῶν χρειῶν ἡ τῆς τροφῆς παρασκευὴ, τοῦ εἶναί τε καὶ ζῆν ἕνεκα· δευτέραν οἰκήσεως Τρίτην ἐσθήσεως. *Et paulò pòst:* Γεωργὸς μὲν ἅς, δὲ οἰκοδόμος, ἄλλος δὲ τις ὑφάντης. *Quanta est igitur Agriculturæ laus, quāta maiestas? quæ primum in tam perfecta ciuitate locum, omnium præstantissimi Philo-*

Plin. li. 18. cap. 3.

Plinius Nat. Hist. lib. 18. c. 5.

sophi

sophi iudicio, meruerit? Hoc nimirum est, quod olim ingeniosissimi Poëtæ finxerunt; Iustitiam ab omnium ordinum gentibus expulsam, apud agricolas longissimum tempus habitasse: hoc enim genus hominum innocētissimum, & ab omni malitia alienissimum est. Quod cùm intelligerent illi antiqui prudentissimi homines, liberos suos procul ab vrbibus plerunque rus ablegabant, & ipsi etiam (vt diximus) vnà terram colebant: vt & haberent, quæ ad victum necessaria sunt: & laboribus dediti, non sinerent animum, ocio luxuriantem, sese vitijs & voluptatibus tradere. Nam & ipsorum Imperatorum olim manu colebantur agri: gaudente terra (vt ait Plinius) vomere laureato, & triumphali aratore. Diocletianus Imperator, depositò sponte sua imperio, ad vitam rusticam se contulisse dicitur: qui cùm ab Herculeo atq; Galerio ad recipiendum iterum imperium rogaretur, tanquam pestem aliquam detestans, (vt libro nono scribit Eutropius) in hunc modum respondit: Vtinam Salone possetis visere olera, nostris manibus instituta, profectò nunquam istud tentandum iudicaretis. Adeò longè meliorem vitam agrestium, quàm Regum & Imperatorum existimauit, in qua veram felicitatem esse expertus erat: vt olim Delphicus Apollo de Aglao Psophidio iudicauit: quem ideo beatissimum esse dixit, quòd senior angustissimo (vt verbis vtar Plinij) Arcadiæ angulo paruum, sed annuis victibus largè sufficiens prædium colebat: nunquam ex eo egressus: atque, vt è vitæ genere manifestum est, minima cupidine minimum in vita mali expertus. Attalus etiam Pergami Rex, regni

Nat. Hist. lib. 18. ca. 3.

Lib. 7. cap. 46.

cura abiecta, hortos fodiebat. Abdolomino agrum colenti regimen Tyriorum vltro delatum est: vt quarto libro Q. Curtius scribit. Sed quàm fuerint olim Romani agriculturæ studiosi, declarant etiam ipsa agnomina, vel à leguminibus, vel à pecore imposita. Vnde enim Lentuli, Cicerones, Fabij, nisi à lente, cicere, faba? vnde Iunius Bubulcus, Portius, Vitulus, Taurus, nisi à bobus, porcis, vitulis, tauris? Quin & ipsa Italia (vt Gellius vndecimo libro docet) ab Italis, hoc est bobus, quibus olim abundabat, denominata est. Boues enim Græca veteri Lingua ἰτάλοι vocitati sunt. Prætera populum Romanum, gentium omnium victorem, à pastoribus initium habuisse, quis ignorat? Scribit Plinius, magnam partem olim Romanos in agro vixisse solitos: quod etiam Plutarchus in Problematibus affirmat. Et tantam olim Romani colendis agris curam adhiberi volebant, vt censorio probro notaretur, qui agrum suum malè coluisset. Præclarè enim intelligebant, id verum esse, quod etiam Theophrastus scriptum reliquit. Τὴν γεωργίαν ἀνδρὸς τῷ ἐλευθέρῳ πάνυ ἀξίαν. Agriculturam maximè homine libero dignam esse. Quare sapientissimè Romulus vrbis parens aruorum Sacerdotes in primis instituit, (vt libro decimo octauo scribit Plinius) seq; duodecimum fratrem appellauit. Nam Fratres Arvales dicebantur, & duodecim erant numero, (vt scribit Festus Festella) cui sacerdotio Romulus insigne tribuit, Albas insulas, & spiceam coronam: quæ quidem corona fuit (autore Plinio) omnium prima, quæ Romæ donata fuerit. Postea verò Feriæ etiam Sementinæ institutæ sunt, & tria Sacra

Plin. li. 18. cap. 3.

Cap. 1.

Varro de Re Rust. lib. 2. ca. 2.

Cap. 2.

Lib. 9. c. 2.

cra Floralia, Vinalia, Robigalia. Nam (vt Varro testatur) duodecim olim apud Romanos Dei habebantur, consentientes Agricolarum Duces: Iupiter & Tellus; qui magni Parentes dicuntur, & omnes fructus agriculturæ cœlo ac terra continent. Sol & Luna, quorum tempora obseruantur, cùm quædam seruntur & conduntur in tempore. Ceres & Liber, quòd horum fructus maximè necessarij ad victum sint, ab his enim cibus & potus venit è fundo. Robigus & Flora: quibus propitijs neque robigo frumenta, neque arbores corrumpit, neque non tempestiuè florent: itaque publicè Robigo feriæ Robigalia, Floræ ludi Floralia instituti sunt. Minerua & Venus: quarum vnius procuratio oliueti, alterius hortorum est: quo nomine Rustica Vinalia instituta. Lympha & Bonus euentus: quoniam sine aqua omnis arida & misera est agricultura: sine successu & bono euentu frustratio est, non cultura. Quid præterea dicam, quot homines doctissimi de Agricultura scripserint? Numerantur à Varrone, primo libro amplius quinquaginta, quos (si cui placet) inde facilimè potest edisce re: quare eos ego prætermittam. Nonnullos tantùm vobis exponam, de quibus in eo loco Varro non meminit. Fuerunt enim alij multi tum Græci, tum Latini, atq; inprimis Cato Censorius, agricolendi studiosissimus, cuius extat adhuc Opusculum de Agricultura, ob antiquitatis maiestatem non immeritò venerandum. Duo Saserna, pater & filius, Tremelius Scrofa: Cornelius Celsus, cuius adhuc extant octo illa elegantissima de Medicina volumina, Iulius Atticus, Iulius Græcinus, Iulius Hygenus, Gargilius Martia-

Plin. li. 18. ca. 29. Varro de Re Rust. lib. 1. cap. 1.

lis, Terentius, Varro, Plinius, Palladius, Columella: præterea quos Constantinus, Cæsar Quartus, cognomento Pogonatus, in vnum collegisse dicitur, quisquis à Varrone prætermissi: vel quia nondum quidam eorum scripserant, vel quia fortasse in eius manus non peruenerant. Florentinus, Vindanionus, Anatolius, Berityus, Leontius, Tarentinus, Africanus, Pamphilus, Apuleius, Zoroastres, Fronto, Paxamus, Demageron, Didymus, Sotion, & alij multi. Inter tot Auctores diuinus Poëta noster Virgilius, de quo iam tempus est vt nonnulla dicamus, locum habere voluit, & quatuor hos Georgicorum Libros, quos (Dijs hominibusq; approbantibus) interpretandos sumpsimus, politissimos reliquit. De quibus quid attinet multa dicere, cùm omnium doctorum sit consensus, nullum Opus in hoc genere perfectius inuenri? Diuinam enim illam Æneida (vt appellat Statius) morte preuentus, Auctor expolire non potuit. Hoc autem Georgicorum Opus non solùm limauit & expoliuit: sed etiam doctissimorum hominum iudicio, dum adhuc viueret, supposuisse dicitur. Et omnium calculis Hesiodum, quem æmulatus est, longo interuallo post se reliquit. Ille enim ad Persem fratrem de Agricultura satis quidem eleganter atque ingeniosè scripsit: at verò hic noster longè copiosiùs, doctiùs, & elegantiùs omnia tractat. Quantam enim rebus obscuris lucem, carminis nitore præbet? quo dicendi genere, Dij boni! quàm polito, quàm terso, rusticas res persequitur? quàm scitè cultum agrorum, & arationis modum ac rationem primo libro docet? quàm ingeniosè secundo arborum se-

In Operis Ἔργων καὶ ἡμερῶν.

tio

tionem ? quàm copiosè tertio curam animalium? Quid de quarto dicemus ? in quo cùm in alijs cæteros omnes superarit, seipsum superasse videtur ? qua eloquentia, Dij immortales ! quo candore, quam mirabili venustate, de apibus & mellatione loquitur ? Quid de rerum cognitione, quam in his libris inserit? de Physiologia, de ortu & occasu siderum, de temporum varietate, de terrarum distinctione, de regionum differentia, quàm acutè docet omnia? quam prudenter? Hoc enim mihi credite, nobilissimi Iuuenes: In hoc Opere mirabilem esse eruditionem, maximam doctrinam: multa sunt ex intimo Philosophiæ sinu deprompta, multa ex Mathematicis, multa ex omni disciplinarũ genere. Quæ, si modò mihi aures attẽtas quotidie præbueritis, facilimè (vt spero) declarabimus. Sed ad ipsum Virgilium reuertor : quem Alexander, Romanus Imperator, Platonem Poêtarum appellabat: Diuus Augustinus Poêtarum præclarissimum & optimum : Seneca Vatem maximum: Plinius Vatem præcellentissimum : Martialis, æternum, quem nemo satis vnquam suspicere potest. Hic profectò Poêta nobis magnum ad gloriam incitamentum esse debet : qui non ex claris parentibus, sed obscurissimis : non in vrbe aliqua nobili, sed in villa quadam abiectissima, in patris sui figuli, siue potiùs pastoris mercenarij mapalibus natus : tantum tamen studio & doctrina effecit, vt etiam suo tempore nullus in Orbe clarior haberetur, & maximo omnium Monarchæ Octauio Augusto charissimus esset. Et vbi tantam re-

ruin

rum omnium scientiam didicit Virgilius? Erigite quaeso animos, nobilissimi Iuuenes: hic enim agitur de vestra, & maiorum vestrorum gloria. Nam hic Poeta, quo nullus vnquam vixit excellentior, Mediolani studuit. Cùm enim Cremonæ viritem togam sumpsisset, paulò pòst Mediolanum venit, & tantam in hac nostra ciuitate scientiam didicit. Tu, tu Mediolanum, (inquam) æterna laurea digna Ciuitas, tantum Poëtam effecisti: tu copioso rerum omnium sinu, egenum & alienigenam suscepisti: tu eo tempore studiorum parens, Epicorum hunc præstantissimum aluisti. Gaudete tanto alumno, Patrij Penates: lætare Ciuitas, quam partem tantæ gloriæ veneris. Vos autem ingenui adolescentes quid amplius expectatis? Cur nō magno cum ardore animi bonarum artium studia complectimini? Cognoscite vestræ ciuitatis vires, in qua tantus euasit Virgilius. Quantò magis vobis fauebit suis, si fauentibus? Equidem dicam apertè, quod sentio: Magna sunt Mediolanensium ingenia: sed eorū plerasq; nimia rerum copia obruit. Itasq; gloriam alijs derelinquunt. Sed tamen de vobis omnibus spem iam maximam concepi. Video vos doctrinæ cupidissimos: video erecta vestra omnium ingenia: video vos maxima discendi cupiditate flagrare. Spero fore, vt dignitatem & gloriam, quam olim hæc Ciuitas habuit, atq; etiam habet hoc tempore, vos ipsi manibus ac pedibus (vt dicitur) arripiatis. Quod ita demum vos facturos certum habebo, si, quo cœpistis, animo studijs incumbere perseuerabitis: & quotidie, quæ dicemus, attentis animis percipietis.

IN

IN P. VIRGILII AENEIDOS LIBRVM quartum.

PRAEFATIO VIII.

MAgnus ille Peripateticus ex Arabia, quem Auerroêm vocant, cùm Aristotelis libros, qui De Physica Auscultatione inscribuntur, interpretaturus esset, initio libri dixit: Octo esse, quæ præcipuè spectari atque considerari debeant: Intentionem, Vtilitatem, Ordinem, Diuisionem, Proportionem, Viam doctrinæ, Nomen Libri, Nomen Authoris. Quæ licet in Physicis libris longè clariùs, quàm in alijs appareant: possunt tamen ad alios etiam libros omnes accommodari. Neq; enim his rebus Poëtica minùs, quàm Philosophia indiget: cùm Poëta non aliter, quàm Philosophi, Scopum aliquem sibi proponat atq; finem, quò modulationem omnem suam atq; carmen dirigat, & aliquam cum iucunditate Vtilitatem humano generi afferre studeat: quemadmodum notis illis carminib. Horatius attestatur:

Vide Suprà Orat. 22.

In Arte Poët.

Aut

Aut prodesse volunt, aut delectare Poëta:
Aut simul & iucunda, & idonea dicere vitæ.

Quin etiam Ordinem pulcherrimum quendam egregius Poëta sequi solet: vniuersumq; Opus suum in partes quasdam, qui Libri dicuntur, diuidit: atque ita diuidit, vt aliquam inter se proportionem habeant omnino. Viam præterea doctrinæ suæ certam habent, quam sequantur. Et Operibus suis nomina semper imponunt: singulisq; libris suum ipsorum nomen inscribunt. Cùm igitur excellentissimum Poëtam Virgilium publicè interpretandum mihi delegerim, priusquam ad Operis atq; Carminum explanationem venio, libet hæc singula, quæ summus ille Commentator præcipit, indagare. Ac generalis quidem in toto Opere Virgilij Scopus atq; intentio est: Æneæ quidem res præclarè gestas describere: sed ea occasione Iulium Cæsarem, & Augustum celebrare: quippe qui ab Æneæ traxisse originem dicebantur. Magna enim laus à maioribus ad posteros, per nobilitatis gradus descendit: modò posteri à maiorum suorum virtute non degenerarint. Talem autem Æneam effingere conatur, qualis tanti imperij, quantum Romanum extitit, conditor esse debebat. Nullo scilicet minimo vitio deturpatum, & omni virtutum genere cumulatum. Ita nobis specimen, & exemplar quoddam summæ pietatis & fortitudinis proponere studet: quippe cùm Æneam ostendat patriæ suæ vsq; ad cineres non defuisse, magna religione Deos veneratum fuisse, parentem suum ex hostium manibus, sublatum humeris, eripuisse, in tot aduersis rebus animo semper inuicto fuisse: suos hostes omnes tan-

tandem debellasse: quæq; ei aduersa accidere, (quæ propè infinita fuerunt) non ipsius culpa, sed violentia Fatorum, quæ nullis virtutibus exuperari possunt, euenisse. Homerum autem non imitari tantùm, sed etiam æmulari studuit: vt multi etiam reperiantur, qui parem illum Homero faciant: multi, qui præponant. Sed quicunque rectè sentiunt, Virgilium quidem maximè suspiciendum & admirandum esse dicunt; & omnibus Latinis Poêtis præponendum, sed tamen nequaquam Homero, à quo totus, quantus est, effluxit, parem: sed longè inferiorem existimandum. In hoc verò Quarto Libro, quem interpretaturi sumus, quanta vis sit Amoris ostendere conatur, qui non tantùm pudicissimam matronam Didonem, sed etiam omnium sapientissimum & fortissimum virum Æneam, suis laqueis irretiuerit. Maximam tamen inter virum & fœminam differentiam ostendit. Licet enim Æneam amori nonnihil indulgentem inducat: nihil tamen indignum persona sua, nihil alienum à summa pietate, nihil præter decorum feciſſe ostendit. At verò Didonem, amoris impatientia cætera omnia relinquentem, & vni Æneæ intentam inducit, pudicitiæ oblitam, furentem, inquietam, vagam, ardentem, operа interrupta deserentem, & tandem ob amantis discessum mortẽ sibi consciscentem. Hæc Intentio Poêtæ est. Quid autem Vtilitatis hæc in se habeant, quis est adeò stupidus, quin intelligat? Si quis enim Æneæ vitam sibi proponat imitandum, an non omnium virtutum non adumbratam, sed expressam effigiem videbit. Nam vbi meliùs, quid virtus, & quid sapientia possit, inue-

nies,

nies, quàm in hoc diuino Virgilij Opere? Quàm enim pium, quàm religiosum, quàm iustum, quàm prudentem, quàm fortem, quàm temperatum Æneam fuum fuisse ostendit? Quàm deinde sanctas, quàm sapientes vbiq; sententias inserit? Quot vbiq; præcepta sapientiæ colligere licet? Certè quod de Homero dicit Horatius, idem nos de Virgilio, & meritissimò quidem dicere possumus:

Lib. 1. Epist. 2.

Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non,

Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicit: addo etiam: Platone & Aristotele melius. Namque præceptis, & theorematib. Philosophi docent, hic Poeta noster expressis exemplis ostendit. Quid autem de varia atq; multiplici doctrina, quæ ex Virgiliana lectione percipitur, commemorem? In quo tam pura & candida locutio, tam admirabilis carminum structura, tam suauis rhythmorum modulatio: tot reconditæ & memoratu dignæ historiæ: tot eloquentes, & summa Arte Oratoria confectæ orationes: tot loci, ex intima Naturalium Quæstionũ subtilitate repetiti, cõspiciuntur: vt admirãdum maximè sit, in homine tantam fuisse scientiam, vt diuinus certè potiùs, quàm mortalis fuisse existimari debeat. Nullus enim vnquam in Autore errorem inuenit, qui alicuius esse momenti videretur. Quænã igitur vtilior lectio reperiri potest, quàm eius Autoris, in quo nihil est omnino, quod reprehendi possit, & in quo scientiarum omnium quasi lumina quædam fulgentissima splendẽt? Sed cùm omnes huius Autoris libri maximè sint vtiles: hic profectò Quartus, quem

quem nos interpretandum suscepimus, omnium vtilissimus est. Nam, praeterquam quòd nos id vitium fugere docet, quod omnes penè mortales illaqueat, & in maximos errores & maxima scelera inducit, (Quot enim ob turpes amores facinora perpetrantur? quot amicitiarum violationes, quot contentiones, quot caedes?) etiam artem quandam orationis mirificam in se habet: quam (vt spero) vobis notam faciam. Et ita grauiores illos affectus concitat, vt Diuus ille Augustinus, vir in nostra Relligione sanctissimus, cum Didonis querelam legeret lachrymas se continere non potuisse fateatur. Quid de Philosophicis quaestionibus dicam, quibus vndiq; Liber hic scatet? Quae quamuis obscurae, & ab ipsa natura inuolutae videantur: spero tamen, me tam apertè illas declaraturum, vt etiam ij, qui primas tantū literas attigerunt, eas praeclarè intelligant. Iam habetis Operis vtilitatem. Nunc Ordinem percipite: qui tamen vulgatior est, quàm vt à me pro re noua atque recondita commemorari debeat. Quis enim nescit Artem Poeticam non eundem ordinem imitari, quem Historici, seruare solent? vt res gestas ab initio repetentes, ad finem vsq; deducant: quod nulli ferè Poëtae faciunt. Neq; enim (vt ait Horatius) bellum Troianum In Arte Poët.
à gemino ouo ordiuntur, neq; extremum finem inuestigant: sed in media narratione rem aggrediuntur: deinde per occasionem aliquam ad principia redeunt: quibus recitatis, extrema persequuntur. Sic Homerus Iliada suam non à primo Belli Troiani anno exorsus est, sed à nono, quo propter iniuriam, ab Agamemnone sibi illatam, Achilles indignatus, à praelio coepit abstinere

nere. Eodem modo in Odyssea, cùm naufragium Vlyssis descripsisset, postea seruatum illum in Corcyra facta apud Alcinoũ ea recitare, quæ sibi & cæteris Græcis ad Troiam militantibus acciderant. Quem imitatus Virgilius, non ab excidio Troiæ suum opus inchoauit: sed in primo libro tempestatem illam horrificam describit, qua Troianorum naues vi ventorum in Africam delatæ sunt: atque ibi nactus occasionem, fingit, Troianus excidium, quæque post illud Æneæ contigerunt, ab Ænea, Didonis hortatu, commemorari. Quem ordinem etiam plerique alij Poëtæ secuti sunt, vt Silius Italicus, Statius: præter Lucanum, qui tamen inter Poëtas à plerisque non habetur. Vnde Martialis inquit: Lib. 14. in fine.

Sunt quidam, qui me dicunt non esse Poëtam:
Sed qui me vendit, Bibliopola putat.

Εστιν οὐδὲν ὅλως οὔτ' ἐυχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις

Nihil autem (quemadmodum in Oeconomico suo Xenophon docet) ex omnibus rebus melius aut præstantius est Ordine ipso, quem ab omnibus Autoribus egregijs, sed ab hoc præcipuè nostro seruari maximè videmus. Nam, vt aliorum librorum ordinem prætermittam, quid hoc quarto libro magis ordinatum, vbi per gradus quosdam sæuus ille puer, qui Cupido dicitur, pudicæ matronæ mentem expugnat? Non enim illi statim obscœnam voluptatem proponit; ne turpitudinis facies eius conatum infringat: sed Æneæ virtutem, & nobilitatem, & pulchritudinem ostentat: quib. admirata Dido sororem suam Annam alloquatur, & de neam quidem prædicet; sed tamen fidem, Sichæo datã, frangere se nolle dicat. Verùm Anna multis rationibus osten-

ostendit, vtile Didoni fore, si se Æneæ coniunxerit: quib. verbis animũ iam incẽsum inflammauit, atq; ita paulatim tantũ effecit, vt occasionẽ in spelunca nacta, pudorem omnem exuerit. Deinde cùm Æneas discessurus esset, quid non effecit, quid non tentauit Dido, vt cum (si quo modo fieri posset) in Africa retineret? Sed tandem, postquam nullam spem sibi superesse vidit, de conscisc enda sibi morte cœpit cogitare. Hic est Ordo pulcherrimus atque naturalis. Sequitur, vt Diuisionem Operis aggrediamur: quod, vt omnes intelligunt, in libros duodecim distributum est. Quæ diuisio vtrum ipsius Autoris sit, an eorum, qui Opus hoc, ammum post Virgilij mortem emẽdandum susceperunt, quæstio esse potest. Sed tamen cùm satis constet, Georgicorum Opus ab Auctore ipso quatuor in libros digestum fuisse: credibile est, etiam hoc Opus ab eodem Autore fuisse diuisum. Nam de Homero nulla dubitatio est, quin Opera sua, indigesta & indiuisa reliquerit. Legimus enim, vsq; ad Pisistrati Athenien siũ Tyranni tempora, per vniuersam Græciam Homeri carmina sparsa, atq; inordinata fuisse: sed deinde Pisistrati iussu fuisse omnia congesta, atque in libros diuisa: quibus illi veteres Grammatici literarum nomina indiderunt, quemadmodum scribit Eustathius; vt primus liber Alpha dicatur, secundus Vita; atque ita deinceps, vsque ad quartam & vigesimam literam. Quot enim apud Græcos literæ sunt, in totidem libros vtrumque Homeri Opus, hoc est, Iliada & Odysseam, diuiserunt. Vnde sunt etiam, qui scribant: Virgilio, si vita superfuisset, in animo fuisse, vt ad Homeri æmulationem,

Suprà Præfat. 1.

quatuor & viginti libros conscriberet. Quod an verum sit, alij iudicent. Mihi certè non sit verisimile: cùm videam, id, quod de Ænea dicendum sibi Poëta susceperat, esse perfectum: neq; habiturum præterea, quid diceret, Virgilium; nisi aliud Opus inchoaret. Duodecim igitur tantùm hos libros conscribere, atq; perficere decreuerat. Atq; hæc quidem de Diuisione. Videamus nunc huius Operis ad reliqua eiusdem Autoris opera Proportionem. Qua in re sciendum est, Tria esse dicendi genera, quæ Rhetores nostri Figuras, Graci χαρακτῆρας vocant. Vnum Graue, quod ἁδρὸν Græcè dicitur: alterum mediocre quod μέσον vocatur: tertium Extenuatum, quod λεπτὸν atq; ἰσχνὸν nuncupatur. Graue est, quod constat ex verborum grauium magna & ornata constructione. Mediocre est, quod constat ex humiliore, neq; tamen ex infima & peruulgatissima verborum dignitate. Attenuatum est, quod demissum est vsq; ad vsitatissimam puri consuetudinem sermonis. In his autem omnibus Dicendi generibus Virgilius magnopere excelluit. Nam in Extenuato dicendi genere Bucolica conscripsit: in quibus tantam apud Latinos gloriam adeptus est, vt Theocrito, quem imitatus est, non tantùm par, sed etiam longè superior habeatur. In Mediocri verò genere Georgica composuit: quo quidem nihil perfectius in suo genere reperiri potest: vt etiam multi non tantum Hesiodo præponant, sed etiam ipsum se in eo Opere Virgilium superasse fateantur. Deniq; in Graui dicendi genere scripsit Æneida: quam quidem morte præoccupatus, emendare atque perficere non potuit: sed tamen nihil grauius, nihil ornatius

Gel. Noct. Atti. lib. 7. ca. 14.
Quint. Instit. Orat. li. 12. c. 10.

ornatius haberi manifestum est. Possunt igitur hæc Virgilij Opera inter se comparari, & proportione coniungi: vt, quemadmodum ad Georgica se Bucolica habent; ita etiam ad Æneidem Georgica se habeant: & contrà, quemadmodum Æneis ad Georgica se habet; ita etiam Georgica se habeant ad Bucolica. Quo fit, vt Æneis eminentiorem locum teneat, Georgica medium, Bucolica infimum: non aliter atq; si quis binarium numerum ad quaternarium comparet, & quaternarium ad octonarium: sic enim fiet, vt Octonarius in eminentiori parte sit, quaternarius in media, binarius in infima. Dixi de Proportione. Sequitur, vt de Via doctrinæ verba faciam. Quæ quidem non ita exquisita in Poëtis inueniri potest, quemadmodum ijs in libris, qui Didascalici nominantur: in quibus alicuius artis præcepta summa diligentia tradantur. Sed tamen etiam in Poëtis diligens interpres pulcherrimam docendi viam seruare potest: vt si ea primò, quæ ad vocum proprietates, & locutiones, & quæ tropi dicuntur, & omnino ad Grammatici officium pertinent, obseruet: vt fabularum explicationem, historiarum enarrationem, carminum qualitatem, Poëticas figuras atq; locutiones. Deinde consideret, an aliquid sit, quod Rhetoricam attingat: vt argumentorum inuentionem atque dispositionem, verborum ornatum & splendorem, sententiarum grauitatem, totius orationis exornationes. Notabit etiam ea, quibus honesti mores componuntur, quæ ad familiæ custodiam, & Reipublicæ administrationem spectant. Postremò si quid erit, quod ad Naturalem scientiam faciat, aut ad Mathemati-

cas disciplinas, id accuratè atq; diligenter explicabit. Hæc doctrinæ via pulcherrima atq; vtilissima est: quam nos, quantum facultas nostra feret, in hoc diuino Autore interpretando sequemur. Superest, vt Operis Nomen videamus: quod ab eo viro, cuius facta & res gestas sibi commemorandas sumpsit, Virgilius desiuit. Quis enim non videt, ab Æneæ nomen huic Operi fuisse hoc impositum, vt Æneis diceretur? quod Homeri ad imitationem, sicuti pleraq; alia, factum est. Vt enim Homerus id Opus, in quo res ab Vlysse gestas recensuit, Odysseam ab Vlyssis nomine inscripsit: ita noster hic Autor ab Æneæ nomine, suum Opus Æneida voluit appellare. Quod quidem Opus etiam dum ab Auctore componeretur, tantam de se expectationem concitauit, vt insignis Poëta Propertius non dubitarit exclamare:

Lib. 2. Eleg. vlt.

Cedite Romani Scriptores, cedite Graij:
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Quin etiam non vno in loco Poëta ingeniosissimus Ouidius, hoc Opus celebrat: vt Tristium libro secundo:

Ad Augustū Cæsarē, in finè.

Et tamen ille tuæ felix Æneidos Autor,
Contulit in Tyrios arma virumq; thoros.

Idem de Ponto libro tertio, elegia quarta:

Res quoq; tanta fuit, quantæ subsistere summo.
Æneidos Vati grande fuisset onus.

Statius autem Thebaida suam alloquens, vt Æneidi diuinæ cedat, adhortatur his verbis:

Viue precor, nec tu diuinam Æneida tenta,
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Ouid

Ouidius Amorum libro primo vaticinatur, Opera Virgilij aterna futura:

Tityrus, & segetes, Æneiaq; arma legentur, Eleg. 15.
Roma triumphati dum caput orbis erit.

Magnum etiam, dum viueret, honorem, magnam gloriam & celebritatẽ ex Operibus suis assecutus est Virgilius. Ferunt enim, dum eius carmina quædam Bucolica Romæ recitarentur, præsente Cicerone: vehementer admiratum styli elegantiam & carminum nitorem, exclamasse Ciceronem:

Magnæ spes altera Romæ:

quasi ipse primus Romanæ linguæ propagator fuisset: Virgilius autem secundus esset futurus. Cornelius verò Tacitus scribit, cùm aliquando Virgilius in theatrum spectandi gratia venisset, vniuersum illi populum Romanum, tanquam Octauiano Cæsari, assurrexisse. Sed de Nominis huius ratione non alienum est id hoc loco referre, quod Priscianus libro secundo notauit. Si Nominatiuus (inquit) Græcus in ας, vel in ης vel in τος desinat: Genitiuus verò in ου diphthongum: à penultima breuis ante des reperitur in patronymico, vt Pelias Peliades, Aeneas Aeneades. Nam Aeneides magis contra Regulam, auctoritate Poëtica posuit Virgilius, e & a correptas, in i productam conuertens: vel quasi ab Aeneus Aenides, sicut à Peleus Pelides: proferens in nono:

Sit satis Aenide telis impunè Numanum
Oppetijsse tuis.

Quibus ex verbis intelligi potest, hoc nomen Aeneis, Aeneidos, vel auctoritate Poëtica contra Regulam prolatum, pro eo quod esset, Aeneas Aeneadas: vel

ab hoc nomine Æneus Æneï deflexum esse. Fuit autem Æneas (vt Philostratus in Heroicis scribit) vir apud Troianos maxima sapientia præstans, sicut Hector fortitudine: itaq; hic Manus, ille Sensus putabatur: ambo ætate, staturaq; æquales. Dictys Cretensis scribit, Æneam & Antenorem Ilium prodidisse Græcis, domosq; eorum in direptione Ilij incolumes conseruatas: postremò in Italiam ambos nauigasse. Dares Phrygius Polydamanta, Antenorem, Dolonem, & Æneam proditores fuisse narrat. Liuius autem ideo neque quam ê Græcis in Antenorem, & Æneam sæuitum fuisse scribit, non quia proditores fuerint: sed quia vetusti Græcorum hospites essent, & quia pacis reddendæq; Helenæ semper autores fuissent. Restat adhuc, vt de Autoris Nomine nonnulla dicamus: deinde finem huic sermoni nostro imponamus. Tria igitur hic Autor noster ex Romana consuetudine nomina sortitus est: quorum primum Prænomen appellatur, alterum Cognomen, tertium Agnomen. Publius enim differentiæ gratia dictus est. Hoc autem Prænomen antiquissimum sanè fuit apud Romanos, & à plebe deductum est. Nam apud antiquos qui plebem colerent, & obseruarent, Publicolas & Publios appellatos legimus. Fuit etiam hoc nomine Mimorum Poëta quidam, Iulio Cæsari familiaris: de quo Gellius & Macrobius meminerunt. Et Plinius libro octauo, capite quinquagesimo primo: Publij (inquit) Mimorum Poetæ canas, postquam seruitutem exuerat, nulla memoratur fuisse abdomine: etiam Vocabulo Sumnis ab eo imposito. Cui autem Virgilius appellatus fuit, quidam hanc causam affe-

afferunt : Quod eius mater, cùm grauida esset, se lauream virgam parere somniauit, quæ paulò pòst ita creuerit, vt mirum esset, & varios flores & fructus afferret. Quinetiam cùm in fossa quadam puerum enixa foret, ibi populeam virgam conseuisse dicitur, quæ breui tempore in maximam altitudinem creuerit, vnde à virga Virgilius cognominatus est : quod ille Calui versus, qui circumfertur, indicat:

Et Vates, cui virga dedit memorabile nomen.

Quæ si vera sententia est, frustrà Politianus in Miscellaneis suis capite septuagesimo septimo laborat : qui multis rationibus ostendere conatur, non Virgilium per i, sed Vergilium per e, scribendum esse : qui mihi sanè rectè videtur à Bartholomæo Scala, & à Volaterrano irrideri. Nam omnino minutior res est, quàm quæ bona diutiùs ingenia distorqueat. Si quis tamen Politiani rationes admittere velit : huic ego sanè non admodum repugnabo: quoniam in antiquis voluminibus varia scriptura reperitur : nam modò Virgilium, modò Vergilium, interdum etiam Vergillium per duplex ll scriptum inuenies : quod etiam Christodorus in Statuarum Ecphrasi notauit. Quinetiam in Cæcilij Minutiani Apulei fragmentis, quæ leguntur, modò à virga Virgilium dictum, modò à Vergilijs stellis Vergilium obseruauimus. Sed hæc, quæ parum admodum referunt, missa faciamus. Maro dictus est à patre Marone: quem quidam figulum fuisse existimant: quidam agricolam mercenarium, qui postea syluis coëmendis, & apibus curandis rem suam familiarem amplificauerit, adeò vt etiam filio suo sumptus ad studia persequenda

suppeditare facile posset. Sed mihi non est sententia, Poêtæ vitam recitare; quam & Seruius Grammaticus, seu quisquis ille fuerit, & Petrus Crinitus, & nouissimè Lilius Gyraldus copiosè narrarunt. Neq; sanè Poêtæ laudes persequi animus est: quas certè ingenij mei tenuitas non patitur: cùm nemo prorsus tanta preditus eloquentia reperiatur, qui tam egregium auctorem dignè celebrare posset, quem Alexander Imperator Poêtarum Platonem, vt Lampridius scribit, appellare solitus est: Augustus autem tantopere suspexerit, vt in eius laudem carmina componere tantus Imperator non indignatus sit, quæ quidem ita concludantur:

Immò sit æternum tota resonante Camœna
Carmen: & in populo Diui sub numine, nomen
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

Adrianus autem Imperator Ennium Virgilio præponere non dubitauit. Quinetiam Caligula, nullius iudicij vir, Virgilium damnare, & conuicijs incessere solitus est. At verò Græci, cùm opib. & imperio florerent, Virgilium adeò coluere, vt eius Opera non semel in suam Linguam traduxerint. Christodorus etiam in Ecphrasi sua hæc de Virgilio carmine edidit:

Καὶ φίλον Αὐσονίοισι λιγύθροος ἔπρεπε Κύκνος,
Πνείων ἐυεπίης Βιργίλιον, ὅντινα Ρώμης
Τύμβος ἄλον Ομηρον ἀνέτρεφε πάτριος ἠχώ.

Cygnus, & Ausonijs diuinum nectar ab ore
Virgilius spargens aderat, quem Martia Roma
Eloquio ipsa suum patrio nutriuit Homerum.

Sed vt planiùs agnoscatis, quãtopere diuini huius Poë-

ta

tæ fuerit obseruata doctrina atque eruditio: accipite, quot & quales viros in Virgilij Carmina Commentarios edidisse legamus. Nam & C. Iulius Hygenus, & Valerius Probus, & Scaurus, & Caper, & Aemylius, & Asper, & Vrbanus, & Aurelius, & Cornutus, & Pius, & Carnimus, & Iunius, & Philargyrus, & Carpinus, & Donatus, & Seruius Honoratus, & Macrobius, in Virgilium commentati sunt. Qui verò Virgilium Romæ primus publicè prælegerit, Quintum Cæcilium Grammaticum Epirotam, Attici Pomponij libertum, fuisse scribit Suetonius Tranquillus. At posteà tantopere cultus & obseruatus fuit, vt nullus sit tam infimus literator, quin eum discipulis suis prælegendum censeat. Itaq; iam vulgare factum est, neque magnificum admodum habetur, Virgilium interpretari: cùm tamen tam insignem Poëtam intelligere, summæ sit eruditionis atq; doctrinæ. Nos igitur (vt spero) tantum in lectionibus nostris elaborabimus, vt quicunque me audierint, ipsi per se iudicent, longè maioris esse negocij, Virgilianas virtutes agnoscere, quàm vulgares isti literatores existiment.

IN

IN M. TVLLII CICERONIS

De Officijs ad Marcum filium Libros treis.

PRAEFATIO IX.

CVm anno superiore, studiosi Iuuenes, Rhetoricorū libros ad Herennium, quos potui diligētia, vobis interpretatus fuerim: & quæ vel Aristoteles, vel Cicero, vel Quintilianus dicendi præcepta reliquit, quoniam eos mihi auctores proposueram, profecutus explanarim; consequens esse videbatur, vt hoc tempore Ciceronis Orationes, in quibus, quicquid habebat eloquentiæ, vir ille diuinus ostendit, aggrederemur. Cùm enim in omni doctrina, quemadmodum Aristoteles docet, duo sint habitus, quorum alter Cognitio vel Scientia dicitur: alter Vsus vel Experientia, fit vt idem etiam in Rhetorica contingat: cuius ex præceptis, quæ traduntur in libris, eius nomine inscriptis, cognitio percipitur: ex Orationibus autem vsus intelligitur. Itaq; cùm à me iam Rhetorum Præcepta declarata sit, quæq; ad artis cognitionem pertinent: iure optimo posset aliquis vestrum Vsum etiam ex Orationibus à me requirere. Sed quoniam meum semper iudi-

dicium fuit: Artis præcepta parum admodum, aut nihil ei prodesse, cui non virtutum omnium atque vitiorum cognita sit ratio, quoniam ab his fontibus ferè omnis oratio nostra profluit: statui, priusquam Orationes aggrediar, Opus planè aureum Ciceronis De Officijs hoc anno vobis interpretari. Quo quidem in Opere tam aptè, tam distinctè, tam ornatè, quæcunq; sunt in virtutibus atq; vitijs posita, declarantur, nihil vt excogitari præclarius possit. Quæ si quis diligenter aduertat ac memoriæ mandet, ei tantum ad dicendi facultatem vtilitatis adferent, vt omnium magistrorum præceptis anteponi meritò possint. Cùm enim (vt Aristoteli placet) tria Rhetoricæ genera sint: quorum vnum est in Deliberando: alterum in Iudicando: tertium in Demonstrando: nullum est ex his genus, quod sine Officiorum cognitione digitum (vt aiunt) dicendo progredi possit. Quis enim in concione sapienter sententiam dicere, rectéq; consulere potest, nisi qui planè cognouerit, quæ sint amplectenda, quæq; sint reijcienda? Cùm autem tria sint, quæ expeti soleant: Honestum, Vtile, Iucundum: & tria, quæ natura aliter omnes euitent: Turpe, Inutile, Molestum: horum omnium ratio his in libris explicatur: vt non difficile sit ei, qui persuadere aliquid velit, hinc, quasi è penu quodam, quæcunque sint ad persuadendum accommodata, promere. Quid, in iudicijs, cùm accusandus est, aut defendendus aliquis, nónne in æqui & iustitiæ disputatione tota consumitur oratio? quoniam ea virtus omnium est regina virtutum, & ad omnem ferè actionem necessaria: quam nemo certè melius tractabit, 1. Rhet. 3.

quàm

quàm qui explicatis totius humanæ vitæ officijs, certe nouit, quid in eis æquè, & quid iniquè fiat. Iam vero quis claros homines magnificè laudare, quis improbos acriter vituperare potest, nisi qui virtutum omnium, atque vitiorum species diligentissimè cognouerit? Cùm igitur tribus tantùm in generibus, Deliberandi, Iudicandi, Demonstrandi, omnis Rhetorica versetur: atque in his omnibus hæc Officiorum cognitio quodammodo regnare videatur: cui dubium esse potest, quin ad eloquentiam comparandam, & ad orationem pleniorem efficiendam, hoc Opus omnium maximè possit? quid, quod apud Ciceronem Crassus ait: Nullum esse Oratorem posse, nisi qui eam Philosophiæ partem, quæ ad vitam & mores pertinet, omnem perdidicerit? Omnis enim ferè nostra oratio fit ex ijs rebus, quæ vel agendæ, vel fugiendæ sunt: in quibus cùm Officium omne consistat: necessariò sequitur, vt qui Officiorum ignarus est, is etiam in dicendo rerum inops & infacundus sit. Iam igitur profectò videtis, Iuuenes, quæ me ratio potissimum in hanc sententiam duxit, vt post explicata Rhetoricæ præcepta, ad hos de Officijs Libros interpretandos aggrederer. Huc accedit alia multò certè grauior causa: Quoniam his in Libris tota benè beateque viuendi ratio continetur, vt Christianam quodammodo Religionem vniuersam complecti videantur. Quo fit, vt nulla prorsus Philosophiæ pars huic antepon deat: nulla enim animorum alia medicina reperitur. Quamobrem hæc Moralis Philosophia tantò reliquis disciplinis excellentior est, quantò animi corporibus ante-

De Orat. libr. 1. pag. 90. b.

antecellunt: vt eam non immeritò Cicero vitæ ducem, & virtutis indagatricem, expultricemqúe vitiorum appellarit. Cuius præceptis qui parere voluerit, is quasi extra omnem fortunæ aleam positus, casus omnes contemnet humanos; magno erit atque constanti animo; nulla ægritudine, nulla perturbatione mouebitur: sed in perpetua mentis tranquillitate, suauiter & iucundè vitam aget. Neque enim (ait Epicurus) iucundè viui potest, nisi cum virtute viuatur. Ideo Socrates, à quo hæc omnis, quæ est de vita atque de moribus Philosophia, manauit, Virtutem ad beatè viuendum solam sufficere prædicabat, solamq; hanc Philosophiæ partem amplexus est. Cùm enim omnis philosophandi ratio triplex sit: Vna de vita & moribus: Altera de Natura & rebus occultis: Tertia de Disserendo, quid verum, quid falsum, quid rectum in oratione, prauúmue, quid consentiens, quid repugnet, iudicando. Primam partem hanc benè viuendi solam sibi excolendam, atque illustrandam Socrates existimauit: cætera verò, quòd essent obscura, atque ab ipsa natura adeò inuoluta, vt causæ prorsus latérent, relinquenda esse censuit: & dictum illud in ore frequenter habuit: Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς, Quæ supra nos, nihil ad nos. Itaque de natura, atq; de rerum causis, in quibus alij ferè omnes multum temporis atque operæ consumebant, nunquam Socrates disputabat: sed ea tantùm studiosè perquirebat, quæ ad mores honestè conformandos pertinent: Cœlestia autem vel procul esse à naturæ cognitione censebat, vel si maximè cognita essent, nihil tamen ad bene viuen-

Tusc. 5. in princ.

Tuscul. 5. pag. 230. b. Acad. Quæst. 1. p. 41. b

1. de Orat. pag. 90. b. De Clar. Orat. pag. 167. b.

Acad. Quæst. 1. p. 42. b

Acad. Qu. li. 1. p. 42. a.

viuendum. Omnis igitur eius oratio in virtute laudanda, & in hominibus omnibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur: vt ex Socraticorum libru, maximeque Platonis intelligi potest. Platonis autem auctoritate, qui varius, & multiplex (vt ait Cicero) & copiosus fuit, vna & consentiens duobus vocabulis, Philosophiæ forma instituta est: Academicorum & Peripateticorum: qui rebus congruentes, nominibus differebant. Nam cùm Speusippum sororis filium Plato Philosophiæ quasi hæredem reliquisset: duos autem præstantissimos studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium, & Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lyceo: illi autem, qui Platonis instituto in Academia, quod est alterum Gymnasium, cœtus erant, & sermones habere soliti, è loci vocabulo nomen habuerunt. Florebant autem Athenis eo tempore liberalium omnium artium studia: cumq; variæ philosophantium opiniones essent, factum est, vt in varias scholas atq; sectas, tanquam in familias quasdam, Philosophi diuiderentur. Hinc à Platonis Academia, dicti sunt Academici: ab Aristotelis ambulatione, Peripatetici: à Porticu illa varia, in qua Zeno docebat, Stoici nominati: hinc quòd mordaces atque inuerecundi, tanquam canes essent, Cynici dicti: quorum princeps & auctor Antisthenes fuit, illustrator Diogenes. Aristippus Cyrenaicæ sectæ princeps fuit, Arcesilas nouæ Academiæ, Phædon Heliacæ sectæ, Euclides Megaricæ, Menedemus Eretricæ. Sed ne singula persequar, Nulli erant

Acad. Qu. li. 1. p. 42. a

De Orat. libr. 3. pag. 149. a.

Ibidem.

3. de Orat. pag. 148. b. 149. a.

Acad. Qu. libr. 4. pag. 32. 33.

erant eo tempore nobiliores Philosophi, qui non Athenas studiorum gratia proficiscerentur: ideo in ea ciuitate, ait Cicero, natam & altam esse rationem. Lib. 6. Ep. Ad fam. 1.

Romanos autem hæc Philosophiæ studia tardissimè peruenerunt. Nam qui ante Ciceronem aliquid de Philosophia scribere aggressus est, nemo sanè perhibetur. Athenas verò illa Ciceronis ingeniorum maximè fœcunda fuit: vt nullum inueniatur literarū genus, quod eo tempore non magnopere floreret. Quin ipse Cicero, cum esset acerrimo vir ingenio, nullam Philosophiæ partem, nullum Philosophorum genus intactum relinquere voluit. Sed omnes omnium Sectarum opiniones degustauit: maximè verò omnium Platonem admiratus est, & cæteris omnibus Philosophis antepositi, atq; eius scriptis adeò delectatus est, vt sepissimè pagellas integras ab eo sumat, & verbū verbo penè reddat. Quin etiam totum de Vniuersitate Librum ex Timæo Platonis ad verbum penè dixerim interpretatus est, multosque Dialogos ad Platonis imitationē conscripsit. Stoicam etiam disciplinam, propter grauitatem (vt arbitror) sententiarum, non mediocriter adamauit: quod cum ex hoc Officiorum Opere, in quo Panætium Stoicum se imitatum esse confitetur, tum maximè ex Tusculanis Quæstionibus, & Paradoxis, intelligi potest, vbi totus omnino Stoicus est. In Officijs autem quamuis se Stoicos imitari fateatur, tamen quia communi vitæ præcepta tribuit, non ita (quod aiunt) ad viuū resecat: satis enim est illi, docere, qua ratione quis in omni vita genere rectè atq; honestè se gerere possit. Itaq; rectissimè de Officijs hoc Opus inscripsit: quamuis hunc titu- Offic. 1. pag. 2. a. Offic. 2. pag. 45. b.

lum Cælius Calcagninus frustrà voluerit improbare, qui censet, longè melius futurũ, si De Officio q̃ de Officijs Auctor inscripsisset. Sed eius opinionẽ nos tã apertis simis argumentis atq; rationib. refutauimus in eo libro, quem contra Disquisitiones eius scripsimus: cum præsertim ipse Cicero ad Atticum scribens, Epistolarum libro vltimo sic aiat: Quòd de Inscriptione quæris: non dubito, quin καθῆκον officium sit: nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior De Officijs. Videbat enim Cicero, fore, vt, si de Officio inscripsisset, de vna tantùm arte, vel de vno tantùm hominum genere intelligeretur: vt si quis dicat, de Imperatoris officio, aut de officio Medici. Nunc autem cùm De Officijs inscripserit, dubitare nemo potest, quin cuiuslibet generis hominum, atque omnis ætatis officia complectatur. Præterea cùm duplex Officium sit; Perfectum & Medium: si de Officio fuisset hoc Opus inscriptum, dubitare quiuis posset, de quo Cicero potißimùm intelligeret, de Perfecto, an de Medio, an de vtroque. Nunc autem hæc De Officijs inscriptio dubitationem omnem tollit, cùm de vtroq; tractare eum intelligamus. Sed de Officijs primùm scripsisse Zenonem Citticum, Diogenes Laërtius & Suidas tradunt: post quem idem argumentum alij multi sunt aggressi. Nam & Panætius Rhodius, Stoicus Philosophus, Africani Scipionis præceptor, de Officijs scripsit; quem imitatus Cicero, præclarum hoc Opus edidit: de quo Plinius in Præfatione Naturalis Historiæ sic ait: Non illa Virgiliana virtute vt certarent, non Ciceroniana simplicitate: (qui in libris de Repub. Platonis se comitem profitetur) in consolatione filiæ,

Vide infrà Præf. 24. Epist. 13.

Offic. 1. pag. 2. b.

filiæ, Crantorem (inquit) sequor, item Panætium de Officijs. Quæ volumina eius ediscenda, non modò in manibus habenda quotidie, nosti. Scripsit etiam Posidonius de Officijs: quo Philosopho, quemadmodum Plutarchus scribit, Cicero præceptore vsus est. Epictetus etiam Stoicus, quem Neronis tempore Romæ vixisse legimus, nonnulla de Officijs tractauit. Sed apud Latinos sola Ciceronis Officia leguntur: quamuis Epistolarum libro decimo quinto Seneca scribat: A M. Bruto librum περὶ τοῦ καθήκοντος fuisse conscriptum. Nam Diuus Ambrosius, cùm de Officijs scriberet, nihil aliud egisse mihi videtur, quàm vt præcepta Ciceronis ad Christianam religionem traduceret. Satis autem constat, post mortem Cæsaris, qui trib. & viginti vulnerib. in Senatu fuit à coniuratis confossus, hoc Opus à Cicerone cõscriptum: vel quod ex eo loco potest intelligi, qui est in primo de Officijs: Declarat id modò temeritas C. Cæsaris, qui omnia iura diuina, & humana peruertit: propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum. Et in eodem libro, alio in loco: Quare L. Syllæ, & C. Cæsaris pecuniarum tralatio à iustis dominis ad alienos non debet liberalis videri. Nã eo tempore, cùm à forensibus negocijs cessaret, totum se Philosophiæ Cicero tradidit, multosq; libros breui admodum tempore conscripsit: inter quos hoc Opus ad Marcum Ciceronem filium suum composuit, qui eo tempore Athenis ingenuis artibus operam daret sub Cratippo Peripatetico, quem etiam M. Brutus, cùm pòst interfectum Cæsarem Athenas venisset, audiuisse dicitur. Fuit autem Ciceronis filius, quantum ex

Epist. 4.

Historijs colligere possumus, patri suo magnopere dissimilis: quamuis primâ ætatem variè traduxerit: quod ipse Cicero multis in locis ostendit. Nam ad Atticum scribens libro decimo, dolet, filium suum indulgentia corruptum, his quidem verbis: O rem miseram! Nihil enim mihi accidit in omni vita acerbius. Indulgentia videlicet nostra deprauatus, eò progressus est, quò non audeo dicere. Sed postea patris castigationibus emendatus, resipiscere cœpit, & honestatis viam ingredi: quo factum est, vt eum Brutus vehementer amaret, & exercitum illi crederet. Quin etiam antea bello ciuili, quod inter Cæsarem & Pompeium gestum est, quamuis admodum esset adolescens, tamen à Pompeio equitum turmæ præfectus fuit: quod secundo de Officijs testatur his verbis eius pater: Tua autem ætas incidit in id bellum, cuius altera pars sceleris minimùm habuit, altera fœlicitatis parum: quo tamen in bello, cùm te Pompeius alæ alteri præfecisset, magnam laudem & à summo viro, & ab exercitu consequebare, equitando, iaculando, omnia militari labore tolerando. Dicitur etiam idem Bruti auspicijs. apud Bilidem in Epiro C. Antonium superasse, multaq; strenuè gessisse auctor Plutarchus in M. Bruti vita. Fuit postea Consul cum Augusto Cæsare: quod Plinius libro vigesimo secundo, capite sexto his verbis attestatur: Ipsum Augustum cum M. Cicerone filio Consulem, Idib. Septembribus Senatus obsidionali donauit. Post gestum autem Consulatum, Asiam Proconsul administrauit: quamuis esset admodum inquinatis moribus. Erat enim adeò vino deditus, vt ebrietate sæpissimè laboraret,

ret, & ea de causa memoriam omnem amiserit. Nam Plinius libro decimo quarto, capite vltimo scribit, hunc binos congios simul haurire solitum. Sed nimirum (addit Plinius) hanc gloriam auferre Cicero voluit interfectori patris sui, M. Antonio. Hac de causa fe- runt eum vulgò Bicongium fuisse nominatum: quemad modum etiam Nouellius Torquatus Mediolanensis, Tricongius dictus fuit, tribus congijs (vt ait Plinius) e- potis vno impetu: spectante, miraculi gratia, Tiberio Principe. Nihil igitur profuit Ciceroni filio patris sa- pientia, nihil Philosophiæ præcepta, quò minùs in omne dedecus ac turpitudinem prolaberetur. Quod idem ijs accidit omnibus, qui non optimis consilijs aures pate- faciunt: sed veluti pecora prona, & ventri obedientia, nihil egregium, nihil magnificum animo voluunt. Vo- bis autem, egregij Iuuenes, alia mens, alia cogitatio suscipienda est: vt præstantissimorum hominum vesti- gijs insistentes, patriæ vestræ splendorem & ornamen tum, vobis opes & gloriam comparare valeatis. Quod quidem facilimè facietis, si diligenter hæc Ciceronis præcepta, quæ traduntur hoc in Opere, memoriæ man- dantes; omni studio atq; diligentia perficere ea cõten- detis. Nihil enim ab eo prætermittitur, quod ad hone- statem atq; dignitatem aliquo modo pertinere videa- tur. Cùm enim ad bene beateq; viuendum, quicquid honestum est atq; vtile, requiratur: ita distinguit Opus suum Cicero, vt primo libro de honestate, eiusq; parti- bus diligentissimè verba faciat; omnemq; virtutem quatuor formis contineri doceat, Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia: quas Virtutum species si-

Nat. Hist. li. 14. c. 22.

gillatim ita tractat, vt nihil clariùs, nihil splendidiùs, nihil ornatiùs tractari possit. Secundo verò libro quæcunq; generi humano possunt aliquam afferre vtilitatem, studiosè persequitur. Quo in libro docet etiam, qua ratione facilè possimus & magnum amicorum numerum, & ingentem nobis gloriam comparare. Sed quoniam accidit aliquando, vt, quod honestum est, ab vtili quodammodo discrepare videatur, atque idem contrà: voluit etiã huic parti satisfacere Cicero: quare Tertium librum duobus adiunxit: quo perspicuè declarat, quid nobis faciendum sit, si quando accidit, vt honestas cum vtilitate pugnare videatur. Atq; ita tribus libris, hoc est, perfecto atque absoluto numero, totam bene viuendi rationem complexus; perfectum nobis Opus & elegantissimum tradidit. Nihil enim arbitror, hoc in dicendi genere æquabili atque temperato fieri politius & elegantius posse. Quare non tantùm hos libros legere, sed etiam (vt Plinius præcipit) ediscere ad verbum, & memoriæ mandare debemus.

In Præfat. Nat. Hist.

IN

IN M. TVLLII CICERONIS

De Oratore ad Quintum Fratrem, Libros treis.

PRAEFATIO X.

LVsciniam, Auditores, vnam ex auibus, maximè solent ij, qui Naturas animalium scribunt, admirari; quòd in tam paruo corpusculo tam clara, tam suauis, tam magna, tam iucunda vox inueniatur: quòd vernotempore, cùm frondescere arbores incipiunt, quindecim diebus ac noctibus perpetuis, sine vlla penitus intermissione canere soleat. Vnde enim in auicula tam pertinax spiritus? vnde vis illa continendæ animæ in canendo tanta, vt vna continuatione cantionis, binæ contentiones vocis & remissiones contineantur? vnde tam artificiosa, tamq; perfecta Musicæ scientia? tam ingeniosa modulatio? tam gratus auribus sonus? qui modò in longum continuo spiritu trahatur, modò summa quadam cum varietate flectatur: nunc concisa voce distinguatur, nunc intorta copuletur? Quid, cùm iterum vocem reuocat, & integra comprehensione cantum edit? quid, cùm modulos nec opinatò derepenteq; cõmutat? quid, cùm ipsa secum iucundè tacita

Plin. Nat. Hist. li. 10. cap. 29.

murmurat? Nulla me hercle tam abstrusa, tam difficilis, tam varia cantio est, quam nõ exprimat vna Luscinia; plenam, grauem, acutam, crebram, extentam, summam, mediam, imam. Quid plura? Tam paruulis in faucibus omnia, quæ tanto labore, tanta industria, tanto studio, tot inuentis instrumentis, generatim varium ars hominum excogitauit, integra atq; perfecta reperiuntur. Estne huic auiculæ perquam simili in dissimili genere Cicero noster, Auditores? Est profectò. Nam in hoc vno tam perfecta, atq; absoluta prorsus omnis dicendi ratio, vt in suo genere non minoris sit admirationi, atque haud scio, an etiam maiori, quàm Luscinia: qui dono quodam (vt ait Fabius) Prouidentiæ genitus est, in quo totas vires suas eloquentia experiretur: clarus, suauis, iucundus, grauis: qui diuina ingenij fœlicitate, quicquid in omnibus aijs auctoribus admirabile, politum, ingeniosum, eximium reperitur, id suis in Operibus totum effinxit. In hoc vno vis Demosthenis, copia Platonis, iucunditas Isocratis vniuersa continetur. Quis enim hoc in probando subtilior? in delectando temperatior? in flectendo vehementior? Quis, cùm opus est, submissum illud & humile, consuetudinem imitans, dicendi genus melius & acutius exequitur? Quis insigne & florens orationis, pictum & expolitum genus illud, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores, quod, quasi stellas quasdam, translata verba, atq; immutata plurimùm illustrant, dulciùs tractat, aut suauiùs? Quis in illo sublimi dicendi genere splendidior, grauior, copiosior, ornatior? Iam verò cùm duo sint, quæ bene tractata ab Oratore,

Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

tore, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum est, quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum: alterum, quod ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi & concitantur, in quo vno regnat Oratio: illud superius come, iucundum, ad beneuolentiam comparandam paratum: hoc vehemens, incēsum, incitatum, quo causæ eripiuntur; quod, cùm rapidè fertur, sustineri nullo pacto potest: in vtroque certè genere plurimùm excellit Cicero. Sed posteriori tanto semper impetu vsus est, vt sæpe aduersarios de statu omni deiecerit. Huic pro familiari reo summus Orator non respondit Hortensius: ab hoc homo audacissimus Catilina, in Senatu accusatus, obmutuit: huic priuata in causa magna & graui, cùm cœpisset Curio pater respondere, subitò assedit, cùm sibi venenis ereptam memoriam diceret. Quid de miserationibus dicam? quibus adeò vehementer vti solebat, vt sæpissimè totum forum, eo dicente, quæstibus & lamentationibus impleretur: vt etiamsi plures Oratores vnà dicerent, Ciceroni tamen omnes peroratione relinquerent: in qua tantùm excellebat, vt ab hominibus suæ ætatis regnare in iudicijs dictus sit. Hic igitur tam eximius, tam præstans, tam diuinus Orator, non contentus ea, quam ipse magnis laboribus & vigilijs consecutus erat, eloquentia; voluit etiam more Luscinię (ne ab huius auis exemplo discedam) pullos suos iucundissimis & suauissimis cantionib. erudire. Tradunt enim, hanc auiculam mirè de suis filijs esse solicitam, vt rectè modulateq; canere discant: atq; ideo iuniores ex parentum

In Orator. ad Brutum p. 208. b. Supra præf. 6. pag. 599.

Quint. Instit. Orat. lib. 10. c. 1.

rentum institutione, magistras summa cum attentione solent audire, versusq3, quos imitentur, accipere: quos deinde magna cum diligentia recitent. Quadam enim vicissitudine, quò melius atque facilius discant, modò canentes parentes audiunt: modò, quæ diligenter audiuere, secum ipsæ meditantur, & attentiore cura promere contendunt. Itaq3 fit, vt, si quæ parum capiantur, cùm nondum canere didicerint, atque inter homines alantur, longè deteriùs canant: quoniam ante legitimū tempus à magistris subductæ fuerint. Quid ergo? nónne eadem ratione Cicero cantus nostros, id est, orationem, quæ si polita atq3 ornata fuerit, omnem cantionem dulcedine superat, præceptis & institutionibus Rhetoricis expolire atq3 exornare contendit: qui cùm multa iuuenis adhuc ac penè adolescens de arte dicendi præcepta tradidisset: postea cùm per multos annos in causis cuiusque generis versatus, tantum honoris ac dignitatis esset assecutus, vt Cicero non iam hominis, sed eloquentiæ nomen haberetur: voluit aliquod Opus elegantius atq3 admirabilius extare, quo & variam & mirificam in omni genere doctrinam suam ostenderet, & ad certam dicendi rationem, atque ad summum eloquentiæ fastigium viam præmuniret. Quamobrem hos de Oratore Libros ad Quintum Fratrem conscripsit: in quibus quicquid erat eloquentiæ, quicquid ingenij, quicquid artis, quicquid eruditionis, expressit: vt nullum vnquam neq3 apud Græcos, neq3 apud Latinos hoc in genere præstantius Opus fuerit, aut esse possit. Mira profectò res est, si quis diligenter aduertat: Ab vno aliquo mortali homine tã varium, tam ela-

elaboratum tot disciplinis, tot reconditis reb. & quæstionibus refertum Opus excogitari potuisse: cùm præsertim tot negocijs publicis, tot occupationibus, tot impedimentis semper Cicero districtus fuerit. Quin adeò diligens atq; industrius in hoc Opere fuit, vt personas, quas loquentes inducit, ita repræsentet, vt non Auctorem Operis, sed ipsas Personas loqui existimes. Quid enim Scævolæ grauitate dignius? Crassi vbertate floridius? Antonij subtilitate prestius? Equidem ita censeo, Auditores: si quis hos tres de Oratore Libros benè perceperit, etiamsi nihil aliud prorsus intelligeret, eum doctè, grauiter, & ornatè posse dicere. Quid enim est in vllo doctrinæ genere tam abstrusum, tam reconditum, tam nouum: cuius non aliqua sint in hoc Opere non sanè leuiter expressa vestigia? Quærantur omnia tum Græcorum, tum Latinorum dicendi præcepta, atque in vnum conferantur: certè cum hoc vno Opere, neque orationis grauitate, neq; varietate rerum, neq; elegantia sermonis, neque alia quauis laude comparari meritò poterunt. Quo fit, vt hos ego non Libros, sed rerum omnium pulcherrimarum Thesauros appellare soleam: quoniam in eis inuenio tanquam reposita scientiarum omnium ornamenta maxima. Neque tamen ideo, quamuis eruditionis pleni sint, minus est in eis iucunditatis. Rerum enim varietas eiusmodi est, vt nostros animos oblectare maximè possit: cùm tam magnificè, tam egregiè suis laudibus Orator vestiatur: tam grauiter & ornatè, quid valeat Oratoria facultas, explicetur. Suauissimū certè est, videre, quid Oratori natura, quid studiū, quid exercitatio cōferat: cur

eum

eum Historia, cur Poêsis, cur Philosophia, cur Iuris ciuile plurimùm adiuuet: quàm latè dicendi materia pateat: quæ sint Oratori propositæ quæstiones, quæ sit docendi ratio, quæ delectandi, quæ monendi: quo modo fieri possit, vt sermo facetus, ac nulla in re rudis appareat: qui sint affectus orationis initio tentandi, qui peroratæ causæ concitandi: ex quibus locis ad faciendam fidem argumenta sumenda sint: quibus quasi luminibus tota illustretur oratio, totaq; dilucida, probabilis, aperta, suauis efficiatur. Hæc ea sunt, quibus alitur adolescentia: quæ diligenter audire, meditari, memoriæ mandare Iuuenes debent, in quibus continenter exercerí, dies noctesq; versari, atq; insudare pulcherrimum est. Hac in parte maximè nobis imitandæ Luscinia sunt, quæ cantionum dulcedinem, & harmoniæ suauitatem, quam in voce parentum audiunt, omni studio reserre contendunt. Vnus est eloquentiæ parens Cicero: cuius oratio quouis melle dulcior est, sapientissimus sententiis, grauibusq; verbis ornata & perpolita, quæ meritò flexamina atq; regina rerum dici potest: ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de peruulgatis noua videri solet: grauis, erudita, liberalis, admirabilis. Vnus est à nobis hic Auctor imitandus, vnus respiciendus, vnus semper in manibus habendus: huius sententias, huius verba, huius numeros omni cura, studio, diligentia persequi debemus: qui distinctè, qui explicatè, qui abundanter, qui illuminatè, & rebus, & verbis dicit: & in ipsa oratione quasi quendam numerum, versumq; conficit. Hunc si aliquo modo sectari, atq; adumbrare cupimus: quoniam æquare non modò quis

Citat Cic. 2. de Orat. 125. b. & 1. De Diuin. 97. a.

quisquam non potest, sed ne sperare quidem debet: Verborum in primis delectus habendus est: quod Eloquentiæ principium esse Cæsar dictitabat: vt nullam penitus dictionem, nullam vocem admittamus, quæ nō elegans, Latina, Ciceroniana esse videatur. Deinde compositionis ratio diligens adhibēda est, vt neq; asperos habeat concursus, neq; disiunctos atq; hiantes. Tū rerum ordinem, & argumentorum collocationem atque probabilitatem aduertere, diligenterq; imitari oportet. Postremò sententiarum & verborum lumina, quas vel figuras, vel exornationes appellamus, summa cum industria persequenda sunt: quibus quia tam frequenter vtitur Cicero, sunt qui putent, eius eloquentiam vel hac vna de causa summopere esse laudandam. Sed hæc non nisi acri studio, magna diligentia, summo labore, longa exercitatione percipi possunt. Itaq; non mirum est, si tam rari sunt ij, qui Ciceronianam dicendi maiestatem, & eloquentiæ virtutes exprimant: quoniam plerique vel imitandi rationem ignorant, vel laborem omnino refugiunt. In hac enim parte plurimi decipiuntur, qui cum aliquas ex Cicerone clausulas excerpserint, atq; in suis scriptis collocarint, se germanos atq; veros Ciceronis imitatores arbitrantur. Cùm imitatio vera non in verbis tantùm, sed in rebus magis atq; ordine constet: neq; quisquam rectè Ciceronem imitari possit, nisi qui studijs ijsdem, quibus ille vtebatur, se totum tradiderit: vt non tantùm verba (quod plerique faciunt) sed etiam sensus, & virtutes (quod pauci facere possunt) intelligat. Habet enim hoc proprium & quasi peculiare Cicero, vt longè grauiores & re-

Ci. de Clar Ora. pag. 188. a.

reconditores plerunque sententias in se habeat, quam prima fronte præ se ferre videatur. Vt non sine causa Quintilianus dixerit: Ille se profeciſſe sciat, cui Cicero valde placebit. Quòd si vsquam Cicero doctrinam summam atq; eruditionem ostendit: in his certè libris tam multa recondita sunt, & ex intimis disciplinis decerpta, atq; delibata, vt nihil doctius aut eruditius excogitari possit: quæ non nisi magno studio, diligentiq; consideratione possunt intelligi. Quare mihi vestra opus erit attentione, Auditores, dum has Latinæ Linguæ diuitias, hos eloquentiæ fontes, hos rerum præcipuarum Thesauros interpretatione mea vobis aperio. Quos si degustare semel cœperitis; non tantũ summam ex eis vtilitatem, sed etiam tam incredibilem iucunditatem percipietis, vt nihil vos aliud magis delectare possit. Sed iam Ciceronem ipsum audiamus.

Lib. 10. Cap. 1.

IN M. TVLLII CICERONIS ORATOrem ad M. Brutum.

PRAEFATIO XI.

CVm multa sint, Auditores, in hac tam illustri Mundi machina, tamq; immensa rerum vniuersitate, totiusq; cœli ambitu, non mediocri digna admiratione: tamen in primis humani Animi natura mihi, diligentiùs omnia perpendenti, talis esse videtur, vt eam præter cætera quiuis summè admirari, atq; suspicere debeat. Vt enim hoc loco prætermittam, ex tot animantium generibus, solum hominem rationis esse participem: per quam (vt ait Cicero) consequentia cernat: principia & rerum causas videat, earumque progressus & quasi anteceßiones non ignoret: similitudines comparet: rebusque præsentibus adiungat, atque annectat futuras, facilè totius vitæ cursum videat, ad eamq; degendam præparet res necessarias: Vt nihil dicam de tam multiplici scientiarum varietate, quæ vel ad orationem aptè, & distinctè, politeq; conformandam, vel ad vitam & mores honestè atque liberaliter instituendos, vel denique rerum occultarum, & ab ipsa natura inuolutarum cognitionem pertinet: in quibus tanquam in Campo quo-

Offic. 1. pag. 3. a.

dam

dam Martio, se exercens optimi cuiusq; mens & cogitatio, mirum dictu quantopere illustretur, & excellat: Vt tot & tam varia instrumentorum, operum, artium generatacea m, quæ singula si quis paulò accuratius considerare voluerit, nō dubium est, quin obstupescat. Vt hæc (inquam) & cætera penè infinita, quæ magnam animaduertenti facilè possint admirationem concitare, hoc tempore non commemorem: Nihil enim est ante, aut manu factum, quod animus noster excogitando non inuenerit: quid admirabilius dici aut cogitari potest, quàm quòd ea vis est animi nostri, nullis vt certis finibus aut terminis claudi circumscribive possit: sed omnem infinitatem peregrinetur, & nullo certa vnquam tempore, aut loco conquiescat. Vnde eius origo meritò diuina creditur: quia motu cietur interiore & suo: & viget, & sentit, & meminit, & præuidet in infinitum. Nam si longissimè voluerimus respicere spacium præteriti temporis, & hominum memoriam recordari vltimam: tamen vltrà etiam animus progredietur, atq; illa secula ipse secum meditabitur, quibus (vt ait Ouidius)

Metam. 1.

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigestaq; moles,

Et quibus

Nullus adhuc Mundo præbebat lumina Titan,
Nec noua crescendo reparabat cornua Phœbe.

Et denique quibus nihil adhuc esset conditum, aut creatum: aut id, quod beatum est & æternum, sua tantùm beatitudine contentum, sine vlla societate, vel hominum, vel Deorum vigebat: in quo tamen nullum

lum principium cogitando reperiet. Quòd si contra futuri temporis finem aliquam quærere cogitatione tentauerimus, id nullo modo patietur animus noster, qui semper vltra tendere paratus est. Vt enim vera sit Stoicorum sententia, quam etiam Theologi nostri sequuntur: Fore aliquando, vt totus hic Mundus ardore deflagret: tamen etiam vltra deflagrationem illā, cognitionem suā extendit animus, & sempiternis sæculorum ætatibus in cœlo summa felicitate se fruiturum confidit. Quid, quòd etiam supra rotundam illam cœli conuersionem nostra mens euolat, & immensum quoddam spacium ibi confingit, in quo nullus omnino sit finis, aut terminus? Quid, quòd vniuersas mundi partes momẽto temporis peragrare facillimè potest? Nulla est enim (vt ait Cicero) tanta celeritas, quæ possit cum animi celeritate contendere: vt longè præstantior sit animus noster, quàm vel Luna, vel Sol, vel Stellæ, vel denique Cœlum vniuersum, quod non nisi certo tempore cursum suum conficere potest: cùm interim animus ad totius cœlestis spacij peragrationem tempore non indigeat, sed eam momento conficiat. Huc accedit illa animi maximè celebranda nobilitas, quòd rerum omnium imagines atq; formas in se continet: vt hac in re Menti illi diuinæ, quam nostri Dei Filium appellant, quàm similimus esse videatur. Sicuti enim in Mente illa diuina, non aliter, atq; in amœnissimo quòdam horto, perfectissimæ rerum omnium Ideæ consitæ dicuntur; vnde vim habeant vniuersa, quæ in cœlo, quæ in mari, quæ in terra gignuntur: ita in animo nostro sunt impressæ, atq; insignitæ ab ipsa Natura, rerũ ferè omnium

Tusc. Qu. lib. 1. pag. 157. a.

niũ notiones, sine quib. nihil omnino intelligere possemus. Verũ ita Deorũ prouidentia conformati sumus, vt nihil sit ex omnib. rebus, q̃ nobis animus noster non facilè repræsẽtare possit. Quoties enim volumus, vel amici nostri speciẽ, vel equi, vel canis, vel villæ, vel ciuitatis, vel cuiuslibet deniq; rei, animo cernimus. Imò verò noua etiam, & quæ nunquam in rerum natura fuerunt, fingere cogitatione possumus: vt montes aureos, adamantinam ciuitatem, volantes hominum legiones. Quid, illud quantitandem faciendum est, quod omnibus quandam quasi perfectionem addit animus noster? Neque enim res tam pulchra, vel tam absoluta esse potest, qua non pulchriorem, aut absolutiorem cogitare possimus. Sunt enim animi nostri (quemadmodum Platonici censuere) propriæ rerum omnium rationes, seu definitiones: quoniam generalia tantùm, quæ non sensibus subiecta sunt, sed animo comprehenduntur, definiri solent. Itaque nihil, vt est in rerum natura, sed vt est in animo, perfectè definitur. Nihil enim (ait Cicero) simplici in genere, ex omni parte perfectum Natura expoliuit. In animo verò perfecta est cuiusque rei ratio. Quamobrem animus cuiusuis (vt antea dixi) penè infinitas sibi earũ definitiones format, quæ omnino in se perfectæ sunt, sed in nullo prorsus individuo esse possunt. Vt ecce Philosophum eum esse dicimus, qui omnium diuinarum, atque humanarum rerum cognitionem habeat: at certè nullus vnquã post hominum memoriam res diuinas, atq; humanas cognouit: itaq; nullus esset hac ratione Phi-

De Inuent. lib. 20. pa. 62. b.

Philosophus. Verùm quia nemo perfectus esse potest: Quantò quis plura didicerit, atq; cognouerit, tantò Philosophi nomine dignior esse iudicabitur. Quod idem fit etiam in reliquis artibus, & scientijs omnibus: vt quò quis ad perfectam illā rationem propiùs accedit; tantò præstantior opifex habeatur. Quod cùm optimè, sicuti cætera omnia, Cicero noster intellexisset: conatus est hoc in Opere, quod interpretaturi sumus, Perfecti Oratoris formam, non quæ reuera fuerit vnquam, aut sit, aut futura sit in aliquo homine; sed quam ipse magnus Orator animo comprehendebat, exprimere, Rem sanè difficilem, & arduam: vt idem ipse non vno in loco testatur: sed quam tamen adeò scienter, & artificio sè confecit, vt non melius Zeusis Helenam, aut Praxiteles Venerem expresserit. Quicquid enim habuit facultatis in dicendo, quicquid artis, quicquid eloquentiæ, id totū in hoc Opus contulit: vt non tantùm perfecti Oratoris effigiem in Opere nobis expressam relinqueret: sed ipsum etiā Opus ad illā perfectæ eloquentiæ formā, quàm proximè fieri posset, accederet. Itaq; nō solùm eam vtilitatem ex hoc Opere studiosus, atq; diligens lector reportabit, vt qualis esse debeat perfectus Orator, intelligat: sed illā etiam lōgè maiorem, vt ipse doctè & politè planeq; Oratoriè dicere, atq; scribere possit. Nō enim aliud Opus facilè reperitur, in quo vel maior variarū disciplinarum eruditio, vel grauiores sententiæ, vel splendidiora verba appareant. Ad hæc accedit mira quædam orationis iucunditas, atq; suauitas, quæ facilè non omnino desidem, aut ignauum allicere lectorē possit. Atq; vt facilius quisq; vestrum in hanc summæ elo-

Cicer. in Orator. ad Brutum p. 199. b.

quentiæ viam pleno gradu possit ingredi: totius Operis Argumentum paucis verbis explicabo. Quo tempore Cæsar, deuicto iam in Pharsalia Pompeio, bellum in Africa gerebat, & M. Brutum Togatæ Galliæ præfecerat, scripsit: ad Ciceronem Brutus, quoniam ei maximè familiaris erat, & ab eo plurimùm amabatur: vt sibi scriptis explicaret, quam esse optimam speciem, & quasi figuram dicendi censeret. Quod licet admodum difficile, atq; arduum Ciceroni videretur, quippe qui, quod animo cernebat, neq; verbis satis exprimere, neque scriptis mandare se posse, confideret: tamen máductus amore Bruti, quem vnicè diligebat, Opus hoc & doctissimum, & elegantissimum conscripsit: in quo singulas Eloquentiæ partes, & dicendi genera ita studiosè persequitur, vt nihil enucleatiùs fieri possit. Perfectum verò eum appellari posse ait: qui & humilia subtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè potest dicere, atq; ornare, quæ vult: omnesq; omnium rerum, quæ ad dicendum pertinent, fontes animo ac memoria continet. Atque hæc quidem ea est Perfecti Oratoris species, vt in Opere Cicero describit. Et quãuis post homines natos nullus vnquam talis extiterit, neq; postea futurus sit: tamen in animo nostro insidet eximia hæc eloquentiæ species, cuius (vt cuiusq; est ingenium) alius aliam partem arripit; nemo autem vnus totam assequitur. Nam vt ab Heroicis vsq; temporibus exordiar, & breuiter aliquos eorum commemorem, qui in eloquentia floruerunt: Tres potissimùm ab Homero, Poëtarum Principe, viros tanquam eloquentes inuenio celebratos fuisse: Menelaum, Nestorem, Vlyssem:

Pag. 206. a.

sem: quorum tamen nulli perfectam tribuit eloquentiam. Nam alium in alia re floruisse ostendit. Subtilem enim, & breuem, cum animi iucunditate, & propriam, & carentem superuacaneis eloquentiam Menelao dedit:

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μαλὰ λιγέως· ἐπεὶ οὐ πολύμυθος. Homer. Ili ad. 3. v. 216.

Nestori temperatum orationis genus, & iucunditatẽ eam attribuit, qua nulla fingi maior potest: Nam ab eius ore melle dulciorem fluere dixit orationem:

Τῷ δ' ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Homer. Ili ad. 1. v. 249 Quint. Instit. Orat. li. 12. c. 10.

In Vlysse sublime dicendi genus, & summam vim esse voluit. Nam eius orationem similem niuibus hybernis esse dixit, hoc est, (vt Plinius interpretatur) crebram, assiduam, & largam, postremò diuinam & cœlestem:

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν. Hom. Ilia. 3. v. 224.

Subsequenti verò tempore tradunt Periclem, Atheniensium Principem, in sublimi dicendi genere lõgè prioribus omnibus præstitisse: adeò, vt etiamsi inuitis Atheniensibus verba facere inciperet, tamen eius omnibus mirè grata esset oratio. De quo sic Eupolis scriptum reliquit: Cic. in Bru 67. 168. a. 169. b.

πρὸς δέ γ' αὖ τούτῳ τάχ' εἰ
Πειθώ τις ἐπεκάθητο αὐτοῦ χείλεσιν,
Οὕτως ἐκήλει κἀμύνετ' ὧν Ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Aristophanes verò vim eiusdem Periclis fulminibus comparat:

Ἡράκλεες, ἐρόντα, σωκύκα τὴν Ἑλλάδα. Aristop. in Acharnensibus.

Iam verò tota florente Græcia, cùm iam eloquentia summum ad culmẽ peruenisse videretur, nemo tamen

inuentus est, qui vnus omnia præstare posset: hinc est, quòd dispartitæ fuerint Oratorum laudes, & alius alia in re commendatus. Nam grauitas & vis Demo-

Quint. lib. 12. c. 10. & li. 10. c. 2. b

sthenis celebratur, iucunditas Isocratis, subtilitas Lysiæ, sonitus Æschinis, acumen Hyperidis, copia Platonis. Apud Romanos etiam à Quintiliano celebratam inuenio vim Cæsaris, indolem Cælij, subtilitatem Calidij, grauitatem Bruti, acumẽ Sulpitij, acerbitatem Cæsij, diligentiam Pollionis, dignitatem Messalæ, sanctitatem Calui, copiam Senecæ, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Crispi, sonum Trachali, elegantiam Secundi. Verùm cùm nemo possit (vt iam antè diximus) virtutes omnes oratorias assequi; tantò laudabilior quisque est, quantò plures assecutus fuerit. Hinc in

pag. 167. b.

Libro de Claris Oratoribus à Cicerone propè iam perfectus Orator Demosthenes appellatur, quòd nihil acutè inueniri potuerit in eis causis, quas scripsit, nihil subdolè, nihil versutè, quod ille non viderit: nihil subtiliter dici, nihil præsẽtè, nihil enucleatè, quo fieri posset aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum grauitate, vel sententiarum, quo quicquam esset elatius. Sed tamen etiam

Cic. ad Brutum, pag. 199. a.

huic ad perfectam illam Oratoris speciem multa defuerunt. Nam & ab Æschine exagitatus fuit, vt putidus: & in hoc Opere Cicero ita de eo loquitur: Vsque

Pag. 206. a

eò difficiles ac morosi sumus, vt nobis non satisfaciat ipse Demosthenes: qui quanquam vnus eminet inter omnes in omni genere dicendi: tamen non semper implet aures meas: ita sunt auidæ & capaces, & semper aliquid immensum, infinitumq; desiderant. At Ci-

Inst. Orat. lib. 10. c. 1.

cero

cero noster (vt ait Quintilianus) cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset, effinxit vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis: vt dono quodam Prouidentiæ genitus esse videatur, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Quod licet ita esse mihi persuasum sit, tamen etiam hunc suorum homines temporum incessere audebant, vt tumidiorem, & Asianum, & redundantem, & in repetitionibus nimium, & in salibus aliquando frigidum, & in compositione fractum, exultantem, ac penè viro molliorem. Vnde verissimum illud M. Antonij videtur: Vix Deo cõcessum esse, vt omnes dicendi virtutes, & perfectam eloquentiam habeat. Sed tamen ea est huius summæ virtutis excellentia, vt quauis etiam minima pars Eloquentiæ plurimùm prodesse possit. Itaque pro se quisque literarum amantissimus eniti debet, vt hoc bono, quo nullum optabilius, nullum præstantius, neque datum est mortalium generi, Deorum concessu atq; munere, neque dabitur, quàm ornatissimus esse videatur. Quòd ita facilimè faciet, si Ciceronis Opera quidem omnia, sed ea præcipuè, quibus Rhetorum mysteria patefecit, accuratissimè studiosissimeque perlegerit: quo in numero Librum hunc, & primo quidem in loco ponendum censeo. Qui licet aliquam in se difficultatem atque obscuritatem habeat: tamen hac vtilitate maxima, quæ ex eius intelligentia nascitur, compensari potest. Mitto enim hoc loco Latinum orationis splendorem, qui maximè lucet hoc in Opere, verborum & sententiarũ ornamenta, plurima cuiusq; generis dicendi lumina, reconditã multarum rerũ eruditionem.

Quid vtilius esse potest ei, qui Latinè aliquid vel scribere, vel pronunciare velit, quàm scire, quomodo quidq; dicendum sit? quo dicendi genere quauis in causa sit vtendum? quæ sit forma optimi, quod χαρακτὴρ Græcè dicitur? quid porrò præstabilius, quàm numeros, & quasi pedes orationis intelligere, quod vnum maximè solet imperitum Oratorem à perito distinguere? Atq; hæc omnia tam ingeniosè, tam acutè traduntur hoc in Opere, vt qui ea rectè percipere potest, nullum alium auctorem desideret. Neq; quenquam vestrum Operis obscuritas perterrefaciat, Nam ita nos interpretatione nostra singula illustrare statuimus, vt etiam Artis Oratoriæ penitus rudes, si diligenter animum aduertere voluerint, plurimùm se arbitrentur adeptos, & ad dicendum, & ad intelligendum. Ego igitur, quantum facultas mea tulerit, communi omnium vestrum vtilitati inseruire studebo, atq; vnicuiq; dictum illud Æneæ Virgiliani succinam:

Aen. 12.

Disce puer virtutem ex me, verumq; laborem:
Fortunam ex alijs.

Vos (vt ingenuos decet adolescentes) discendi cupiditate allecti, huc in locum magna cum modestia venire, & quæ declarabuntur à nobis, diligenter audire, atque memoriæ mandare debetis.

IN

IN M. TVLLII CICERONIS TOPICA ad C. Trebatium.

PRAEFATIO XII.

Sententia Medicorum est, egregij Iuuenes: Cibi ac potionis mutationem plerunq; valetudini, & corporum constitutioni mirificè conducere. Sic Antonius Musa, teste Suetonio, celeberrimus Medicus, cùm Augusti Cæsaris morbum quendam penè iam inueteratum nullo modo calidis vnquam phasmatis depellere potuisset: ad frigida conuersus, eum breui tempore liberauit. Sic etiam rationis expertia quædam animalia, ciborum mutatione reficiuntur. Cerui serpentium cibatu, quamuis sint antiquissimi, tamen quodammodo iuuentutem reparare, & corroborari dicuntur: vidimus, ab equisonib. interdum equos, cùm ægrotarent, intybo siue cichoreo pasci: obseruauimus etiam, canes & feles nonnunquam herbas arrodere. Adeò non conducit idem semper cibus: sed potiùs nauseam creat; vt etiam Crambe repetita, prouerbio iactetur, & Æsopicæ Linguæ. Sed quorsum hæc? inquiet aliquis! Vt intelligatis, me non sine causa lectionem Virgilianam, quæ solebat anno superiore vobis

esse tanquam cibus animi quotidianus, in Ciceronis Topica commutare statuisse: ex quibus tamen, nisi vestræ peregrinatæ fuerint aures, non immorem, atque haud scio, an etiam maiorem, quàm ex Virgilij lectione stis vtilitatem reportaturi. At fortasse quæretis! Quæ tam grauis ac vehemens causa me ab instituto meo remouerit. Dicam apertè & ingenuè, suauissimi Iuuenes, vt & vos, & natura mea postulat. Cùm omne meum studium, omnis labor, omnis cogitatio non aliò dirigatur, quàm vt vobis, qui mihi luce propria chariores estis, quàm plurimum prodesse possim: intellexi, qui literis inter vos operam impendunt, duo præcipuè studia sequi solere: hoc est, aut Iuris Ciuilis, aut Medicinæ: neque Professionem vllam his duabus apud vos haberi liberaliorem aut nobiliorem. Itaque secundam eò cœpi cogitationem intendere: Quomodo fieri posset, vt vtrisque his studijs lectiones meæ conducerent. Sed cùm ad omnem Philosophiam, quæ ferè Medicinæ supponitur, organum esse & quasi clauem Dialecticam intelligerem: Iuris verò Ciuilis magnam & amplam partem (teste Cicerone) artificiosam esse eloquentiam, quam Rhetoricam vocant: videbam planè non potuisse & Medicis, & Iurisperitis futuris me opitulari, nisi & Dialecticam, & Rhetoricam docuissem. Quod cùm commodè non posset eodem à me tempore præstari subijt hoc mihi salubre consilium, vt Topica Ciceronis interpretarer, quæ sedes argumentorum omnium aperiunt, siue quis in Rhetoricis, siue in Dialecticis exerceri velit. Quæ scientia quàm vtilis sit & necessaria, nemo facilè dixerit.

Lib. 1. De Inuent. pag. 43. a.

xerit. Non enim fieri potest, vt qui sit huius artis imperitus, aut rationes suas dicendo comprobet, aut aduersariorum argumenta refellat: fundet quidem verba, locorum ignarus, & quasi incertis sedibus huc & illuc sine vllo ordine vagabitur: sed nihil aptè, nihil distinctè, nihil ornatè dicet: & quod caput est, languida erit & eneruata eius oratio. Hæc Ars Locos docet, quasi nidulos argumentorum, ad quos sine vllo errore peruenire possumus, & ex eis, veluti thesauris quibusdam, ad omnem orationem vel approbandam, vel reprehendendam, argumenta ducere. Et quemadmodum auceps, aut venator, nisi locum notauerit, vbi volucres, aut feræ nidos ac latibula construxere, totum plerunque diem venando frustrà conterit, & domum vacuus reuertitur: ita qui rationem inueniendi non didicerit ea, quibus proposita res vel confirmari, vel infirmari possit, sæpenumero diu laborans discruciatur: & nihil tamen appositè dicere aut scribere potest. Quòd si quis præclarum & vtile putat esse, posse dicendo facilè probare, quæ dicat: quod quis non putat? idem etiam artem, quæ id præstat, præclaram & vtilem existimare debet. Prædicant omnes Eloquentiam, & meritò diuinis extollunt laudibus: sed omnino sine argumentorum inuentione, nulla esset eloquentia. Quis non Dialecticam artem esse nobilissimam & vtilissimam iudicat? attamen quid sine Topicis esset Dialectica? Ergo cùm in hac arte summa sit vtilitas (vt etiam ipse fatetur Cicero) ne vos pigeat, excelsi animi Iuuenes, eam omni studio complecti. Erunt In Bruto pag. 178. a.

qui-

quidem in hoc Opere multa difficilia: sed nihil est eximium, quod nō idem sit etiam difficile. In hoc ab ingenuis studiosi dignoscuntur, cùm nullo labore, nulla difficultate perterrentur: sed quicquid vtile atq; gloriosum esse intelligunt, id audenti ac magno animo nō verentur aggredi. Nam quemadmodum inter feras leones principatum obtinent, non quia sint omnium fortissimi; sunt enim animalia quadam eis multò fortiora: sed quia animi magnitudine maximè præstant: sic inter homines ij sunt excellentissimi, qui gloriosa facinora forti animo magnoq; obeunt. Sunt autē quidam angusti, tamq; pusilli animi, qui librorū tantum inscriptione terreantur: qui cùm audierint, scientiam aliquam esse difficilem, ab ea statim submouentur. Sunt alij, qui nullam doctrinam approbent, nisi quam ad se pertinere opinantur: reliquas omnes tanquam inutiles spernant. Horum neutri magnam vnquam gloriam assequētur. Eum enim oportet hominem, qui magnum ex literis nomen aliquando reportare studet, qui cupit amœnissima Musarum vireta peruestigare: qui nihil iucundius, quàm multa scire, intelligit, acrem primò animum & excelsum habere: deinde nihil à se alienum putare, quod ad scientiam aliquo modo pertineat. Sed cùm omnes scientiæ liberales plurimum vtilitatis habeant: tum (meo quidem iudicio) nullæ sunt vtiliores, quàm illæ, quas Græci Logicas, quidam ex nostris Rationales appellarunt. Cùm enim soli omnium animātium homini, vt rationis doctrinæq; capaci, parens ille & autor rerum Deus loquendi atq; orationis indulserit munus: & (vt ait Cicero) hoc vno præstemus vel maxi-

De Orat. libr. 1. pag. 87. b.

mè

mè feris, quòd colloquimur inter nos, & quòd exprimere dicendo sensa possumus: iure ac meritò scientiæ, quæ nos instruunt, vt quo vno homines maximè bestiis præstent, in hoc hominibus ipsis antecellamus, reliquis omnibus scientijs præstantiores haberi debent. Inter has autem scientias Ars inueniendi, quæ Topica dicitur, sicut ordine naturæ prima est: ita etiam omnium vtilissima. Quamobrem quis hanc non iure miretur, summeq; in ea elaborandum esse arbitretur, vt eam artem perdiscat, quæ reliquis omnibus antecellit? Nulla igitur difficultas, nullus labor ab eo vos retrahat, Iuuenes: cùm tam vtilem & præclaram esse intelligatis. Neque vos moueant quorundam imperitorum verba: qui, quoniam diuinam Ciceronis scientiam & eloquentiam nullo modo gustare possunt, impura lingua sua, & sordibus illis verborum inquinata, non desinunt omnis leporis & elegantiæ fontem maledicendo conturbare: & omnis Dialecticæ, atq; Philosophiæ ignarum fuisse Ciceronem, clamitare. Sed viuant in cloacis cum barbarie sua, quicunque sunt: eiusmodi versentur in volutabris & cœno, tanquam sues: qui cùm è limpidis fontibus aquam haurire commodè possint, malunt è lacunis & sterquilinijs bibere. Nos probatos tantùm Autores, atque in primis Ciceronem amplectamur: hunc amemus, hunc ad verbum ediscamus, hunc nunquam de manibus deponamus: hic vnus est, qui nobis veram eloquentiam & Latini sermonis puritatem præstare possit. Sed vt magis vos etiam ad amandum Ciceronem concitem, ex decimo Institutionum Oratoriarum Quintiliani verba de Ciceronis Cap. 1. laudi-

laudibus recitabo: quanquam me non latet, vos & Ciceronem mirandum in modum amplecti, & Quintiliani præconium aliàs aut audiuisse, aut legisse: nihil tamen prohibet, iuxta prouerbium, Bis & ter, quod pulchrum est, recensere. Sic igitur ille: Nam mihi videtur M. Tullius, cùm se totum ad imitationem Graecorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, iucunditatem Isocratis. Nec verò, quod in quoq; optimum fuit, studio consecutus est tantùm: sed plurimas, vel potiùs omnes ex seipso virtutes extulit, immortalis ingenij beatissima vbertate. Non enim pluuias (vt ait Pindarus) aquas colligit, sed vno gurgite exundat: dono quodam Prouidentiæ genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Nam quis docere diligentiùs, mouere vehementiùs potest? cui tanta vnquam iucunditas affuit, vt ipsa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas, & cùm transuersum vi sua iudicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi? Iam in omnibus, quæ dicit, tanta autoritas inest, vt dissentire pudeat: nec aduocati studium, sed testis aut iudicis afferat fidem. Tum interim haec omnia, quæ vix singula quisquam intentissima cura assequi posset, fluunt illaborata: & illa, qua nihil auditu pulchrius est, oratio, præ se fert tamen facilitatem. Quare non immeritò ab hominibus ætatis suæ regnare in iudicijs dictus est: apud posteros verò id consecutus, vt Cicero iam non hominis, sed Eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum sit nobis exemplum. Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Hæc Quintilianus.

Cuius

Cuius testimonio quid grauius dici, aut fingi potest? Illa enim vera laus est, (vt censet Hector ille Neuianus) quæ procedit à laudato viro: Sed quis est, qui non diuinis ad cœlum laudibus Ciceronem efferat: præter eos, qui, tanquam scarabei, magis odore luti, quam vnguenti delectantur? Sicut enim amaracus, vnde gratissimus odor afflatur, suillo generi venenum est: ita mirificam illam Ciceronis dicendi venustatem iam in barbarissimis autoribus inueteratæ aures ferre nullo modo possunt: passimq; vociferantur: Imperitum esse Philosophiæ Ciceronem: cùm idem grauissimus autor Quintilianus plurimum etiam in Philosophia valuisse, & Platonis æmulum extitisse fateatur. Quod etiam ex his eius scriptis intelligi facilimè potest. Nam vt Libros Rhetoricos, & Orationes, & Epistolas prætermittam, in quibus omnibus maximam se Philosophiæ cognitionem habere declarat, cùm exornationis & eruditionis gratia philosophicas sententias vbique spargat: quis nescit, quot Opera Philosophica, quàm erudita, quàm varia, quàm polita, breui tempore composuerit, cùm vnius Cæsaris dominatu Romana Respubl. teneretur, neq; in Senatu amplius eloquentiæ locus esset? quæ partim iniuria temporũ interciderunt: partim etiam nostro tempore cum omnium doctorum admiratione leguntur. Nihil est igitur, q̃ in Cicerone desideretur: qui maximã etiam cũ eloquentia doctrinã ac eruditionem copulauit. In hoc autem Opere Topicorum, q̃ interpretaturi sumus, ostendit etiam se Iuris Ciuilis valde peritum fuisse. Nam cùm ad Trebatiũ Iurisconsultũ scriberet, voluit ex Iure Ciuili exempla sumere, quò

Cic. lib. 15. Epist. fa. 6.

Lib. 10. c. 1.

quò facilius ipsam artem Trebatius intelligeret: quæ res vobis etiam, qui Iurisprudentiam appetitis, erit vtilissima. Nos verò doctissimum virum, neque omnino barbarum, sed ingeniosum Boëthium præcipuè sequemur, qui Commentarios in hoc Opus edidit: non ita tamen, vt si visum fuerit, non ab eo liberè dissentiamus aliquando: non enim vbique mihi satisfacit. Quin etiam ex Aristotele, qui libros octo De Locis composuit, multa transferam in lectiones meas. Denique, quoniam multi sunt, & veteres, & recentiores, qui satis ingeniosè de hac Arte scripserunt: ex omnibus optima quæque seligam: & ita vobis exponam, vt apertissimè & facilimè declarari poterunt. Exempla verò ipsa sumam à Cicerone potissimùm, vt ipsum eloquentiæ Parentem discatis imitari: sed si qua etiam pulcherrima ex alijs Autorib. succurrerint, ea non aspernabor. Non enim vni Ciceroni, quamuis sit optimus, ita dedati esse debemus, vt alios omnes tot tantosque Autores negligamus: sed apes nobis imitandæ sunt, quæ suauissimum ac dulcissimum mellis saporem ex varijs floribus conficiunt. Voluendum est omne scriptorum genus: sed tamen optimis (vt ait Quintil.) immorandum. Quod ad legendi rationem attinet, magis ad vtilitatem vestrã, quàm ad ostentationem meam, studium applicare constitui. Satis enim magnam gloriam ex hoc loco mihi reportare visus fuero, si studijs vestris quàm plurimùm prodesse potuero. Itaque non tam copiam in dicendo, quàm facilitatem quæram. Vos pro vestra modestia, & incredibili humanitate patientiss. mas aures & attentissimas mihi præbebitis. Nam si attente audieritis,

sisæpius

si sæpiùs deinde his exercitationem adhibueritis, omnia cõsequimini, sine qua nulla est ars, quæ percipi possit: vt verissimum illud habeatur, quod Demosthenes solebat frequentissimis vsurpare sermonibus: Exercitationem omnia posse. Sed iam finis sit. Cras, Musis approbantibus, Topicorum lectionem auspicabimur.

IN M. TVLLII CICERONIS PARTITIONES Oratorias.

PRAEFATIO XIII.

PAruum quidem Ciceronis Opus de Partitionibus Oratoriis, & cum nullis ferè cæteris eiusdem Auctoris Operibus magnitudine comparandum, interpretandum hoc anno suscepimus: sed adeò præclarum, & pretiosum, vt nullũ sit hoc in genere, quod vlla ex parte cum eo conferri posse videatur: vt non tantùm aureolum, sed etiam gemmeum, & si quid gemmis pretiosius est, meritò possit appellari. Quicquid enim ad Artis Oratoriæ præcepta tradẽda pertinet, id miro quodam ordine breuiter, atque satis dilucidè complexus est in hoc vno libro Cicero. Quare nullum omnino neq; breuius opus, neq; iuuentuti vtilius inueniri posse existimo. Nam quæ fusiùs & enodatiùs alijs in libris tradita sunt, ea per capita quædam ita digeruntur hac in Ope-

re, vt nihil, quod ad rem propositam faciat, prætermittatur; & tamen diligenter omnia pertractentur. Itaque non modò in manibus habendum, & accuratissimè legendum est: sed etiam (si fieri potest) ad verbum ediscendum, & memoriæ mandandum. Neque verò quisquam Operis paruitatem aspernabitur, qui plurimas res inueniri cogitauerit; quæ quamuis minimo corpore sint, maximis tamen rebus anteponantur, & multò pretiosiores esse iudicentur. Quis enim nescit, smaragdos, adamantes, carbunculos, vniones, aterque huius generis, quamuis admodum parua sint, pretio tamen atq; æstimatione longè saxis ingentibus antecellere? Quis nescit, paruam auri massam magnis ferri molibus esse pretiosiorem? Quin potiùs ita natura comparatum esse videtur, vt pretiosissima quæq; paruo corpore contenta sint. Vt enim lapillos, gemmas, margaritas prætermittam, quæ quàm pusilla sint, omnes intelligunt; quid in humano corpore oculorum pupilla præstantius est? quæ (quod ait Plato) dux nobis ad Dei cognitionē, & ad maximas quasq; res esse solet: quòd autem in toto corpore membrum eadem magis exiguum? Quid, quòd Philosophi tradunt: Cor ipsum nostrum, in quo sensuum omnium origo est, & quod nobis viuendi facultatem præbet, quantò minus in homine fuerit, tantò maiores & animi, & corporis vires afferre. Certè re ipsa probatum, & exploratum est: Etiam homines, qui nimis magno corpora sunt, hebetiores & ignauiores existere solere. Tradit ille Poëtarum princeps Homerus, Tydeum, Diomedis patrem, paruo quidem corpore fuisse, sed præstanti animo, & maxi-

In Timæo.

Iliad. 5. ver. 805. Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας

maximo: quare factum est, vt elegantissimus Poêta noster dixerit: ἀλλὰ μαχητής.

Vtilior Tydeus, qui (si quid credis Homero)
Ingenio pugnax, corpore paruus erat.

Hinc etiam Papinius elegantèr & verè cecinit:

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Quod multò ingeniosiùs & politiùs ad apes Maro trã- Lib. 4.
stulit, de quibus in Georgicis ita canit:

Ingentes animos angusto in pectore versant.

Ac mihi quidem, res singulas diligentissimè considerãti, videntur omnia non tam magnitudine, quàm virtute esse ponderanda: vt non quærendum sit, quantum quidqúe sit, aut quàm magnum; sed quàm bonum, quam vtile, quàm præclarum. Quis enim vnquam Poêtam ideo laudauit, quòd multa carminum millia facilè conscriberet? Quis Oratorem ideo celebrandum existimauit, quòd maximam verborum multitudinem ex tempore profunderet? Quis librum ideo magnificiendum duxit, quòd magnus atq; amplus esset? Nemo hercle tam rerum ignarus est, qui non intelligat, doctissimorum hominum libellos magnis imperitorum voluminibus, in quibus nulla sit eruditio, nulla dicendi venustas, nullus verborum splendor, nulla grauitas, anteponendos esse. Quocirca meo quidem iudicio multò magis hæ Ciceronis Partitiones, si quis eas rectè perceperit, & memoriæ mandarit, ad dicendi rationem proderunt, (dicam audacter, quod sentio) quàm si quis totum Hermogenem, aut Quintilianum euoluerit. Neq; hoc ideo dico, quòd hi Scriptores arte ingenio, & eloquentia careant,

sed quod ad Ciceronem collati, vix quintæ classis esse videantur. Seruauit igitur hoc in Opere Ciceroid, quod eleganter in Arte Poëtica seruandum esse docet Horatius; cùm ita inquit:

Quicquid præcipies, esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.

Sed nos perspicuitatis gratia fusiorem, & enodatiorem interpretationem adhibere cogitamus. Nam hæc ipsa Ciceronis præcepta, nisi multis exemplis, similitudinibus, & auctoritatibus illùstrentur, paulò sunt obscuriora, & tanquam semina frustrà iactantur, nisi animi discentium, tanquam agri, benè culti & subacti fuerint, vt plurib. exemplis quasi pinguefacti, messem vberiorem proferant. Neq; tantùm ea dicendi præcepta cõplectar, quæ Rhetorum in libris tradita solent: sed nonnulla etiam, quæ ad disputandi rationem, & Dialecticam spectant, sine quibus non satis commodè hoc Opus intelligi potest, & vera non potest eloquentia cõstare. Nam cùm omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, auctore Cicerone, quoddam habeant cõmune vinculum, & quasi cognatione quadam inter se cõtineantur: tum illæ præcipuè duæ, quæ probabilem & politam orationem efficere docent, non tantùm cognatæ, atq; adeò sorores videntur esse: verùm ita connunctæ sunt, & connexæ inter se, vt vix alteram queas ab altera discernere. Qua de causa factum est, vt grauissimi Auctores formatantùm, atq; (vt ita dicam) habitu differre à Dialectica Rhetoricã existimarint. Nam Zeno ille, qui auctor & princeps Stoicorum fuit, quem-

Cicero pro Archia in princip.

quemadmodum apud Ciceronem & in Oratore, & in secundo de Finibus legimus, manu demonstrare solebat, quid inter has artes interesset. Nam cùm compressérat digitos, pugnumq; fecerat, Dialecticam dicebat eiusmodi esse: cùm autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque etiam ante hunc Aristoteles principio Artis Rhetoricæ dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere Dialecticæ: vt hoc videlicet differant inter se quòd hæc ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior. Itaque Cicero etiam ipse Dialecticam contractam quandam eloquentiam appellat: vt Alexander Aphrodiseus eo Dialecticam à Rhetorica differre tradit, quòd Dialectica non vtatur oratione copiosa, lateque diffusa, quemadmodum Rhetorica solet. Cùm igitur in eadem materia versetur Dialecticus & Orator; neque subiectis rebus, sed ratione differant; priusq; in oratione quæratur probabilitas, quàm ornatus: sequitur, vt Artem Oratoriam consequi nemo possit, nisi qui Dialecticas etiam rationes perceperit. Addit enim Oratoria Facultas Dialecticis inuentionibus verborum splendorem & ornamenta: quo fit, vt Rhetoricæ quasi fundamentum quoddam Dialectica substernatur. Quin Aristoteles primo Rhetoricorum ex Dialectica & Ciuili scientia, quam Politicam vocat, Rhetoricam vult esse compositam. Nam cùm (vt Cicero scribit) omnis ratio differendi duas habeat partes, vnam inueniendi, alteram iudicandi: prior illa pars, quæ ad inueniendum pertinet, tota Dialectico & Oratori communis est: ideo Cicero locos ac sedes argumen-

In Orat. pag. 207. a.
De Clar. Orat. pag. 194. a.
Cap. 1. Ci. ad Bru. p. 207. a
Acad. Qu. li. 1. pag. 45. a.
Cap. 2. & 1. Ethic. 2.
Cic. 1. de Inuent. pag. 43. a.

mentorum, quæ traduntur in Topicis, ab Oratore bene percipi censet oportere, & eos locos tum in hoc Operè tangit, tum in secundo de Oratore exemplis illustrat, tum in Topicis copiosè persequitur. Alteram verò Dialecticæ partem, quæ iudicandi viam aperit, maiori ex parte sumit Orator. Cùm enim eius tria sint officia, Diuidere, Definire, Argumentari: quis primò non intelligit, diuidendi rationem esse Oratori necessariam? Neque enim aliter, quid sibi cum aduersario conueniat, quid in controuersia sit, quid priùs, quid posteriùs dicere oporteat, qua ratione: quóue ordine disponenda sint argumenta, quomodo causarum genera constitutionesque inter se differant, intelligere poterit. Cùm autem, Aristotele teste, prima virtus orationis sit Splendor & Perspicuitas, nullo modo fieri potest, vt Orator perspicuè dicat, nisi diuidendi, partiendique rationem bene intellexerit: & quodam ordine res singulas ita distribuat, vt nihil confusè, nihil perturbatè dicat. Nam (vt primo de Inuentione docet Cicero) rectè habita in causa Partitio illustrem, & perspicuam totam efficit orationem. Et Hermogenes initio libri Diuisionem non paruam esse Rhetoricæ partem, vel potiùs maximam esse dicit. Quare præclarum hoc, atque aureum Ciceronis Opusculum, quod interpretaturi sumus, ab hoc primo Dialecticæ officio suam habet inscriptionem: vt ideo Partitiones dictæ videri possint, quod partiendi, atque diuidendi rationem Orator scire debeat. Quid de ratione Definiendi commemorem? Nam licet Orator non ita curiosè persequatur, vt Dialecticus: eatamen

3. Rhet. 2.

men solet vti frequentissimè, quotiescunque rei alicuius vim atque naturam explicare contendit: quin totas aliquando causas in definiendo consumit: vnde etiam controuersiæ quoddam genus in definiendi ratione, Definitiuum appellatur. Neque sanè rem vllam aptè describere potest Orator, (quod illi frequentissimè faciendum est) nisi definiendi scientiam habeat. Iam verò tota argumentandi ratio nisi Oratori notissima fuerit, quid est, in quo magnus esse possit? Aut quàm vim habere potest oratio sine argumentis? Fieri quidem potest, vt aliquis naturæ ipsius instinctu probabilem aliquam, etiam sine Dialecticæ cognitione, orationem habeat: quoniam hæ nobis duæ scientiæ (sicuti docet Aristoteles) sunt quodammodo naturales. Sed tamen quoniam (vt ait Cicero) Certior dux est ars, quàm natura: notam illi Dialecticam esse oportet, quicunque certa ratione probabiliter aliquid dicere concupiscit: cùm præsertim tota spes vincendi, ratioque persuadendi posita sit in confirmatione, & confutatione: quæ certè sine argumentatione constare nullo modo possunt. Atque, vt totam hanc quæstionem absoluam, tria sunt, quæ maximè laudabilem orationem efficiant: quorum si vnum desit, reliqua gratiam omnem atque venustatem amittant, necesse est. Debet enim oratio esse emendata, probabilis, & polita. Quorum primum sola Grammatica præstare potest: alterum Dialectica: tertium Rhetorica. Grammaticorum enim officium est, ea tradere præcepta, quæ ad purè & emendatè loquendum pertinent: Dialecticorum verò est, eareperire,

De Finib. 4 pag. 108. b.

quæ audientium approbationem moueant: & quid verum, quid falsum sit, & quid consequens, quid repugnans in oratione, doceant. Rhetorum deniq; nullum aliud officium est proprium, ac separatum: nisi, quæ quodammodo rudia sunt & inculta, vestire atq; exornare dicendo. Quare tres has Artes bene percipiat oportet, quicunque laudabiliter aliquid dicere, vel scribere desiderat.

De Inscriptione Operis.

AC mihi quidem primò quærendũ videtur, quid Partitio sit, & cur hæ Partitiones Oratoriæ sint appellatæ, Neq; enim aliter Auctoris scopus, & propositum intelligi potest; nisi prius, quæ vis tituli sit & inscriptionis, intelligatur. Tradunt Dialectici tria præcipuè Diuidendi genera: quorum vnum est: Cùm genus vniuersum in species, ac formas suas deducitur: vt, cùm dicimus: Animalium alia esse terrestria, alia volatilia, alia aquatilia: vel cùm Virtutem diuidimus in Prudentiam, Iusticiam, Fortitudinem, & Temperãtiam. Quo in genere semper species seu forma, generi subiecta, nomẽ ipsius generis tenet: vt si dicamus: Elementũ in quatuor species diuidi, Terrã, Aquã, Aêrem, Ignẽ: certè quælibet species dicetur Elemẽtum, vt Terra est Elementũ, Aqua est Elementũ, & ita in reliquis: & q. Prudẽtia species est Virtutis, certè Prudẽtia virtus esse dicetur. Atq; hoc primum & præcipuũ Diuisionis genus est. Alterum genus est Diuisionis, quando aliqua dictio plures habet significationes, quas omnes notas facere volu-

volumus: vt cùm dicimus, Canem tria significare, primò terrestre animal, quod latrat: deinde piscem marinum: tum cœleste sydus: & Taurum primò bouem significare, deinde sydus, tum montem, deniq; viri etiam proprium esse nomen. Ad hoc genus etiam ea reducuntur, quæ variis modis dicuntur: vt Sanum tribus dicitur modis: primo, quod in se morbi nihil habet, vt animal sanum: secundo, quod consiciens est sanitatis, vt cibum sanum esse dicimus, & exercitationem sanam: tertio, quod sanitatis signum est, vt vrinam dicimus esse sanam. Tertium Diuisionis genus est, cùm res aliqua tota in suas partes, quasi in membra quædam, diuiditur: vt si quis totum corpus diuidat in caput, humeros, brachia, thoracẽ, crura, pedes: aut si quis rem aliquam multis distribuat: vt apud Virgilium:

Æneas socios partitur in omnes, Aen. 1.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

Atque hæc Partitio propriè nuncupatur, cùm totum in partes distribuitur: in qua sæpenumero accidit, vt partes totius nomen retinere non possint: neq; enim rectè quis dixerit, caput aut humeros esse hominis corpus: sicuti neq; trabem aut parietem ædificium esse, licet sint ædificij partes. Atq; his quidem tribus Diuisionis generibus frequenter vtitur Cicero. Sed nos singulis cuiusq; generis exemplis contenti erimus. Ergo primo de Officijs Honestum, quod genus est, in suas species ita diuidit: Sed omne, quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, solertiaq; versatur: aut in hominum societate tuenda, tribuendoq; suum cuiq;, & rerum contractarum fide: aut

in animi excelsi atq; inuicti magnitudine, ac robore, aut in omnium, quæ sunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo est modestia & temperantia. Pro A Cecinna docet, quot modis hoc Aduerbium, Vnde, dicatur. Sic enim ait: Hoc verbum Vnde vtrung; declarat: & ex quo loco, & à quo loco. Vnde deiectus est Cecinna? Ex vrbe. Vnde deiecisti? Ab vrbe. Vnde deiecti Galli? A Capitolio. Vnde, qui cum Graccho fuerunt? Ex Capitolio. Videtis igitur, hoc vno verbo significari res duas: & ex quo loco, & à quo loco. In Orationibus verò plerung; totas causas in partes quasdam diuidit, vt eas deinde sigillatim tractet. Vt pro lege Manilia: Primùm mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo esse dicendum. Ex his igitur tribus Diuisionis generibus, vltimum solum Partitio dicitur, quando scilicet totum aliquod in suas partes distribuitur: quo fit, vt Diuisio sit tanquam genus: Partitio verò tanquam species. Nam omnis Partitio potest etiam Diuisio dici, sed non contrà: neq; enim omnis diuisio est partitio. Quemadmodum omnis homo dicitur animal: non autem contrà, omne animal homo est. Cicero in Topicis ita Partitionem à Diuisione secernit: In Partitione (inquit) quasi membra sunt, vt caput, humeri, manus, latera, crura, pedes: in Diuisione, forma, quas Graci εἴδη vocant: nostri, si qui fortè hæc tractant, species appellant. Quintilianus libro septimo sic acutè distinguit: Diuisio est plurium rerum in singulas: Partitio, singularum in partes discretus ordo. Graci etiam hæc habent distincta nomina. Nã quæ Diuisio est generis in species, Διαίρεσις dici-

dicitur: quæ verò totius in partes, Μερισμὸς appellatur. Hanc igitur cùm præclarè distinctionem intelligeret Cicero, voluit hoc Opus Diuisiones, seu Partitiones Oratorias appellare. Non enim hic aliquod genus, quod plures formas specie distinctas complectatur, sibi diuidendum proponit: sed totam dicendi rationem sic amplectitur, vt eam sigillatim in partes suas distribuat, & in singulis præcepta tradat: quæ via ratioq; docendarum artium pulcherrima est, & Græco nomine Methodus appellatur. Potest etiam quædam altior esse causa, cur has Cicero Partitiones vocarit: quoniam ab Academicis, quos vbiq; ferè sequitur Cicero, sic Oratoriæ Scholæ solerent appellari: cùm præsertim in extrema huius Operis parte sic ipse scribat: Expositæ sunt omnes tibi Oratoriæ Partitiones, quæ quidè è media illa nostra Academia floruerunt: neq; sine ea aut inueniri, aut intelligi, aut tractari possunt. Nam Plato (quod satis constat) rerum omnium vim atq; naturam diuidendo, & partiendo potissimum inuestigandam esse censebat. Vnde primo de Anima quærit Aristoteles: Quænam ratio Definitionis sit: vtrum ea, quæ per diuisionem fit, an ea, quæ per compositionem. Singularum enim partium cognitio, totius etiam cognitionem afferre solet. Omnem igitur dicendi doctrinam in hoc Opere primò tres in partes Cicero distribuit: in vim Oratoris, in Orationem, in Quæstionem: deinde iterum vnamquamque partem in alias partes diducit. Quibus expositis ac declaratis, Operi finem imponit.

DE

De Dialogo.

QVoniam hoc Partitionum Opus Dialogo conscriptum est, primùm mihi quærẽdum esse videtur, Quid sit Dialogus, & vnde originem traxerit. Fuerũt enim quidam imperitissimi homines, qui nominis etymologiam secuti, Dialogum esse duorum sermonem definiuerunt. Quorum ignorantiam res ipsa coarguit: quoniam in plerisq; Dialogis non duo tantùm, sed plures sæpenumero inter se colloquẽtes inducuntur: quod in Platonis Dialogis, pluribus in locis videre licet. Melius igitur ij sensisse videri possunt, qui Dialogum à verbo Græco διαλέγομαι, quod est, disserere, seu disputare dictum velint: quoniam in eo semper de aliqua re inter plures disseritur. Quare Diogenes Laértius in Platonis vita Dialogum ita definit, vt dicat esse Sermonem ex interrogatione & responsione compositum, de ijs rebus, quæ vel Philosophiam, vel Reipublicæ partes attingant, cum decora, congruentiq; personarum, quæ inducuntur, expressione, accurataq; verborum compositione. Cicero videtur Dialogum interpretari disputationem. Sic enim ait, ad Lentulum scribens: Scripsi igitur Aristotelico more (quemadmodum quidem volui) tres libros in Disputatione, ac Dialogo de Oratore. Et in Bruto: Disputatioq; esset inter eos, vt est consuetudo Dialogorum. Et ad Atticum libro quinto: Nos Tarenti, quos cum Pompeio dialogos de Rep. habuerimus, ad te perscribemus. Tradit autem Diogenes Laértius libro tertio, Zenonem Eleatem primum fuisse, qui Dialogos conscripserit. Aristoteles in primo de

Lib. 1. fam. epist. 9. pag. 184.

Epist. 5.

de Poëtis Alexamenum Styreum siue Teium, Dialogorum auctorem facit: sicut etiam Phauorinus in Commentarijs. Cæterùm Plato rude adhuc & impolitum, tantumq; inchoatum Dialogorum genus expoliuit, illustrauit, atq; perfecit: tantumq; huic generi scribendi adiumenti attulit, vt non solùm exornationem, atque expolitionem, sed etiam maiorem inuentionis partem meritò sibi vendicare possit. Apud Latinos inuenio genus hoc scribendi etiam ante Ciceronis tempora fuisse in consuetudine. Nam M. Brutus Iurisconsultus, qui ante L. Crassum Oratorem fuit, tres libros de Iure Ciuili in Dialogo scripsit: quemadmodum apud Ciceronem secundo de Oratore Cæsar ostendit. Quin etiã Curio pater, vt in Bruto legimus, Dialogos scriptitauit. Verùm vt in alijs scribendi generibus, maiores suos omnes Cicero superauit: ita etiam in Dialogis, quos multos accuratissimè conscripsit. Cùm enim duo sint Dialogorum genera à Platonicis vsurpata, quorum alterum ὑφηγητικὸν appellant, alterum ζητητικὸν, vtrumq; genus ita Cicero amplexus est, vt nihil ad eorũ perfectionẽ posteris reliquerit. Dicitur autẽ Dialogos ὑφηγητικὸς is, in quo præcepta quædã, vel ad mores, vel ad doctrinã spectantia, traduntur. Qualis est hic Partitionũ liber, & Lælius siue de Amicitia, & Cato maior de Senectute, & Secundus ac Tertius liber de Oratore. Quod quidem Dialogorum genus Latinè (si libet) Disputatio disciplinabilis dici potest. Ζητητικὸς verò dicitur is Dialogus, in quo disputatur in vtramq; partem, & opiniones variæ traduntur: quemadmodum in primo de Oratore, in libris de Finibus, in Lucullo,

cullo, in Diuinatione. Atq; hoc genus Latinè Disputatio controuersa potest appellari. Est igitur hoc in Opere disputatio disciplinabilis: quoniam interrogatus à filio pater, docet eum, quæcunq; ad Oratoriam facultatem pertinent.

M.T. Ciceronis de Partitione Oratoria Dialogus.

HAnc Inscriptionem iam declarasse videri possumus, cùm quid Partitio sit, & quid Dialogus, ostenderimus. Sed tamen adhuc quæri potest, cùm hoc in Opere permultæ partitiones sint, cur Cicero non in multitudinis numero de Partitionibus Oratoris, sed in singulari de Partitione Oratoria Librum inscripserit: cùm præsertim in suis inscriptionibus Cicero multitudinis numero delectari videatur: vt de Officijs, de Finibus bonorum & malorum, de Legibus, Academicarum quæstionum, Tusculanarum quæstionum. Sed scriendum est, id esse verum, quod nos olim in Decisionibus contra Calcagninum diximus, qui Ciceronem reprehenderat, quòd non potiùs de Officio, quàm de Officijs titulum apposuisset. Quoties (inquam) de arte aliqua speciatim tractandum est, aut de aliquo ordine siue magistratu, metu, melius in singulari numero titulus & inscriptio ponitur: vt de Inuentione, de Oratore, de Amicitia, de Senectute, de Natura Deorum, de Vniuersitate, de Diuinatione, de Consilijs Officio, de Praetoris officio: atq; ita de reliquis. Quoties autem aduarias artes, ætates, ordines, res, aliqua tractatio pertinet,

net, tunc in numero multitudinis inscriptio solet adhiberi: vt de Officijs, de Finibus, de Legibus, de Claris Oratoribus, de Rebus domesticis, de Rebus publicis, de Moribus, de Magistratibus. Rectè igitur Cicero, cùm Partitionem generale vocabulum esse intelligeret, & ad alias etiam artes, quàm Oratoriam pertinere sciret: neq; de omnium Artium Partitionibus hoc in Opere tractaturus esset, sed de Oratoria facultate tantùm: non de Partitionibus absolutè, sed de Partitione Oratoria Titulũ apposuit. Quamuis (vt verum fatear) si quis ad varias Artis Oratoriæ partes respiciat, rectè etiam Partitiones Oratoriæ dici possint. Quatenus igitur hæc pertractatio distinguitur à reliquis Artibus, Partitio Oratoria dicitur: quatenus autem dicendi Facultas in varias partes distribuitur, etiam Partitiones Oratoriæ dicuntur. Quare per vtrunq; numerum hæc Inscriptio rectè proferri potest, vt vel De Partitione Oratoria dicatur: vel Partitiones Oratoriæ.

IN

IN DECISIONES XXV. quibus M. Tullium Ciceronem ab omnibus Cælij Calcagnini criminationibus liberat.

PRAEFATIO XIV.

ETsi mihi non dubium est, quin ijs omnibus, qui Cicerone duce sperant aliquando summum eloquentiæ fastigium attingere, iampridem sit ita persuasum: M. Tullium Ciceronem in omni doctrinæ genere tantùm excelluisse, vt post homines natos nullus vnquam fuerit apud Latinos, qui, non dicam cum eo certare, sed ne quidem eius vestigia longo interuallo premere potuisse videatur: tamen cùm videam, hoc tempore, quo liberalissimarum Artium studia maximè vigent, nonnullorum hominum ineptissimorum tantam esse audaciã, vt procaci lingua sua diuini Oratoris manes vexare, & insectari non dubitent: facere non potui, quin hanc causam tam grauem, tam illustrem, tam honestam susciperem: vt à maledicis conuiciatoribus Ciceronis auctoritatem defenderem. Nihil enim video, in quo possim ego aut vtilius in hac ætate mea iuuenili stylum exercere, aut bonarum literarum amatoribus magis

magis gratificari, aut denique facilius laudem aliquam & gloriam, quam optimus quisque expetit, mihi parare, quam si refellendis maledicorum criminationibus, omnis eloquentiæ parentem Ciceronem iniquissimè doceam accusari. Etenim si Cælius Calcagninus, vir alicuius in literis nominis, qui cum mihi primò congredi certum est, & alij nonnulli magnæ sibi laudi futurum & gloriæ sperarunt, si contra Ciceronem aliquid verisimile possent excogitare: quantò mihi gloriosius, ac laudabilius erit, si rectè patrocinatus ei fuero, quem omnes, dum viueret, sibi patronum adesse cupiebant. At dicet fortasse quispiam! Quis tu es? aut vnde tibi tantum virium, vt hoc oneris aut facilè subire solus, aut commodè sustinere possis? Ego verò si eius Auctoris, quem defendo, dignitas atque amplitudo spectetur, fateor, huic caussæ me non idoneum patronum existere. Quis enim rectè possit Ciceronis excellentiam ac laudes enarrare, nisi si iterum ipse reuiuiscat Cicero? Sed si quis causæ facilitatem spectare voluerit, intelliget profectò, non modò me, qui iam longo studio ac labore nonnullos in disciplinis progressus feci: sed quemlibet penè dicam imperitum hominem, qui primoribus (vt aiunt) labris literas degustarit, hanc caussam defendere, ac tueri posse: cùm præsertim innumerabiles penè aduocatos, qui Ciceroni faueant, atq; infinitos sententiæ meæ subscriptores sine dubio sim habiturus. Nam quis hoc tempore Ciceronem non diligit? quis non admiratur? quis non omni ratione defendendum putat? Huc accedit id, quod maximum est, & in omni caussa semper plurimùm valuit: Nam

ea, quæ Ciceroni obijciuntur, tametsi argui suspiciosè possint; tamen omnino falsa sunt omnia: vt non verear, quin facilè, submotis falsitatis tenebris, ipsa per se veritas eluceſcat. Illud præterea mihi non mediocre calcar addidit ad hanc prouinciam suscipiẽdam, quòd animaduerti paucos admodum aduersarios esse, eosq; leues ac fugaces; vt non hostes legitimi, sed sicarij potiùs, ac prædones esse videantur: qui non cominus certare audeant, sed ex insidijs aggredi, & vibrato iaculo, Parthorum more, fugere soleant. Verùm hoc tempore certum est, eos prætermittere, qui non tam audaces ac temerarij fuerunt, timideq; ac paucis Ciceronem accusarunt. Vnus mihi omnium audacissimus Cælius Calcagninus arripiendus est, cuius maledictis respondeam, quem insectet, cuius imperitiam notam omnibus efficiam, quem eruditis viris deridendum propinem. Hic enim in vno de Officijs Opere quinque & viginti locis Ciceronem annotauit: sed ita, (vt paulò pòst apertè declarabo) vt pleraque eorum, quæ tanquam errata reprehendit, ipse non intelligat. Huius igitur hominis loquacitatem, honestis ac veris rationibus reprimendam esse censui: ne fortè cæteri eiusdem generis literatores, audaciores ad detrahendum bonis Auctoribus fierent, si tantam hic impunè petulantiam tulisset. Quam quidem meam operam ac laborem, spero bonis omnibus gratissimam ac iucundissimam futuram: vobisq; in primis, qui tantùm iam profecistis in literis, vt admirabilem ac diuinam Ciceronis intelligẽtiam & doctrinam agnoscatis. Illud enim mihi persuasum est, Non posse Ciceronem

nem ab eis non vehementer amari, qui singulares eius virtutes intelligunt. Vos igitur omnes Ciceroniani nominis amatores, mihi patronos ac defensores paro. Vos, exploratum habeo, nullo vnquam tempore defuturos mihi: vestra fide sapientiaquúe fretus, hoc onus sustuli: quod si vos aliqua ex parte alleuabitis, erit omnino mihi leue & glorioſum. Neque dubito, quin vnusquisque vestrum libentissimè causſæ meæ patrocinaturus sit. Ergo quicunque estis vbique, quibus valde placet Cicero, Decisiones has meas vobis approbandas ac defendendas existimate. Ex hoc fore hunc numero, quem ego mortalium omnium plurimi facio, diuinum hominem Sfondratum certò scio. Qui cùm rerum præclarissimè gestarum gloria tantùm excellat, vt Carolo Quinto, Imperatori semper Augusto, & vtilissimus & gratissimus sit: tamen bonis literis adeò mirificè delectatur, vt nemo propiùs ad venerandam illam M. Tullij maiestatem, vel dicendo, vel scribendo videatur accedere. Ex hoc numero modestissimus & clarissimus vir Franciscus Crassus, Senator: cuius ab ore melle dulciorem fluere sonum his auribus audiui, quo tempore in Fano religiosissimo Mediolani summa cum audientium omnium admiratione, coram Cæsare grauissimam illam & splendidissimam orationem habuit. Ex hoc Alciatus noster, totius Orbis decus, qui cùm Iurisprudentia cæteris omnibus antecellat, tum verò Eloquentia tanta est, vt ad eum audiendum vndique populi cõfluant, ac nationes. Multi præterea ex agro nostro Mediolanensi, quos hoc tempore (ne nimis longa sumatur oratio) prætermittam. Quot

deinde in cæteris Italiæ partibus? quot in Gallia? quot in Germania? quot in Hispania reperiuntur, qui Ciceronis amantissimi sunt, ac studiosissimi? His igitur omnibus non solùm gratam & iucundam, sed etiam patrocinio suo dignam visum iri diligentiam meam certum habeo. Quare agè, tanto vallati præsidio, iam tandem firmo & constanti animo Calcagninum istum aggrediamur.

M. AN.

M. ANTONII MAIORAGII DE ELOQVENTIA DIALOGVS.

NATVRÆ varietas, quam in rebus plurimis contemplari licet, vt in cœlesti globo, stellis longè diuersis velut emblematis vermiculato, in toto terrarum orbe, varijs animalium, ac plantarum generibus refertißimo, in virentium pratorum amœnitate, in variegatis florum coloribus, in magna prædiorum vbertate, sæpenumero torpescentem animum solet excitare. Cùm enim homines, qui non omnino fuerint illiberaliter educati, rerum viciſſitudines, ac temporum mutationes, aßidua mentis agitatione considerant: in admirationem maximam facilè perducuntur. Atque ideo fit, vt rerum causas eis in mentem plerunque veniat inuestigare: aut saltem ex his rebus, quæ ante oculos positæ sunt, de cœlestibus, & quæ nullo modo, dum vitam agimus, videri possunt, disputare. Conceſſeramus in Ambrosianum viridarium, in quo ferunt olim Afrum illum Augustinum, Christianæ Reip. lumen ac ornamentū, ad Christi persuasionem animum inclinasse: ac ibidem lauacro consperſum sanctißimo,

ctiſsimo, priſtinas vitiorum & prauamentis ſordes abluiſſe. Ibi tum vnà mecum eius Cœnobij Præſes, Angelus Appianus, ſuauiſsimo vir ingenio (cui propter egregiam morum integritatem, vitæ ſanctimoniam, & ſummam omnium liberalium artium eruditionem, non facilè parem inuenias) aderat; & doctiſsimus Præceptor meus Primus Comes, cuius viri laudes non hic eſt animus explicare: dabitur aliàs (vt ſpero) locus, eas opportuniùs memorandi. Etenim quis breui poſſet oratione comprehendere? cùm in trium Linguarum claſsicis Authoribus nihil ferè poſsit inueniri, quod ille non diligenter excuſſerit; nihil in liberalibus diſciplinis, quod non optimè perceperit; nihil memoria dignum, quod perfectè non edidiſcerit. Taceo de ſanctiſsimis eius moribus, de vitæ ſeueritate, de continua rerum diuinarum cogitatione ac locutione. Cùm igitur ſub frondoſa quadam arbore conſediſſemus, & de communibus ſtudijs aliquid dicere meditaremur; antequam quiſquam inciperet: ecce Primi frater Antonius Comes, iuuenis literarum omnium ſtudioſiſsimus, & omnis politioris literaturæ peritiſsimus, mihi plùs quàm Pyladea neceſsitudine coniunctus: quippe qui ſtudiorum ſimilitudine detinemur, & ab ineunte ætate ferè ſemper vnà viximus, ſub eodem Præceptore Primo meruimus: quòd ſi nos eadem vno partu mater edidiſſet, non maiori poſſemus eſſe benevolentia copulati. Hunc cùm vidiſſem, mirandum in modum ſum exhilaratus. Nam diebus viginti fermè non videram, qui mihi totidem annis longiores fuſſe viſi fuerant. Opportunè, inquam, aduenisti frater:

(nam alio nomine nunquam illum appellare soleo.) Hoc erat illud, quòd, ignota mihi causa, lætabatur animus meus: præsagiebat enim te venturum. Quam (inquit ille) mihi venisse iucundum est, post quam hic simul eos reperi, quos omnium plurimi facio, ac maximè diligo. Seruet vos omnes pariter Christus Optimus Maximus. Tunc Angelus, vt est semper alacri vultu, ac fronte modestissima: Teipsum (inquit) optabamus: Agè, nobiscum assides: vt aliquid ex studijs tuis nobis impertias. Quid (inquit Antonius) vobis impertiam, qui tantum iam labore & industria effecistis, vt in doctrinis omnes, quos hactenus mihi videre contigit, equis (vt aiunt) albis longè præcedatis? Me potius à vobis aliquid æquum est, tanquam à perpetuis fontibus haurire. Vt enim arbores istæ, quas in hoc paradiso tam pulchrè comatas, ac quasi ridentes aspicimus, primò quidem flores emittunt, posteà verò fructus, qui paulatim matureſcant, nihil tamen horum per se solæ faciunt, sed ab omnium genitrice Terra succum accipiunt, ac vigorem procreandi: sic ego nunc in studijs quasi floreſcere mihi videor: ex quibus aliquando confido futurum, vt fructus aliquid percipiam. Sed interim vestro, qui doctrina præcellitis, mihi opus est auxilio: quod nisi fieret, tanquam terræ succo non adiuta planta, nihil (vt video) possem in literis proficere. Tum Angelus iocabundus: nouerat enim iuuenis industriam, & ardentissimum literarum studium: An (inquit) sicut implumis auicula, nidulo nondum euolare didicisti? aut adhuc in natatione tibi cortice opus est? Atqui ego

te Delium illum iam superasse natatorem existimabam, & aliorum iam posse fieri moderatorem. Non iniuria, (inquam ego) Angele, istam de Antonio opinionem concepisti. Nam sæpenumero mecum non mediocriter admirari soleo profectum eius in omni doctrinæ genere. Nihil est enim, quod ingenij acumine non penetret, studiorum assiduitate non vincat, memoriæ tenacitate non comprehendat: quare si quid coram vobis recusat dicere, non illius inscitiæ, sed incredibili modestiæ potiùs, qua maximè præditus est, asscribendum esse arbitror. Hic subridens Antonius, ac in me reiectis oculis; Tu quidem (inquit) pro tua singulari, & iampridem mihi perspecta beneuolentia, de me semper magnificentissimè loqueris: verùm ipse cognosco, quàm sint exiguæ vires ingenij mei. Sed postquàm mecum, tanquam ex syngrapha, pergitis agere, & contendere, vt aliquid proferam: mihi autem, quod dicam in præsentia, vestra dignum expectatione, venire in mentem penitus nihil potest: fratrem meum Primum, qui & potest facere, & faciet libentissimè (nisi mea me fallit opinio) precabor, vt me leuet hoc onere, & hanc dicendi prouinciam suscipiat. Quod obsecro, mi frater, ac idem Præceptor honorande, nerecuses. Tum Primus cogitabundus spectare cœpit ordine positas vites, quæ tum primùm odore fragantissimo redolentes, efflorescebant, in quincunces speciosissimos redactas arbores, quæ diuersa quidem poma, & ea nobilissima, sed tamen adhuc acerba sustinebant: quàm plurimis ac versicoloribus varie-

gatum

gatum floribus solum: senticeta purpureis ac candidissimis rosis optimè circumquaque redolentia. Nos taciti cum expectatione mediantem intuebamur. Tùm ille sic locutus est: Equidem, Antoni frater iucundissime, si quid esset inter nos de pietatis studijs disputandum, dicerem aliquid libentissimè: cùm præsertim locus hic amœnissimus, & hæc omnia tam bene vernantia, cœlestis illius, à Christo promissæ regionis, memoriam nobis sufficere videantur. Videte, quàm rideant omnia! quid hoc spectaculo speciosius? quid aptius ad æternæ vitæ meditationem. Nam sic, opinor, omni tempore, sed longè præstantioribus virere floribus campos Elysios: non eos, quos Asphodelo consitos, apud inferos beatorum sedes esse, Poëtæ fabulati sunt: sed ad quos nos, qui Christum sequimur, quotidie laborantes, speramus aliquando peruenire. Itaque nobis in hac vita Deus quasi specimen quoddam dedit olim futuræ beatitudinis. Videtis, quàm bene oleant hi caduci flores: quales fore censetis eos, qui nunquam poterunt emarcescere? Quid? an non harum tam suauis odor vitium, nostrum ob oculos Principem Christum videtur obijcere, qui Se vitem, (vt est in Sacris Literis) legatos autem suos palmites appellauit? Nam vt palmes, si viti semper adhæreat, dulcissimos potest racemos producere: sin autem casu defractus fuerit, arescit ilico, & ad combustionem tantùm vtilis est: sic homo, donec per res bene gestas capiti Christo coniunctus fuerit, vitam in melius quotidie transigere potest, donec tandem, vnà cum eo, immortali felicitate perfruatur. Quòd si

fortè per flagitia Christum reliquerit, breui tempore præda fit iniquissimo Dæmoni. Iam verò nonne arbores istæ, quæ magna fructuum sarcina sunt inclinatæ, nostri nos officij videntur admonere? quæ primò flores emittentes, deinde fructus acerbos, quales nunc pendere videtis, sic paulatim auxiliante solo nutriunt, vt tandem ad maturitatem perducantur: ita nos eo tempore flores emittimus, cùm bonam animo concipimus voluntatem: fructus autem, cùm, quæ nobis à Deo commissa sunt, ea bene gerimus. Hi fructus tunc matureſcere dicuntur, cùm tales fiunt actiones nostræ, vt per eas Christi beneficio vitam mereamur immortalem. Quare, si vobis ita videtur, vtar oratione, qua sæpe soleo: vosqúe (me appellabat & Antonium) ad studium summæ virtutis adhortabor: nisi fortè quid aliud Angelo videatur. Mihi verò (inquit Angelus) nihil posset accidere iucundius. Nam quamuis Sacras quotidie Literas euoluamus, & Diuorum exempla ac monumenta nos satis possint ad virtutem extimulare: tamen viua voce nihil efficacius inueniri potest, præsertim cùm ab optimo viro proferatur. Atqui ego non te, (inquit Primus) qui nos in hac facultate longè lateque præcedis: verùm hos adolescentes, qui nunc in ætatis feruore constituti sunt, ad virtutem exhortari statutum habeo. Tu (si libet) eorum, quæ dicentur, iudex assideto. Hic cùm silentio maximo nos ad audiendum ostendissemus esse præparatos, hoc modo Primus exorsus est. Equidem cogitanti mihi de communibus mortalium studijs, sæpenumero venit in mentem

mentem non mediocriter admirari, atq; etiam indignari, tantum esse hominum insaniam ac vecordiam, vt, cùm æternam consequi gloriam ac beatudinem quàm minimo labore possint, per inertiam ac libidinem turpissimis in rebus malint tempus, hoc est, rem multò pretiosissimam, frustrà conterere. Cùm enim Mens illa sempiterna, ac perfecta sapientia, quem nos Deum appellamus, qui cœlestia maximè procurat, deinde in terris homines, & quæ ad hominum vtilitatem pertinent: omni mortalium generi ab ipsis statim incunabulis igniculos quosdam addiderit, virtutis ac beatitudinis acquirendæ: quàm plurimi, varijs animi perturbationibus ac morbis impediti ac distracti, quod à natura iusti & æqui desiderium habent, id penitus obruunt, & à cæca ac temeraria animi dominatrice Cupiditate præpti, reginam omnium bonorum Rationem conculcare non erubescunt! Neque enim quisquam vitijs inquinatus, naturam, aut fatum, aut sydera (quod nonnulli faciunt) meritò potest incusare: quæ, vt hunc ad vitia propensiorem, quàm illum, proferant; cogere tamen possunt omnino neminem. Verùm vt virtutum aut vitiorum viam complectatur, hoc in cuiusque situm est potestate. Nō enim meritò vel punirentur improbi, vel iusti præmia mererentur, si vel illi male, vel hi bene facere necessariò cogerentur. Sed tamen (vt diximus) omnibus adipiscendæ virtutis, ac fugiendæ vitiositatis desiderium, à teneris, vt aiunt, vnguiculis statim innascitur. Quis enim omnium inueniri potest tam angusti animi, tamque parui, quem si roges, An beatus

esse

esse velit, non illico respondeat: Id se vel maximè cupere? Præterea Virtutis nomen ac Probitatis etiam apud improbissimos sanctissimum est, ac maximè venerabile. Nam quis est adeò perditus, qui, se probum ac virtute præditum appellari, non vehementissimè gaudeat? Adde, quòd etiam sæpenumero digladiari solent improbi, si quis eos audeat bonos viros esse denegare. Planum igitur, ac manifestum est, hoc virtutis ac felicitatis desiderium nobis à natura, Dei beneficio, traditum esse. Cur ergo, dicet aliquis! tam pauci sunt, qui virtutem amplexantur? Cur viam, quæ potest ad beatitudinem perducere, plurimi non sequuntur? Quia cupiditatibus illaqueati, non ita corpus afficiunt, vt obedire consilio rationique possit: & cùm meliora, tanquam ea, quæ oculis cernuntur, aspiciant, ac laudent: tamen, quoniam appetitum rationi non subijciunt, deteriora consectantur. Nonnulli etiam adeò rudes, & in bonis luscioſi inueniuntur, vt, cùm optima sequi cupiant, bonum ac malum internoscere non valeant: atque ita fit, vt pro bonis pessima complectantur. Sunt, qui maximè diuitijs inhiantes, sperent futurum, vt, cùm amplissimas possessiones, & incommemorandam pecuniam adepti fuerint, bene beateque vitam agant. Sed nunquam eos explere videmus cupiditatis sitim: at potiùs continenter plura conquirentes, maiora semper appetentes, plurima congerere studentes aspicimus, Nam (vt optimè dixit Aquinas Poëta)

Iuuenal. Satyr. 14.

Crescit Amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

Hoc

Hoc accedit etiam auaris incommodi, quò minùs possint ad virtutem aspirare: Quòd diuitiarum cupiditate captus animus, confestim euilescit. Cùm enim Aurea diuinæ particula quædam sit Animus noster, sublimis & erectus cœlestia tantùm ac immortalia meditari concupiscit: ad eam gestiens beatitudinem, ad quam destinatus est, aliquando peruenire: cùm verò pecuniarum illecebris illectus, eis inhiare cœperit, nihil magnificum potest, nihil præclarum cogitare, nihil quod ad honestatem spectare videatur. Nec alia de causa toties in Sacris Literis diuites improbantur, & ab æterna felicitate repelluntur. Quare nihil esse credatis honestius, nihil magnificentius, quàm diuitias contemnere. Sed existunt etiam, qui facilè contemptis pecunijs, honore sperent ac gloria futurum, vt immortalitatem consequantur: quo fit, vt quicquid agant ac meditentur, id ipsum totum popularis tantùm auræ captandæ gratia facere videantur. Quod quàm sit inane, ac indignum homine Christiano, non dubito quin intelligatis. Neque enim fieri potest, (ait Chrysostomus) vt qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid aut egregium sapiat. Hoc illud est, quod tantopere Christus insectatur, vt popularis gloriæ cupido neget se pro benefactis mercedem vllam donaturum. Quapropter hoc etiam vitium eum oportet eradere, qui velit ad summam illam felicitatem ascendere. Maximè verò omnium impedimento est virtutum (vt ita dicam) Canditatis, voluptatis illecebra: quæ ita, quos semel cœpit, illaqueat, vt, tanquam improbissima Syren, eos confestim deturbet in turpitudinis barathrum. Hæc à vobis

Marc. 10.

præ-

præter omnia cætera, studiosi Discipuli, summopere cauenda est: ista præsertim ætate, quæ maximè vicina lapsibus est. Sanguinis enim feruore compulsa adolescentia, ad varias facilimè cupiditates inflammatur: Sed iampridem vos (vt spero) pestem hanc animorum repudiastis. Cogitatis enim, quantopere virtutis sit inimica. Nam quid virtuti potest inimicius inueniri, quàm quod omnem tollit honestatem? Quid inter appetentem voluptatis hominem, ac teterrimam interesse belluam existimatis? Tu, cùm tibi Deus, (inquit Cicero) siue mater (vt ita dicam) rerum omnium, Natura dederit animum, quo nihil est præstantius, neque diuinius, sic te ipse abijcies atque prosternes, vt nihil inter tè, atque inter quadrupedem aliquam putes interesse? Hæc audiant vitijs excæcati, qui summum bonum voluptate metiuntur. Vos verò, qui iam ex animis vestris hac impedimenta summouistis, de his rebus nihil opus est amplius admonere. Verùm agite, quod cœpistis, iter fausto pede perficite. Iacta sunt præclara beatitudinis fundamenta. Iam, quod difficilimum esse solet, estis executi: siquidem, Principium totius esse dimidium, etiam prouerbio dicitur. Iam relictis vitijs, Virtutum studia cœpistis amplexari. Magnam de vobis, amicis omnibus expectationem concitastis. Illud cogitate, vobis alterutrum omnino esse necesse: Aut cum summa laude & vtilitate progrediendum: aut cum summo dedecore & infamia retrocedendum. Quorum alterum, vestrum est, animi magnitudine præstantium: alterum ignauorum, animi mollicie desperantium, quos profragilissimo inundan-

In Paradoxo 2. pag. 118. a

volu-

voluptatis vitro, multò precioſiſſimas æternitatis margaritas non piget amittere. Difficilis eſt & ardua Virtutis via: ſed Honeſta ſolent eſſe difficilia. Quod enim expoſitum eſt omnibus, vt vel ab ignauiſſimo quoque poſſit apprehendi, quis id audeat Honeſtum appellare? At verò quod laudabile, & cum vtilitate coniunctum, quamuis maximè ſit arduum ac difficilimum, id generoſis animis etiam facilimum videri ſolet: qui nullum laborem pertimeſcunt, ſed ampliſſima ſibi proponunt præmia, quæ conſequantur, laudem, decus immortalitatem. Virtus enim (ait Philoſophus) radices habere videtur amaras, ſed fructus affert ſuauiſſimos. Iſtam, quam elegiſtis, vitam optimam, mihi credite, iucundiſſimam paulatim reddet conſuetudo. Nec verò labore aut difficultate, tanquam tempeſtate, repelli vos ſinatis. Quin potiùs illud conſiderate: Si tanta patiuntur mercatores pericula, ſi non horreſcunt fluctibus turgidum mare, ſi per ſaxa, per ignes, non trepidantes irruunt, ignotas adeunt regiones, fortunæ vitam exponunt: vt breui perituras diuitias affatim congerant: ſi vigilant artifices totas plerunq; noctes: quanto vos ſtudio conuenit eas acquirere diuitias, quæ nunquam poterunt interire? Facite, vobis ob oculos continuè verſentur tot Heroës præclariſſimi, qui laboribus ſibi iter in cœlum aperuerunt, & hic etiam inſignem ſibi gloriam pepererunt. Quanquam nolo, vobis (vt paulò antè monui) tanquam ſcopum, mundanam gloriam proponatis. Quid enim inanius? Sed tamen ſi Virtutem ſummo ſtudio, ac diligentia comple-

xi fueritis, ingens etiam gloria sponte sua subsequetur. Non enim credendum est, sibi gloriam hanc proposuisse Sanctos illos, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, innumerabiles alios: sed ipsam tantùm honestatem, ac Christi vitam imitandam: tamen de eorum fama, nulla vnquam ætas conticesceret. Hoc enim ita sapientissimo cuiq; solet accidere, vt quantò magis gloriam spreuerit, tantò magis illa tumultatior rideat. Quare summum illum vobis scopum proponite Christum: ab hoc omne principium, ad hunc omnem actionum vestrarum exitum referatis: de hoc noctes atq; dies cogitetis: huius vitam, mortem, gloriam animo continenter euoluatis. Sacrosanctam Euangelij Legem, ac Diuinos omnes Libros

Horat. In Arte Poët.

Nocturna versate manu, versate diurna,

Non enim fieri potest, (inquit ille verè aureus Chrysostomus) vt qui frequenter diuinis vacat, is miseram agat vitam. Omnia vobis cætera sordeant præ his, quæ ad Christum pertinent. Ita fiet, vt aliquando, quam optatis, felicitatem acquiratis immortalem: & ab optimo quoq; viro maximam reportetis & laudationem, & gloriam. Hæc cùm dixisset Primus, paulisper habitum est silentium. Tum Angelus: Planè mihi, Prime, videris (inquit) optimos imitatus Medicos: qui morborum causas perscrutati, pharmacis priùs eas conantur euellere, quàm facientes sanitatem medicinas adhibeant. Quis enim vnquam, valetudinem vt recuperet, sperare potest, nisi priùs morbi causam de venis fuguerit? Ita virtutis viã ingredi penitus nemo potest, qui non

non antè prauas ab animo cupiditates eraserit. Quid porrò virtuti potest inimicius inueniri, quàm tria illa, quæ modò vitia numerasti? Diuitiarum sitis, Voluptatis illecebra, Gloriæ cupiditas. Neque enim vllo modo fieri potest, vt qui trium horum aliquo vitiorum irretitus sit, minimam virtutis partem possit acquirere. Quòd si quis ab his omnino se potuerit expedire, maximum is ad virtutem gradum iam se fecisse certum habeat. Sed illud sanè etiam à te expectabam, vt aliquid de Literarum studijs, ac maximè de Eloquentia diceres. Hos enim adolescentes in hac parte totis viribus, vt aliquando fiant eloquentes, insudare video: qui planè mihi videtur labor esse superuacaneus. Cur autem ita videatur, dicam postea: si priùs hac de re sententiam tuam audiuero. Quare cùm alia multa dixeris, hoc etiam explicandum est à te, vt hi sciant adolescentes, quid hac in re sibi faciendum esse videatur. Hic arridens Primus, Scio (inquit) quam rem agas, Angele: cupis me ad hoc, vt aliquid de Eloquentia differam, impellere: quò illa ipsa, quam te non probare dicis, Eloquentia, rationes meas omnes & argumenta, quibus eam probauero, conuincas. Nullum enim adhuc te vehementiorem in dicendo cognoui, neque ad refellendum acutiorem. Sed tamen, quoniam ita velle videris, dicam sententiam meam: tu si quid contrà dixeris, ipsa tamen per se suum fulgorem explicabit. Non enim vllo modo Eloquentiam sine eloquentia potes improbare. Vos autem (me appellabat & Antonium) pergite porrò, sicuti cœpistis, totis viribus ad Eloquentiam incumbe-

re: quærerum omnium (diuina semper excipio) sine controuersia præstantissima est: nec vos, quasi tumultuantes de gradu deijciat, si quid Angelus contrà dixerit. Quin potiùs ita colligite: Ex omnibus rebus id excellentissimum ac præstantissimum existimandum est, quod meliorem nostri partem, hoc est, animum ornare, & expolire potest, quodque in admirationem homines adducere solet, & maximam plurimis vtilitatem reportare. Doctrinas enim ac Artes liberales, & denique Virtutes omnes hac de causa complectimur, quòd illis humanus animus maximè poliatur. Quid gemmas, vniones, chrysolithos, adamantes, & cæteras omnes? num alio nomine pretiosæ sunt, nisi quod eas homines soleant admirari? Iam verò argentum & aurum ob id tantùm plurimi penditur, propterea quòd humanis vsibus, & conuentionibus, emptionibus ac venditionibus aptissimum esse videatur. Nullum autem animi maius ornamentum, culto ac prudenti Sermone potest inueniri: nihil quod maiorem possit admirationem concitare; nihil denique, quod vtilius sit humano generi, reperitur. Quid enim pulchrius, quàm aliquem existere hominem, qui cæteros eare præcedat, qua sola reliquis animantibus homines antecellunt? Quid honestius, aut decentius, quàm ita sermonem posse temperare, vt nihil non concinnè, prudenter ac ornatè dicere videaris; nihil humile ac sordidum: sed omnia nobilia ac splendida? Quid admirabilius, quàm mentes audientium, quocunque volueris, oratione posse conuertere? cùm omnes ferè loqui sciant: ipse solus

ita

ita loquaris, vt cæteri nihil omnino scire videantur? vt suspensos ita teneas Auditorum animos, & attonitos, vt vel inuitos pedibus in sententiam tuam cogas discedere? Age porrò, quid vtilius Eloquentia? quid liberalius? qua feruntur patrocinia supplicibus, excitantur afflicti, datur miseris salus, rei periculis liberantur, ciuitates optimè gubernantur, sedantur plebis seditiones ac discordiæ, ad sacrarum cultum Religionum populi pertrahuntur. Quare si, quod animi nostri magnum est ornamentum, quodq; in admirationem ducit vniuersos homines, & quod vtilitatem solet afferre plurimam, id omnium est præstantissimum: Eloquentiam autem, & ornamentum animi non mediocre, & magnopere mirabilem & vtilissimam esse probauimus: neminí dubium esse potest, quin Eloquentia sit omnium præstantissima. Quæ cùm dixisset, finem ille. Angelus autem, Nætu (inquit) astutè mecum agis: qui priùs, ne verbis meis fidem habeant, hos alienare velis, quàm ex me quicquam audierint. Deinde cùm tuam tantùm de Eloquentia sententiam postulassem: ipse nobis argumentis, vel potiùs præstigijs quibusdam oculorum aciem ita perstrinxisti, vt vile plumbum in aurum purum putum, quod vocant, immutare videreris. Sed iam mutua talione tecum agam: non quidem quòd verum occultare velim, quod tu fecisse mihi videris, sed magis, vt, detectis insidijs, ipsa per se veritas eluceſcat. Verùm iam aperto Marte congrediendum. Possem equidem te plumbeo statim (quod aiunt) gladio iugulare: sed aperienda priùs est sententia mea. Si

quid esset, quòd ad bene beateque viuendum homini Christiano maxima dicendi facultas, studio comparata, prodesse posset, nunquam profectò committerem, vt eam non maximè comprobarem. Quid enim impudentius dici aut fingi potest, quàm id condemnare, quod nostræ persuasioni ac religioni sit non solùm accommodatum, sed etiam vtilissimum? Sed cùm videam, ex Eloquentiæ studio non solùm nullam Christianis vtilitatem, sed etiam damnum maximum proficisci: quid est, quòd huic studio multam operam impendendam esse existimem? aut potiùs, cur summopere non improbem? Quid enim damnosius accidere potest, quàm, relictis grauioribus studijs, inanitantium verborum farragini perdiscendæ bonas horas consumere? cùm præsertim Christus ipse, nostræ Religionis author, suis legibus sancitum esse voluerit: Ne multum loquamur: propterea quòd in multa locutione crimen aliquod semper incidere posse videatur. Nos autem superuacanei sermonis vitium, quod omnes ferè mortales occupauit, non solùm pro virili conamur aliqua ex parte resecare: sed etiam (si Dijs placet) loquacitatem nostram studijs adiuuamus. Nam quòd ais, esse mirabilem Eloquentiam, quòd attonitos reddat audientes: idem de schœnobate, aut præstigiatore, aut etiam circulatore quouis dici potest: nequetamen idcirco tale genus hominum præstantissimum esse dicitur. Quòd verò disputas: eloquentia reos liberari, ciuitates gubernari, populos ad religionem trahi: speciosiùs mihi dixisse videris, quàm quòd ita sit. Nam quis id primum tibi concedat: Eo nomine vti-

Matth. 6.

lem

lem esse Eloquentiam, quòd reos à periculis liberet? qui si mali sint, num vtile tibi videtur, eos liberare? sin autem boni, nonne potiùs innocentia tecti liberabuntur, quàm cuiusquam eloquentia? Quis Susannam illam Hebræam falsa criminatione liberauit? An non (si quid Ambrosio credimus) sua taciturnitas: quæ si voluisset Oratorem conducere, qui se defenderet: nequaquam visa fuisset (vt erat) innocens. Quid Socratem illum, Apollinis iudicio sapientissimum, commemorem? cui, cùm esset in carcere, facundissimus orator Lysias orationem attulisse dicitur: qua videbatur, illum iniquè accusatum eripi posse. Maluit homo sapientissimus iniustè condemnari, quàm eloquentiæ præsidio liberari. Quòd si non innocentes sed maleficos Eloquentia defendit: cùm illi nihil sibi conscij non timeant? hi verò scelerum conscientia stimulati, patrocinium quærant: non solùm non vtilis est Eloquentia, sed etiam damnosissima: quippe quæ defendat, quos oppressos oportuit. Quòd autem dicis, Eloquentia ciuitates gubernari: id mihi magis disputandi gratia, quàm quòd ita sentias, dixisse videris. Neque enim te ignorare arbitror: Optimis legibus, & virorum prudentia regi ciuitates, non Eloquentia: quæ multò frequentiùs nocere, quàm prodesse ciuitatibus inuenitur. Quis enim ignorat, quantum tumultus in Republica Romana duorum Gracchorum Eloquentia concitarit? quantum item Saturnini? quantum apud Athenienses Pisistrati? Illud nullo modo tolerandum, quod ais: Populos ad Religionem eloquentia trahi. Quænam est ista, quam prædicas, Eloquentia? num ea, quam in Sacris Literis

inuenimus? Quis ignorat, ex Sacris Libris expulsam esse Eloquentiam, tanquam inutilem? Aut eam dicis,
1. Cor. 2. *qua se gloriatur Corinthios lucrifeciſſe Paulus? cùm ait: Cùm venirem ad vos, fratres, non veniebam cum eminentia ſermonis, aut ſapientiæ: annuncians vobis teſtimonium Dei. Et paulò pòſt: Sermo meus, & prædicatio mea non erat in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ verbis: ſed in oſtenſione ſpiritus ac potentiæ: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in potentia Dei. Quid, hìc videtúrne tibi Paulus eloquentiam laudare? ac non potiùs repellere? Non igitur Eloquentia eſt, quæ trahit ad religionem homines, ſed oſtenſio ſpiritus, & Euangelij nunciatio. Nam quòd ais: Animi noſtri maximum eſſe ornamentum plauſibilem Orationem: id ego ſemper conſtantiſſimè pernegabo. Neque vnquam, præter virtutem, ac honeſtam vitam, humanæ mentis vlla eſſe ornamenta exiſtimabo: neque quicquam expetendum, præter religionem, & vnius Dei per Sacras Literas, vbi nulla eſt Eloquentia, cognitionem. Quid enim expetendum, quod non ſit vtile? Porrò quid vtile, quod non idem ſit honeſtum homini Chriſtiano? At qui nullus id honeſtum exiſtimabit, quod etiam improbiſſimo cuique poſſit eſſe commune: Eloquẽtia autem eiuſmodi eſt, vt etiam homo peſſimus eam habere poſſit: non igitur erit honeſta Eloquentia. Quòd ſi non honeſta, neq; vtilis: ſi verò non vtilis, non ſolùm non expetenda, ſed etiam fugienda eſſe videbitur. Quod autem fugiendum eſt, pernicioſum ſit neceſſe eſt. Quare non ſolùm Eloquentia non præſtantiſſima, quod tu cõcluſiſti non optimè, ſed etiam per-*

perniciosissima Christiano viro iudicanda est. Hæc cùm dixisset: nos taciti, quid ad hæc esset obiecturus Primus, expectabamus. Tum ille. Si te scirem (inquit) Angele, similem verbis animi sententiam etiam habere, summopere te hortarer, vt de opinione tam sinistra decederes: vel si nolles audire, tibi notam ingratitudinis inurerem: qui cùm tantum debeas Eloquentiæ, quantum hoc tempore vel nulli, vel fortasse paucissimi: tamen eam suis ipsius telis auderes insectari. Sed cùm hæc differendi gratia primoribus tantùm labris, non ex animo te dixisse non ignorem: nihil de te, aut ingratitudine tua dicam. Ipsam tantùm Eloquentiam, obiecto clypeo, protegere conabor, ac defendere: tu verò tuis argumentis aërem verberasse videberis. Primùm igitur tua dicta tentabo refellere: deinde, quæ causæ meæ confirmandæ proderunt, ea tantùm vt in medium conferam. Atque vt hinc potissimùm incipiam, quid illo Sorite vitiosus, quem tanquam validissimum in peroratione tibi conseruaras? Equidem prima auditione non mediocriter confusus sum: mihique audire videbar inexplicabiles Chrysippi Ceratinas, aut crocodilinas: sed postquam diligentiùs introspexi, nihil vnquam mihi visum est inanius. Nam sic, opinor, collegisti: Nihil vtile, quod idem non etiam honestum: Nihil honestum, quod improbo possit esse commune. Hæc effata tibi facilè concesserim: quanquam prius illud non multis est probabile. Sed videamus, quid his subiungatur: eloquentia eiusmodi est, vt etiam homo pessimus eam habere possit. Quid ais Angele? Vide, ne parum Dialectici sit

Quint. lib. 1. cap. 16.

hominis, rerum definitiones aut ignorare, aut cognitas non considerare. Homo pessimus Eloquentiam habere potest? An ignoras idem esse, ac si diceres; Stultissimus potest esse sapientissimus? Nam quid aliud est Eloquentia, quàm copiosè loquens sapientia? Quid aliud Orator, quàm vir bonus, dicendi peritus? Num prauus homo, sapiens aut bonus esse potest? Quis hoc sanæ mentis audeat dicere? At qui tu vel nescius, vel fortè etiam prudens hoc conclusisti. Nam quisquis eloquens est, is etiam sapiens, ac vir bonus sit necesse est: siquidem Eloquentia est sapientia, & Orator vir bonus. Porrò si prauus est eloquens, idem etiam erit sapiens & bonus: quod nullo modo fieri posse, quis ignorat? Neque igitur homini malo contingere potest Eloquentia. Quo sublato, vidésne, quàm citò causa cecideris? Sed hæc agenda videntur explanatiùs. Multùm interest, Angele, quid esse putes Eloquentiam. Nam si verborum tantùm inanem (vt inquisti) farraginem illam existimas: rectè quidem improbas: sed plurimùm videlicet erras in finitione. Sin autem (vt opinor) persuasum habes, Eloquentiam maius quiddam esse, quàm verborum farraginem, neque omnino sine rerum plurimarum, & diuinarum & humanarum cognitione, hominem aliquem eloquentem esse posse: quid te facere dicam, cùm rem tam laudabilem vituperas, nisi pessimè? Nam quòd ais: Non oportere dimitti studia grauiora: quæ sunt tandem ista grauiora studia? aut quid est, quòd incumbamus studijs, nisi vt eloquentiam augeamus: & vt multis collectis rationibus, nobis ipsis ad

Cic. in Partit. p. 236. b

bene

bene beateq; viuendum, & alijs quàm plurimis auxilio esse posſimus? Quid enim quis discit, quod non, cùm perceperit, quàm maximè cupiat propalare? Hoc enim omnibus natura comparatum est, vt scire desiderent: & quæ sciunt, alios docere velint. Quod cùm faciunt, quis est, qui non cupiat, se quàm optimè dicere? Huc igitur studia diriguntur: & hac tantùm de causa studemus, vt esse posſimus eloquentes. Nihil enim, aut parum prodest occulta doctrina. Nullum igitur Eloquentiæ studio grauius inueniri potest, Sed Christus (inquis) nobis iußit, vt pauca loqueremur. Vndénam (quæso te) sumis, hoc in Eloquentiam esse dictum? Caue, ne, cùm eloquentes inimicos habere velis, etiam Theologos irritaßis, si malè torseris Euangelia. Non enim tibi parent prælium: quanquam plurimùm etiam in ea Facultate valeas. Sed si te semel oppresserint Scotizantes: ex illis tenebricosis laqueis non ita facilè te poteris extricare. Iam verò contra Thomistarum, & Occamistarum vociferationes, nihil tibi proderit ista tua tam admirabilis scientia. Sed redeat, vnde aberrauit, oratio. Christus ibi longas Ethnicorum precationes vituperat: quib. quod optabant, à Deo se impetrare posse confidebant. Tu verò scilicet nouus interpres, Christi verba torques in Eloquentiam. Nam si malum est loqui, cur non perpetuò tacemus? si verò bonum, cur, cùm id facimus, non conamur, vt quàm optimè faciamus? Sic enim fieret, vt loquacitatis vitium, quod (vt verè dicis) omnes ferè mortales occupauit, excideremus: & politißimo sermone simul & vtiliſsimo ea tantùm, quæ probãda sunt,

diceremus. Quàm verò belle de schœnobate, aut præstigiatore lusisti: perinde quasi quicquam schœnobates ad orationem pertineat, aut hæc similitudo non toto (quod aiunt) diametro dissideat. Mihi verò visus es, cùm, quid contrà diceres, non haberes, studio tamen contradicendi tam absurdam finxisse similitudinem. Quid enim habet simile funambulus cum Eloquentia? cùm ille, quamuis ridicula quædam, & quæ mirabilia videantur, efficiat, tamen nec sibi, nec alijs vtilis, ab omnibus vilipenditur, & lusus tantùm gratia spectatur. Hæc autem ita rapit & immutat hominum mentes, ita vel inuitas cogit ad vtilissima quæque, vt planè diuina esse videatur. Nec fieri potest, vt cùm quis eloquentem semel audierit, eum non maximopere suspiciat, & maius quiddam in eo, quàm in homine, veneretur. Quænam seditio tanta inter ferocissimas gentes potest exoriri, quam, si superuenerit eloquens, non illicò sedare possit, & pacem inter inimicos conciliare? Et quid seditione vulgi truculentius? Menenius Agrippa, fabula tantùm eloquenter recitata, & sapienter interpretata, iratam plebem Patribus conciliauit: quantò id facilius effecisset, si fontes eloquentiæ penetrasset? Quid, cùm ad Demosthenis & Æschinis contentionem ex tota Græcia concursus fieret, num eos, qui concurrerunt, Græcos, tanquam ad præstigiatores spectandos conuenisse censes? Aut cùm ex vltimis Orbis terrarum regionibus ad Patauinum Liuium audiendum quidam veniebant, nonne tibi videntur eius eloquentiam, non tanquam rem inanem (vt tu appellas) sed

Liuius lib. 2. ab V. C. Camerar. in Fab. Aesop. p. 449 Val. Max. lib. 8. c. 9.

sed tanquam valde mirabilem, ac prope diuinam fuisse admiratos? Sed hæc, quæ ex tuo dixisti, vt sunt leuia, ita facilè refelluntur. Illud potiùs aliquam rationi meæ difficultatem, quod ex Paulo recitasti, videtur afferre. Nam de Susanna, ac Socrate posteà videbimus. Sed tamen hoc etiam, quod ait Paulus, facilimum est amoliri: cùm non Eloquentiam vituperet, sed eiusmodi tantùm ostensionem spiritus, ac Dei potentiam præponere videatur. Illis enim Ecclesiæ nascentis primordijs, magis erant (fateor) necessaria miracula: cùm, vt Deorum cultum, ac maiorum suorum religionem penitus inbibitam, immutarent, non solâ potuissent homines eloquentiæ persuasione compelli, nisi miracula etiam accessissent, quæ diuinum illud opus esse, non humanum declararent. Sed posteaquam ad Christum versi fuerant, tunc necessaria fuit etiam eloquentia, quæ debilium & infirmiorum animos quotidie confirmaret, desides excitaret, errantes corrigeret, feruentes magis accenderet. Vnde videmus etiam, quanta scripserit arte Paulus, quem tu fingis eloquentiam damnare, cùm ipse sit eloquentissimus. Cuius rei, præterquam quòd eius Epistolæ declarant, testis est etiam Augustinus, qui rerum ac verborum exornationes, ac eloquentiæ neruos in eius scriptis conatur ostendere. Quare non eo modo, quo tu censes, ea verba Pauli, quæ modò recitasti, sunt interpretanda, vt credamus, eum, qua summopere præditus erat, Eloquentiam condemnare. Sed cùm ad Corinthios scribat, qui à Prophetis falsis plurimi seducebantur, eis tantùm artificiosè in memoriam Spiritus

osten-

ostensionem, ac miracula reducit: vt meminerint, se non tantùm Pauli verbis, quantùm Euangelij virtute ac miraculis, Christi fidem accepisse. Neque verò ex Sacris Literis (vt ais) expulsa est Eloquentia. Imò verò magis credibile est, ab eis principium habuisse: deinde paulatim hominum sapientissimorum studijs accreuisse. Non enim fieri potest, vt res tam diuina aliunde, quàm à diuinis literis principium sumpserit: cùm præsertim plurimas in sacris Biblijs orationes videamus, quas certò scimus esse in Hebræo sermone disertissimas: & quæ etiam apud nos speciem quandam præ se ferunt elegantiæ. Illos verò, quos Prophetas appellamus, quorum ego eloquentiam, cùm eorum scripta Hebraicè lego, maiorem in modum suspicio, nihil aliud fuisse credendum est, quàm Oratores facundissimos: quos Deus è multis eligebat, vt essent, qui populum ad religionem pertraherent. Horum vnus Daniel, cùm innocentem Susannam ad supplicium duci videret, eam eloquentia sua liberauit: & quanquam (vt ais Ambrosio placere) taciturnitate innocentiam suam testaretur; tamen nisi Dei monitu vox Danielis affuisset, nihil omnino fuisset impedimento, quò minùs de illa supplicium indignissimum sumeretur. Socrates autem (inquis) perire maluit, quàm oratione Lysiæ liberari. Sit ita sanè: num ideo damnauit eloquentiam Socrates? Illam sibi orationem, quòd fortè parum eloquens videretur, non viro dignam videri dixit: non de eloquentia tota iudicium fecit: nisi fortè credis, eum, qui subæratum aurum spernit, obryzum etiam, & purum aurum reprobare.

bare. Quid verò de Eloquentia Socrates senserit, eius discipulus Plato palàm innuit, qui eum vbique introducit eloquentissimè differentem. Quare te frustrà vides hæc exempla collegisse. De Gracchis autem & Saturnino, & Pisistrato, nihil attinet dicere: cùm illi ciues seditiosissimi fuerint. Nos autem eloquentem, nisi eundem bonum virum esse dicimus. Vt autem partem aliquam habuerint eloquentiæ: non tamen ideo tanta virtus damnanda esse videbitur. Neque omnino vitia prauorum hominum ad res transferenda. Nam

Non res in vitium, sed malefacta cadunt.

Quòd autem legibus ac prudentia ciuitates gubernari, non eloquentia tibi videri dicis: non satis ipse prudenter ac legitimè (quod pace tua dixerim) ab his rebus eloquentiam separas, quas neque tu ignoras, sine illa nullo modo posse consistere. Quem enim primum (vt altè repetamus) leges inuenisse, quibus ciuitates regerentur, existimas? aut quem credis induxisse populos, vt legibus obedire non recusarent? Num infantissimus aliquis tibi fuisse videtur, & qui nulla foret eloquentia præditus? Quomodo ergo tam facilè paruerunt ei, qui nullam legum rationem, quare bonæ viderentur: posset per infantiam reddere? An sponte sua rudis populus, & liberè viuendi cupidissimus, legibus, tanquam iugo, colla supposuit? Quin magis mihi verisimile fit, eloquentissimum fuisse hominem: qui ratione reddita, cur vna in ciuitate simul habitare, legibus vti quàm optimis, optimum esset, oratione facundissima populorum animos ita demulserit, & immutarit,

tarit, vt suæ cogeret eos parere voluntati. At verò postquam in vna mœnia conuenere, regi cœpere, certè non minùs eloquentia, quàm receptis legibus, Cùm enim viros prudentissimos, de æquitate ac iure differentes, audirent: facundia deliniti, ijs, quæ optima videbantur, parendum esse censuerunt. Itaq; nisi priùs Eloquentia fuisset, nullas penitus (vt opinor) leges haberemus. Nec verò à Prudentia, tanquam membrum à corpore, segreganda est Eloquentia. Pars enim eius esse dicitur, cui literarum omnia studia tribuuntur. Quòd si prudentis est, amplecti studia literarum: cur tibi prudentis esse non videatur, eloquentiam perdiscere, quæ studiorum omnium quasi lumen est, & ornamentum? Quantò verò facilius, & melius ciuitatum gubernatores, populos ad iustitiam amplexandam, & iniquitatem vitandam, impellere possent: si cum prudentia magnam quoq; facundiam copularent? Quid de Christi Præcone dicendum est? cui tam necessariam esse arbitror Eloquentiam, quàm etiam Sacrarum scientiam Literarum. Quid enim? An nõ videmus, in Theologica Facultate doctissimos plerumq; homines, quòd facundia destituti sint, ita frigide concionari, vt nihil omnino, quamuis plurima verba profuderint, auditorem cõmoueant? sed totum ferè tempus inanibus quæstiunculis, (quas inuoluisse silentio multo præstitisset) altissima vociferatione conterant? Quid enim ea populo prosunt, quæ Scotus & eius farinæ comites somniarunt? quibus ad religionem ne tantillum quidem accendantur: sed ea cùm audierint, in diuinis rebus multò tardiores efficiantur. Quantò præstantius

tius esset, Eloquentiæ post Diuinas Literas, totis neruis incumbere? & reiectis Dialecticorum Sophismatibus, in quibus, tanquam ad Syreneios scopulos, consenescunt, tantam studio facundiam comparare: vt audientium mentes immutare, impellere, trahere, rapere possent ad honestatem capessendam? vt quæq; pessima vitia sunt, ita maximè insectari, improbare, profligare, exterminare? futuras improbis pœnas oculis subijcere, minis perterrefacere, inferorum sedes aperire, torsiones, cruciatus, supplicia scelerum patefacere? Virtutem autem, vt dignissimum est, ad cœlum extollere, eius præmia, decus, immortalitatem, gloriam, beatitudinem, ita dicendo prosequi, vt eorum desiderio maiorem in modum auditorum mentes inflammentur, doleant, metuant, sperent, tempus sibi frustrà præteritum conquerantur: vt in posterum, relegata cupiditatum siti, totam vni virtuti statuant operam impendere? Quæ si quis diligentissimè persequatur, quantum honestatis excitabit incendium! quàm mirabiles ad capessandam virtutem ignes immortalium animis commouebit! quàm facilè vitia, tanquam fumi, vanescere videbuntur: purior Virtutis flamma subsequetur! Sed me tempus deficeret, si vim vniuersam Eloquentiæ velim explicare. Vides, (vt opinor) nisi vel videre nolis, vel Hypsea cæcior effectus sis, quantopere sit vtilis Eloquentia. Sed me temporis angustia (video enim aduesperascere) cogit esse breuiorem: posthac aliàs, nisi de ista sententia discesseris, multò longiorem, & elegantiorem sermonem expectato: Hîc subrisit Angelus, & præter spem (inquit)

bo-

hodie Primum orantem extempore vidimus. Quid si paratus accessisset? quid si iterum contingat ei de Eloquentia dicere? Sed nihil opus est: Iam enim in tuam sententiam pedibus discessi.

Quibus dictis, pòst paulò discessimus.

FINIS.

INTER.

INTERPRETATIO GRAECORVM, AB Authore prætermissa.

Pag.167.lin.8.in medio.

p.171. l.10. *Vos aqua, vos omnes fiatis terra vicissim.*

l.18.abierunt vnde venerant: terra quidē in terram, spiritus verò sursum.

p.187.l.27.Vinum est aqua putrefacta, quemadmodum Empedocles dicebat: *In ligno putruit vnda.*

p.190.l.16.posterius priùs.

p.192.l.8.alui profluuium.

p.236.l.21. ciuilis consideratio.

p.297. l.13. *Illum musca magis, quàm durus sermo mouebat.*

p.466.l.14.Ex videndo enim nascitur hominibus Amor.

l.vlt.Aesonidæ amore.

p.467.l.1.Alatum.

p.468. l.25. Amorem qui non Deum putat esse magnum,
Et omnium Dęmonum summum.
Aut stolidus est, aut bonorum ignarus existit,
Non nouit maximum Deum inter homines.

p.469.l.6.Ex Contentione & Zephyro.

p.470.l.10. Messores.

l.15.Amor fugitiuus.

p.472. l.18. *Cunctorum Diuûm primum formauit Amorem.*

p.473.l.3. Diuinus amor bonus est boni propter bonum.
p.474.l 26. De Sapientia.
p.475.l.17. Amor intus in homine est.
l.25. *Signa gerēs sanctiq; thori, sanctiq; hymenæi,*
p.477.l.1. *Multa quidem non sunt, sed pulchra videntur amanti.*
p.480.l.21. *Virginea facie puer.*
l.25. radios faciet marmoreum ex se splendorem vibrantes.
p.483 l.24 dant pœnam appetitus Veneream hanc scari.
p.484.l.7. Coitum esse paruum morbum comitialem.
p.485.l.1. *Magna mihi in somnis aderat Cytherea Virgo.*
l.16. dulcamarum, seu suauamarum.
p.514 l.3. Moderatores.
p.542.l.penult diuinissimum.
p.550.l.7. *Septem vrbes pugnant de stemmate Vatis Homeri: Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.*
p.551.l.3 & Græcæ Linguæ studiosissimi.
p.552.l.27. Aliorum autem, veluti Megarensium, nulla est ratio.
p.565.l.8. *Virtutem ante Dij magnum posuere laborem.*
p.567.l.6. Amore nihil est potentius.
l.7 Labor gloriæ pater est.
p.569 l.24. Poëtæ domum nolite incendere.

p.570.

p.570.l.6. Multi discipuli sunt præstantiores Præceptoribus.

l.15. *Pindare, Musarum os diuinum, & garrula Siren.*

p.571.l.14. *Pindarus ex Thebis sonat: alma Simonidis ore*
Musa canit semper dulcia melliſono.
Splendet Stesichorus, simul Ibycus, est sacer Alcinam
Suauis, ab ore refert dulcia Bacchylides.
Iungit Anacreion Suadam sibi plurima cantat
Alcæus Cygno Lesbius Aeolidæ.
Sappho nona virûm non est, Heliconis alūnis
Sed decima è Musis dicitur esse Dea.

p.573.l.19 *Quattuor hæc Græcis certamina, quattuor illa*
Sacra: duo Diuûm, sed duo sacra virûm.
Sunt Iouis hæc, Phœbiq3, Palæmonis, Archemoriq3.
Præmia sunt, oleæ, pinea, poma, apium.

p.574.l.18. *Dij nobis vendunt (credas) bona cuncta labore.*

p.600.l.vlt. Externa.

p.601,l.1. Auscultatoria.

p.603.l.15. Coniecturales.

p.610.l.13. Etenim ars pecuaria coniuncta est cum agricultura.

p.612.l.9 multos agnos, multa pecora habentes.

p.614.l.25. Prima & maxima omnium indi-

gentia est præparatio victus, vt & simus & viuamus: habitationis secunda: tertia vestitus. Vnus quidem erit agricola, ædificator alius, alius textor.

p. 661. l. 9. *Pauca quidem, sed dulce: aberat namq; copia fandi.*

l. 13. *Dulcior huius & à lingua vox melle fluebat.*

l. 19. *Hybernamq; niuem prorsus referentia verba.*

l. 26. Ad hæc verò iterum, ac si ipsi forsan Suada quædam sessitauisset in labris, adeò permulcebat: & solus ex Rhetoribus aculeos relinquebat in animis eorum, à quibus esset auditus.

p. 662. l. 1. Fulgurabat, tonabat, permiscebat Græciam.

LECTO-

LECTORI PHILOMVSO ET CANDIDO.

QVas tenebras, quam obscuritatem, quas difficultates in hoc Maioragij volumine γραμματολιχριφίδες induxerint, Lector Philomuse & candide, dici vix potest. In eas enim angustias, ob quosdam locos enormiter vitiatos deueni, vt, quid ijs agendum, nescirem. Præterire prohibebat fides: restituere diffidentia. Si quidem mentem, ipsaque Authoris verba mihi diuinam virgulam nõ suppeditaturum, sat scio. Attamen vicit, tibi Lector, data fides. Et quoniam in ijs emendandis diuinare fuit necesse: diuinaui. Vtinam verè. Sed cùm sit in omnibus ἀδύνατον, ne permista proprijs aliena tibi obtruderem, libitũ est, à nobis ascita ferè omnia hîc tibi ordine notare.

Pag. 62. lin. vlt. sapientia.
p. 155. l. 26. pro.
p. 281. l. 21. esse.
p. 339. l. 22. aduersus. ex Liuio.
p. 381. l. 13. sectantur.
p. 385. l. 1. si.
p. 390. l. 29. qui.
p. 394. l. 11. cùm.
p. 410. l. 19. excelsum.
p. 430. l. 7. qui.
p. 438. l. 9. professionem.
p. 487. l. 7. fingit. *p. 499. l. 28. globi.*

 p. 526.

p.526 l.21.&
p.541.l.9 neq3 vtilitatem.
l 21. qui.
p.576.l 7.ſtudioſius legunt, ſentiunt orationes.

Ex ſecundo Ciceronis de Orat.114.a.

p.580.l.16.nitorem.
p.582.l.vlt.minus.
p.585.l.27.tantùm.
p.599 l.22.quo.
p.614.l.24.tribuit.
p.709.l.14.non.

Atque hæc quidem Venetiano Codici ac ceſſere, quæ vel ipſa, vel eiuſdem modi omiſſa typographi negligentia videbantur. Quò verò noſtris coniecturis plus fidei tribuas, inſigniora quædam ex erratis, quorum centurias aliquot ſuſtulimus, ſubiungemus: vt appareat, quàm verè nobis, ob aliorum indiligentiam & incuriam, Augiæ ſtabulum repurgandum fuerit.

Venet. Codex.

Pag.62.lin.11.extiterit.	*egerit.*	
p.235.l.20.gratia.	*gratiora.*	
p.236 l 15.bebat.	*fiebat.*	
p.246.l.22.nihil.	*mihi.*	
p.267.l 5.eſſe, quot hominū.	*eſſe, quo tot hominum.*	
p.292 l.22.amplectimini ſemper.	*amplectimini: quod ſemper.*	
p 351.l.2.maxima.	*proxima.*	Ex Cicer.
p.398.l.21.aggreſſos.	*egreſſos.*	Ex Cicer.

p.399.

p.399.l.20.aggressus.	*egressus.*
p.402.l.17.aut.	*haud.*
p.416.l.penult.&	*ex.*
p.434.l.4.ducorum victum.	*ducum victorum.*
p.443.l.1 generosa.	*generosi.*
p.443.l.20. auaritis.	*auratis.*
p.459.l.19.est.	*esse.*
l.22.sed.	*sunt.*
p.468.l.12.libro.	*liquidò.*
p.541.l.vlt.alij.	*Chij.*ex Cicer.
p.615.l.20.viscere.	*visere.*
p.617.l.3.consentes.	*consentientes.*
p.624.l.19.20.recenditas. dignas historias, confectas.	*recondita, dignæ historiæ, confectæ.*

Illa inseruimus: hæc & alia infinita, nomine πλημμελημάτων suspecta, eo, quo vides, modo correximus. Vtrumq; & Authoris, & Reip. nostræ amore factum. Vnde & facilior, si quid est peccatum (quod est in procliui) ad ignoscendum eris. Idq; magis te rogo, quàm à me vis, aut pateris te rogari. Neque hoc solùm: sed maius: *Archetypum nactus, Critica falce spinas excinde: proprium semen sparge.* Vt enim Author pristinum decus nanciscatur, mâlo non tantùm admoneri, sed etiam emendari. Id quod è fama tua erit, Maioragij: è re Iuuentutis: ex vsu & voto meo: necà tua, optime Lector, æquanimitate alienum. Vale, meque ama amore illo tuo singulari.

Liber collegij Societ. Jesu
Paderborn.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN